


DE FREQVENTI COMMVNIONE LIBER.

~~D. Antony Arnaldi Doctoris Sorbonici.~~







PRAEFATIO.

PP Eremitarum Camaldulensium prope Varsaviam



ETSI diuinæ veritatis nihil est cognitione fructuosius, ac sicut oculo corpus, sic eius luce omnis animi actio regi ac temperari debet: ad eam tamen pro salutis atque vtilitatis hominum ratione administrandam, tanta sapientia opus est, vt sæpè leuioris negotij sit illam & cognoscere, & cognitam alijs tradere, quam eius pro eo ac Deus iubet in publicum efferendæ, euulgandæque idonea tempora & quasi maturitates videre.

I. QVIBVS TEMPORIBVS NECESSARIA SIT VERITATIS PVBLICATIO.

Sed in his tamen rei grauissimæ pro dignitate procurandæ dispensandæque difficultatibus, duo sunt præcepta certa & fixa, nobis à SS. Patribus diuinitusque institutis hominibus tradita, quibus aperiendæ ac publicandæ veritatis duo tempora necessaria accepimus. Alterum cum ea impetitur, offusaque caligine obducitur: alterum cum existunt, qui illam à nobis flagitent, & ad instituendam vitam dirigendamque deposcant. Qui enim tum sileat, is & Dei causam, quæ vitâ ipsâ cuique antiquior esse debet, prodiderit, & proximorum abjecerit charitatem, quos, vt seipsum, diligere debuerat.

August. de Prædest. SS. & de Dono perseuer. Bernard. in Apol.

Quod si accedat, vt qui oppugnatæ veritatis

cognitionem petit, necessitudine quadam à Deo ipso profecta nobis adjunctus sit, tum vero triplicis causæ concursu triplex loquendi necessitas exoritur, quam defugere non liceat sine lentitudinis, vel negligentiæ, vel ignauiæ notâ, aut omnino saluâ triplici charitate, quam & Deo, & hominibus vniuersis, & ijs seorsum quibuscum arctius copulati sumus debitam negare nemo queat.

Equidem tribus hisce rationibus SS. Patrum autoritate præfultis ad Librum hunc de Frequenti Communione conscribendum adductus sum; eòque vehementius commotus, quod quæ singulæ satis valere debuerant, simul in hoc tempore conjunctæ in me quodammodò incubuerunt.

II. LIBRI HVIVS INSTITVENDI CAVSA.

Cum non ita pridem illustris quædam & lectissima fœmina singularibus & eximijs gratiæ muneribus à Deo acceptis, solidæ ac verè Christianæ pietatis officijs memorem animum præstare illi conaretur: venit in illius manus certorum hominum operâ Commentariolum ea mente concinnatum, vt à vitæ via, quam Deo duce ingressa erat, velut periculis & erroribus implicata deterreretur. Quæ cum certum exploratissimumque haberet, nullum esse in cœlum iter eo directius, quod Christus dictorum, factorumque suorum quasi vestigijs impressum præmonstrasset, non sine animi commotione intellexit, Scriptionis illius autorem eò collineare, vt ab

arctâ Euangelij viâ alios auerteret; vt per speciem frequentis Communionis suadendæ, necessarias ad eam præparationes, quibus demptis cœlestis ille cibus ex SS. Patrum sententia in venenum commutatur, funditus tolleret; vt non omnes solum promiscuè & indiscriminatim ad tremenda illa mysteria propelleret, sed & *eos qui sui ipsorum amore tument, ac seculo stupendum in modum addicti sunt* ad intimam ac familiarem Christi in Eucharistia latentis vsum ac societatem idoneos censeret. Manifestissimè denique id vnum agere, vt pœnitentiæ obtrectaret; sanctissima quæque illius munia quasi Ecclesiæ vsui contraria deleret; illius praxin & disciplinam temerariam atque ab erroris fonte manantem fingeret; & illorum qui ad eam alios vocent consilium in perniciosi commenti, atque in *Diabolici stratagematis* loco numerandum persuaderet.

Cæterùm etsi pro cognitionis luce diuinitus sibi concessa tam deuiæ doctrinæ flagitia satis ipsa per se dispiceret, ac pro insitæ pietatis zelo eâ, quâ par erat, animi virtute auersaretur; diuinæ tamen veritatis amor ac studium impulit, vt contumeliam quâ violata ea fuerat, propulsari & dilui cuperet. Ad hæc viuendi normam quâ cœlestium munerum vim se adeptam existimabat, grato ac pio animo prosequens, cum illam Scripto isto indignis modis proscissam videret, grauissimam, sanctissimamque doctrinam, quam non solum natiuo mentis acumine,

ſed & ſuâ ipſius experientiâ omnibus qui ad Deum ex animo ſeſe referre ſtudeant in primis fructuoſam ac ſalutiferam intelligebat, publica reſponſione expediri atque illuſtrari ſibi non mediocriter expetendum cenſuit.

Ego verò cum ſchedam illam ad me hoc modo delatam accepiſſem, hæſiſſe me repentè fateor, atque à refellendæ illius conſilio nonnihil refugiſſe. Non enim eram neſcius reſponſionem meam pro animorum varietate in varia exiſtimantium arbitria venturam, ac ſubuerebar ne rem tantam plerique, vt Auguſtini verbis vtar, expenderent potius præiudicio conſuetudinis, quam iudicio veritatis.

Verum ad has communes cauſas, quibus nec diuiniſſimæ doctrinæ, ſacræ omnis Antiquitatis conſenſu roboratæ, quam impunè proteri ac ludibrio haberi videbam, patrocinium defugere ſinebar; atque ad perſonæ illius rationem quæ doceri ſe de illa certioremque fieri poſtulabat, cuius pietas ac laudabile ſtudium pluris etiam apud me eſſe debuit, quam generis ſplendor ac præſtantia; alia quæ me propius attingeret, neceſſitas acceſſit. Nam cum animo reputarem, Illuſtriſſimos Antiſtites, cum Eccleſiaſticæ doctrinæ tuendæ munus nobis tradidere, vt ipſi accepere à Chriſto; quibuſque iccirco inferioris miniſterij lege ſubeſſe & obſequi debemus, ſicut ipſi Chriſto ſubſunt & obſequuntur; eodem tempore nos veritatis vſque ad ſanguinis effu-

sionem patrocinium suscepturos ad aras Martyrum solenni iureiurando profiteri voluisse: faciendum mihi in hac causa existimaui, vt Deum hominesque contestarer, me non perfunctoriam, sed ex animo & summa fide susceptam sponsionem illam iurisqueiurandi religionem adhibuisse. Si enim fidem homini datam fallere est nefas: quanto magis quam Deo ipsi ante aras publica testificatione Angelis atque hominibus inspectantibus dederis?

Qui Doctorum lauream Lutetiæ accipiunt, ad B. Virginis iureiurãdo adiguntur, Veritatem asserturos *vsque ad effusionem sanguinis.*

Quare nemo opinor non æquissimum fatebitur, nos impositi muneris officio pro virili respondere conari: nec laboranti veritati, cui solenni sacramento sanguinem & caput deuouimus, vocis & orationis opem negare. Quamobrem magna me spes subiit fore, vt cum Deo autore & auspice responsionis huius laborem, non iam iustum modo, sed etiam necessarium susceperim, diuinæ illius prouidentiæ obsecutus, quæ me tot rebus rationibusque velut obstrinxit, mentem meam suâ luce ipse moderetur & regat; ne vel prudentiæ & æquitati in homines, vel sincero inuictoque veritatis amori desim, sed media inter vtrumque regione progrediar. Atque hanc ipsam in quam ita delatum me sensi sacræ doctrinæ vindicandæ necessitatem, lumen quod alijs impertiar mihi ipsi à diuina benignitate allaturam confisus sum, maximi Ecclesiæ Doctoris voce illa fretus: *Sæpè officium impertiendi, meritum est accipiendi.*

Aug. Epist. 132.

III. ADVERSARIVM SCRIPTI SVI FVNDAMENTVM IN ANTIQVITATIS AVTORITATE ET CONSENSIONE COLLOCASSE.

Præter has tot cauſas grauiſſimas, illâ etiam me non leuiter impulſum fateor; quod is quem refellere inſtitui, caput illud longè maximum & præcipuum, quo Eccleſia ſeſe ab omnibus vindicat erroribus, vltrò agnoſcit, eoque veluti fundamento omnem præfulcit ſuam orationem: *Nullam eſſe certiorem regulam, quâque facilius vel in hac de frequenti Communione quæſtione, vel in alijs omnibus errorem effugere poſſimus, quàm ſi ſtudiosè attendamus, quid Antiquitati, Sanctorum Traditionibus, & priſcis Eccleſiæ moribus atque inſtitutis conueniat.*

Ita enim hoc vnum mihi in reſpondendo negotij fore intellexi, vt Aduerſarij placita ad normam illam ſanctiſſimam & incorruptiſſimam, quam ſibi ipſe initio propoſuiſſet, exigerem; non me alios inſtituendos, ſed SS. Patrum inſtitutiones ex ipſorum monimentis eruendas aggreſſurum; nec doctoris præſtiturum eruditionem, ſed diſcipuli fidem: vt quemadmodum corpora opaca & lucis expertia, ſi à ſole colluſtrentur, fulgorem acceptum reddunt, foraſque reſpergunt; ita ego lucem alijs refunderem, non à me depromptam, ſed à ſplendidiſſimis Eccleſiæ Doctoribus hauſtam, quorum Deus mentes vt terris omnibus ac ſeculis longè lateque collucerent, æternis ignibus accendit.

Atque hæc quidem Aduerſarij norma eò faciliorem mihi ad hanc reſponſionem ſuſcipiendam, atque expeditiorem viam dedit, quod

controuersiam, quæ vna molestissima & impeditissima fore videbatur, statim expedit ac dissoluit. Prorsus enim declarat, etiamsi vsus pœnitentiæ, qui nunc apud fideles increbuit, alius sit, ac qui olim in Ecclesia frequentabatur, non continuò temeritatis damnandum, vt aduersario placuit, imo summo honore ac veneratione dignandum, quem totius Antiquitatis consensus, duodecim amplius seculorum praxis, omnium SS. Patrum doctrina, Canonum denique ac Conciliorum omnium, quæ de pœnitentia quippiam decreuere, perpetua autoritas probauit & sanxit: quem nulla vnquam ætas, nulla Synodus, nulla lex aut improbauit, aut aspernata est; vniuersis contra ad eius obseruationem, aut vbi defluxerat, vindicandam; aut vbi vigebat, retinendam; aut vbi omninò euanuerat, restituendam consentientibus.

IV. INSCITIA ET PVGNA INTESTINA SCRIPTI QVOD REFELLIMVS.

Quare totâ Operis huius serie declarabitur, quâ audaciâ schedæ illius Scriptor asseruerit: *Nunquam fuisse Ecclesiæ morem, vt pluribus diebus ante Communionem pœnitentiæ incumberetur. Intermissione Eucharistiæ nihilo digniorem illâ quemquam fieri; & ab eo qui per reuerentiam à Communione secedat, non majorem Sanctissimo Sacramento cultum honoremque deferri.* Planissimum namque faciemus pronuntiatis eiusmodi S. Dionysij, Tertulliani, Cypriani, Paciani, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, Theodoreti, Gennadij, Cæsarij, Gregorij, Isidori,

Eligij, Iuonis Carnotenſis, & Bernardi conſtantem ſenſum ac verba clariſſima labefactari, Conciliorum autoritatem ſubuerti, Summorum Pontificum decreta infringi, nec ijs patrocinari quemquam, aut ſuffragari poſſe, quin Deo ipſi quodammodò bellum indicat, & ea quæ per tot illuſtrium Doctorum ora effundit, fallaciæ ac vanitatis damnet oracula.

Quod autem addit: *Etiamſi moris olim fuiſſet, vt pœnitentiæ dies aliquot ante Communionem impenderentur, nunc tamen idem cum præſenti Eccleſiæ repugnet, ſine temeritatis nota fieri non poſſe;* demonſtrabimus vſum illum & praxim Conciliorum Senonenſis, Auguſtani, Mechlinienſis, Colonienſis, Bituricenſis, Cardinalis Gropperi, Mariani Victorij illuſtris in Italia Epiſcopi, Scholaſticorum, & Moralium Theologorum, Cardinalis Baronij, Litterarum Apoſtolicarum à Summis Pontificibus varijs de cauſis aſſiduè ſcriptarum, maximèque Concilij Tridentini ac Mediolanenſium S. Caroli Borromæi Conciliorum autoritate ac teſtimonijs conſeruatam poſtremo etiam hoc ſeculo fuiſſe, ac conſtabilitam; vt qui diſciplinam tam Sanctam tot SS. Patrum, tot grauiſſimorum Autorum, tot Conciliorum, tum veterum, tum recentium perpetua conſenſione firmatam, pro *incœpto temerario ac maligni Spiritus ſtratagemate* traducere damnareque auſit, eum omninò & confidentiæ pleniſſimum, & eruditionis inaniſſimum eſſe oporteat.

Quanta

Quanta vero flagitiorum istorum accessio, & quam aperta hominum ad rerum diuinarum despicientiam inductio est, quod eos qui eximiam & singularem in diuinissimum Sacramentum reuerentiam adhibent arguere non contentus, *quoslibet etiam gratiæ inanissimos, seculo prodigialiter addictos, ac sui ipsorum amore feruentes* ad tremendum illud mysterium sine vllo discrimine immittit? Sine gratia ac Spiritus Sancti impulsu vniuersâ in publicis orationibus Ecclesiâ teste, nihil in homine innoxium est. Amicitia mundi Apostolo Iacobo Dei inimicitia est: Amor sui ipsius diuinissimo Paulo omnium criminum fons est: Tamen à gratia alienissimus quisque, & mundi, suique ipsius amore redundans ad cœleste illud diuinumque epulum fruendum præclarè comparatus esse videbitur? Ita prorsus liquet, Scriptorem istum non minus hoc loco à suis quam ab Ecclesiæ sensibus desciscere, qui cum in principio ratum fixumque esse illud voluerit, *Nullam esse certiorem regulam, quâque facilius vel in hac re, vel in alijs omnibus errorem effugere possimus, quàm si studiosè attendamus, quid Antiquitati, Sanctorum Traditionibus, & priscis Ecclesiæ moribus atque institutis conueniat*, nunc ijs qui disciplinam animorum ad Eucharistiam præparandorum vniuersæ Antiquitatis ac Traditionis Ecclesiasticæ autoritate fundatam sequi voluerint, temeritatis crimen impingere non dubitet.

Iac. 4. v. 4.

2. Tim. 3. v. 2.

V.
EIVSDEM PONDERIS PATRVM AVTORITATEM ESSE OPORTERE, DVM NECESSARIAM AD EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM PRÆPARATIONEM PRÆSCRIBVNT, AC DVM EIVS NATVRAM EXPLICANT.

Quis tandem non ſtupeat, cum Catholicis omnibus neceſſariò adhibenda ſint aduerſus hæreticos SS. Patrum præſidia, quibus Sacramentum iſtud, non rem ſanctam, vt illis placet, ſed Sanctum Sanctorum, Deumque ipſum ſub rerum viſibilium ſpecie inuiſibiliter deliteſcentem habendum comprobent; iſtum, vbi de affectione animi ad tantum myſterium afferenda quæritur, nos ab iiſdem illis Patribus audiendis abducere, dum quos illi à diuinis altaribus iure depellendos ad annos complures cenſuiſſent, hos ipſe eodem ſine vlla dubitatione propellit?

Si hæreticos Baſilio auſcultare iubeamus ſcribenti, *Qui Euchariſtiam ſumunt, corpus Chriſti contingere*: Cur eidem non & nos auſcultemus ſcribenti, *Oportere vt quiſquis accedit ad corpus & ſanguinem Domini in commemorationem eius qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, ſe peccato, mundo, ac ſibi mortuum exhibeat*?

Baſil. Lib. 2. de Baptiſ. q. 3.

Idem, Lib. 1. de Baptiſ. c. 3.

Si eos Ambroſio auſcultare iubeamus ſcribenti, *Panem eſſe ante verba Sacramentorum; ſed vbi acceſſerit conſecratio, de pane fieri carnem Chriſti*: Cur eidem non & nos auſcultemus ſcribenti, *Mutare vitam debere qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutat vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipſa corrumpitur, quam ſanetur: magis occiditur, quam viuificetur?*

Ambroſ. de Sacr. Lib. 4. c. 4.

Idem, Serm. Dom. 4. Aduentus.

Si eos Chryſoſtomo auſcultare iubeamus ſcribenti, *Hanc menſam cœli ac terræ ſupremi Regis eſſe menſam, cui Angeli miniſtrant, & in qua Rex*

Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor. & alibi paſſim.

ipse videndum se exhibet, neque videndum modò, sed etiam contrectandum ac degustandum : Cur eidem non & nos auscultemus scribenti, *Qui hoc honore dignantur, vt mensæ regiæ accumbant, & pocula tangant regia, formosos esse oportere, & mentis pulchritudine præditos, auro fulgentes, ac pura veste amictos. Neque hanc gracculorum mensam esse, sed aquilarum, hoc est, animarum sublimium, & in cœlum herectarum, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ indesinenter sursum euolent, ipsumque iustitiæ solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur?*

Idem, hom. 17. in ep. ad Hebr.

Idem, hom. 24. in 1. Cor.

Si eos Augustino auscultare iubeamus scribenti, *E nostris altaribus dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis :* Cur eidem non & nos auscultemus scribenti, *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi : sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit ; quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt?*

August. Confess. Lib. 9. c. 13.

Idem, Tract. 26. in Ioann.

Si igitur tantorum virorum testimonia ad Sacramenti huius veritatem aduersus hæreticos qui eam conuellunt, valere credimus : quî minus

eadem ad dignam & neceſſariam eidem Sacramento præparationem aduerſus Catholicos qui eam labefactant, valere credamus? Si Hæreticos illa accipere volumus: quidni hæc ipſi accipimus? An Eccleſiæ Patrum apud Eccleſiæ hoſtes, non apud Eccleſiæ filios pollere debet autoritas? Si Scripturarum doctrina eorum Libris expreſſa idonea tuendæ fidei arma ſuppeditat: quidni etiam rectam vitæ inſtituendæ ac componendorum morum rationem normamque ſuppeditet?

Eſt vero perſpicuum ex eo quanta ſit Sacramenti cuiuſque præſtantia, metiendum eſſe præparationis illo dignæ modum; velut quanta principis & priuati hominis eſt diuerſitas ad eam accommodatur diuerſa vtriuſque adeundi ratio. Quare præparatio hæc Theologorum conſenſu fixa eſt & immutabilis, quandoquidem cum immutabili Sacramenti ipſius ſubſtantia intimo & naturali quodammodò vinculo conjuncta eſt. Quare ſi Sacramentum iſtud Chriſti tantum imaginem ac figuram gereret, vt hæretici contendunt, tantam vtique tamque ſingularem animi ſanctitatem nequaquam poſtularet. Cum vero Deum ipſum ſuo complexu contineat, vt aduerſus eoſdem hæreticos Scripturæ, Sanctorumque Patrum ineluctabili autoritate confirmamus, ac Deum immortalium animarum viuum immortalemque panem effectum, quid eum tam indignè & contumelioſè haberi patimur, vt homines Scripturæ & SS. Patrum iudicio

maculoſiſſimi, ab eoque immane quantum abhorrentes frequentiore terribilium illius altarium aditu digni pronuncientur?

Et quidem quod hæretici in Sacramentum ipſum moliti ſunt, hoc Scriptor iſte in præparationem ad Sacramentum adhibendam moliri videtur. Vt enim illi Sacramenti interiorem vim ac veritatem Eccleſiæ fide, ac perenni ſeculorum omnium traditione ſtabilitam funditus ſuſtulerunt, eam ad figuræ & ſymboli tenuitatem deturbantes: ita veram ille atque huic Sacramento congruentem animi præparationem eiuſdem traditionis, eorundemque Patrum teſtimonijs ſancitam temerè conuellere ac labefactare nititur, vt iam illius quam SS. Patres efflagitarunt, ſcriptiſque ſuis expreſſam reliquerunt, non niſi ſimulachrum inane vmbramque præ ſe ferat. Dummodò enim fronte atque vultu reuerentiæ ac venerationis illius ſpeciem oſtentet, quam illi infixam penitus animo atque inſitam volebant: dummodò externo pietatis cultu id præſtet, quod illi intimo ac ſincero Chriſti amore ac ſtudio præſtari iubent, præclarè admodum nouo Theologo ad frequentandam Communionem inſtructus videtur. Sat ſuperque eſt, ſi perditiſſimi illius inſtar Apoſtoli, Chriſto pacis oſculum foris admoueat, licet propediem, imo ipſo illo die ſit eum ſceleratè proditurus. Sat ſuperque eſt ſi amantis ore atque habitu ad eum accedat, quamuis ſeculi ſtudijs vniuerſum pectus ob-

ſtrinxerit. Satis denique habet, ſi Seruatorem labijs honeſtet, & labijs premat; tametſi cor eius non minus ab eo quàm cœlum à terra diſceſſerit.

VI. TEMERÈ DAMNARI, QVI A COMMVNIONE POENITENTIÆ CAVSA SECEDVNT.

Quis contrà eorum pietatem ac zelum non vehementer probet & maximi faciat, qui cum de reconcilianda cum Deo gratia ſeriò cogitent, amoriſque illius ſacroſanctum pignus toties à ſe violatum acerbiſſimè doleant, humilitatis ac pœnitentiæ ſubſidijs aliquantiſper ſeſe excolere & comparare contendunt, quo puriores ſe ad cœleſtem illam menſam religioreſque recipiant.

Non enim iam de hominibus plures annos à Communione excludendis (quod tamdiu in Eccleſia factitatum eſt) multo minus de ijſdem ad pœnitentiam publicam adigendis loquor: quibus de rebus in interiore libro erit diſputandi locus. Hoc vnum dico: Si quis acrioribus gratiæ ſtimulis incitatus, mores ſedulò emendare, atque in robuſtioris ſtabilioriſque pietatis gradu mentem collocare velit, & Confeſſiones Communioneſque præteritas vanas & inanes expertus, pœnitentiæ viam, quam Eccleſiaſticæ Traditionis vniuerſæ, noſtraque memoria Conciliorum S. Caroli, qui ſe Synodum Tridentinam ducem ſequi toties profitetur autoritate munitam intelligat, tentare denique ac viciſſim experiri optet: ſi à ſacra Communione quâ ſe indignum iudicat, quò ſanctior ad eam reuertatur, tantiſ-

per ſecedere ſtatuat: nefas vtique videri tam iuſto Chriſtianoque conſilio obſiſtere; præſertim ſi id agat animo pacis & vnitatis amante, neminem oppugnans, conturbans neminem, ſed conceſsâ ſibi ab Eccleſiâ libertate tranquillè vtatur, & porrecta ſibi ab illa remedia ad ſalutem adhibeat.

Quis enim prohibere auſit, ne pœnitentiam illam ſanctiſſimam, Conciliorum omnium autoritate commendatam, prætermiſſis innumeris ei per tot ætates in Eccleſia adjunctis atque obſeruatis, aliqua ſaltem ex parte referat atque æmuletur: ne priuatim faciat, quod illi palam ac publicè factitarunt: paucos menſes, quod illi plures annos: priſtinis vitæ munijs conſeruatis, quod illi ſæpius depoſitis: in ſeculo, quod eorum plerique extra ſeculum: in conjugali vita, quod illi, vt SS. Patres docent, conjugij vſu mutua conſenſione intermiſſo: cum poteſtate ad Sacrificium Miſſæ accedendi, quod illi à templo dum Myſteria peragerentur excluſi: denique peccatorum interiori dolore ac pœnitentiæ laboribus ad virium voluntatiſque rationem accommodatis faciat, quod illi in ſacco & cinere, in cilicio, ieiunijs, vigilijs, omnimodâ victus & cultus aſperitate, poſtremò gemitibus ac lachrymis aſſiduis agebant.

Si igitur ex omnibus antiquioris pœnitentiæ externis partibus vna penè à Chriſti corpore diſceſſio retineatur: SS. quidem Patrum iudicio

præcipua quod æternæ beatitudinis amissionem referat, hominum vero sensu facillima, quod nemo est cuius captum superet, animoque magis quàm corpori vexando idonea: vt tamen si vero Dei impulsu suscipiatur, ac piorum operum frequentiam, totiusque vitæ disciplinam æquabilem, constantiamque adjunctam habeat, complura pœnitentiæ operosioris officia, quibus præstandis vires desunt, supplere interdum valeat: quis temperationem æquitatemque tam commodam iniquius ac malignius interpretetur? Quo tandem ore Scriptor iste in eiusmodi homine damnare ausit, vel gratiam Dei quâ permouetur, vel peccatorum dolorem quo inceditur, vel Patrum doctrinam quâ instituitur, vel Conciliorum autoritatem quâ regitur, vel sanctissimi Cardinalis Caroli, totque Cardinalium & Episcoporum eius æqualium exempla quibus vindicatur & corroboratur? An singulari Dei munere tam piam religiosamque mentem assecuto aduersari, eumque his verbis è scheda sua depromptis appellare sustineat? Quæ te tandem temeritas agit, vt à sacra Communione te ipse dimoueas? Quid conturbas omnium animos? Quid offensionem omnibus paras? Quamuis gratiæ inanissimus, tui ipsius amore plenissimus, seculo prodigialem in modum adstrictus, noli vnquam à frequentanda Communione desistere. Ecquid attendis rationem istam ac disciplinam, quæ te sic affectum à Communione deterret,

terret,

terret, à Dæmonis arte ac ſtratagemate profectam, nec grauiorem peſtem ac perniciem Eccleſiæ incumbere vnquam potuiſſe? At vero, ſi vt nunc es, in frequentanda Communione perſtiteris, & rectiſſimè facies, & magno Deum honore cumulabis.

Quod ſi talibus verbis eum eſſet affatus, quibus illum ſcheda ſua quaſi voce affatur: nonne ille hæc ei contra iure ac merito reponeret? Hoccine tandem Chriſtiani eſt, nolle Chriſtianum quemquam quid doloris ob perruptas contumaciſſimè Dei leges capiat, Deo ipſi profiteri? Plures iam anni ſunt, cum vitæ meæ rationes ad eam normam quam præſcribis, & cuius prætermiſſæ me arguis, conferre non deſtiti. Confeſſionem identidem & Communionem adhibui, ſed Confeſſionum & Communionum iſtarum præſidijs animi mei prauitatem ac vitiorum impetus retardari ad dies pauculos non comprimi ac ſedari expertus ſum. Quod Eccleſia publicis precibus canit, hoc ego re ipſa comperi: Sacramentum iſtud alijs vitam eſſe, alijs mortem. Cum enim inſidente etiamnum in animo meo malarum cupiditatum æſtu, eò frequentius acceſſerim, ipſo vitæ meæ euentu perſpexi ſacratiſſimum hoc diuiniſſimumque medicamentum animæ meæ vulneribus venenum, non remedium extitiſſe.

Tandem ineffabilis Dei benignitas mentem meam ſui Spiritus inſtinctu, atque ineluctabilis

gratiæ virtute permouit. Vincula omnia quibus arctissimè illigatus tenebar, semel abrumpere atque excutere statui. Cumque ab Ecclesia Conciliorum oraculis, Sanctorumque quos postrema ætas tulit virorum exemplis, eam placandi propitiandique Christi rationem mihi traditam oblatamque animaduerterem vt ab eius corpore ad tempus recedens, sincera verioreque pœnitentiâ paratior eòdem redire conarer; inire illam ac tenere constitui: eo studiosius, quo alteram toties ne quicquam expertus, hanc indito mihi diuinitus affectui congruentissimam & conjunctissimam reperi. Ita [a] pœnitentiam appetere visum est, quæ peccatorum meorum grauitati quodammodo responderet: [b] Dijudicare meipse volui, vt ne à Deo dijudicarer: [c] Paulò seueriorem mihimet me facere, vt mitiore illo atque indulgentiore vterer: [d] A temporario Sanctuario paulisper vltrò cedere, ne ab æterno supremi Iudicis sententia inuitum exigeret.

a Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

b 1. Cor. 11. v. 31.

c Aug. ser. 34. de diuersis c. 10. Pacian. Paren. ad Pœnit.

d Aug. hom. 50. & serm. 52. de temp. Cæsar. hom. 13.

Quis tu igitur tandem es, qui donatæ mihi cœlitus gratiæ obstrepas: qui à vitæ via quam saluberrimam experimento meo sentio me auocare, vnicamque illam pœnitentiæ tabulam, quâ naufragus ad portum euadere contendo, mihi de manibus eripere audeas? An Dei missu aduenisti, vt Deo ipsi honorem habere me vetes, misericordiaq; illius, quam tot annos superbissimè contempsi, aliquot menses exorandâ majestatis eius fastigium agnoscere ac venerari prohibeas?

Si fidem Regi debitam prodidiſſem, ſi quid in ipſum improbè contumelioſeque deſignaſſem; omnium iudicio, quicquid agerem, quicquid molirer, ne toto quidem vitæ tempore, tantum ſcelus ſatis eluerem. Nunc non terrarum regem, ſed Cœli Dominum nefariè prodidi, fœdus diuiniſſimum, pactionemque ſanctiſſimam cum ipſo in baptiſmate initam diſſolui ac fregi, Chriſtum pedibus obtriui, in Crucem rurſus per memetipſum ſuſtuli, ludibrio & contemptui habui, ſanguinem eius, in quo ſanctificatus fueram, pollui, Spiritui gratiæ contumeliam feci, eumque in meipſo obrui atque extinxi: Et erit qui arguat me Deo quadantenus facere ſatis velle, maioriſque illius pœnitentiæ, quam tot ætates Eccleſia filijs ſuis imperauit, partem aliquam æmulari? *Hebr. 10. v. 9. Et 6. v. 6.*

Dum ita vixi, vt de Deo commodè nihil ſentirem; dum Chriſtiani adumbratum & inane nomen geſſi; dum diuiniſſima quæque Sacramenta contaminaui: qui vitæ meæ prauitatem reprehenderet, inuentus eſt nemo. Nunc vbi eximio gratiæ munere ad Deum referre me cœpi; vbi injurias illatas penſare, ſummorumque officiorum partem aliquam exoluere aggreſſus ſum; exoriuntur qui pœnitentiam meam reprehendant. Cur tum defuit accuſator, aut cur nunc demum exiſtit? An cum ſceleratiſſimus eſſem, innocens videbar: aut nocens videor, poſtquam eſſe deſij? Nemini vitæ meæ improbitas

offensioni fuit; pœnitentia sola offendit. Annos totos Communione quempiam carere, aut vertente anno semel eam attingere nulla inuidia est: mihi quod me ad fœdus cum Christo in Sanctissimo Sacramento instaurandum paucis mensibus accingam & comparem, Communionem deinde sacram pro eo quantum virtute pietateque processero frequentaturus, ab inuidia odioque abesse non liceat?

Si te tantus Ecclesiæ Dei amor ac zelus tenet, quin aduersus tot impietatum, tot blasphemiarum, tot fœnerationum, tot simoniarum, tot criminum, & flagitiorum publicas labes & corruptelas, quæ omnibus verè Christianis mentibus horrori sunt, vim illius atque aciem exeris? Quin in istos distringis tot Pastorum expostulationibus meritò vexatos, qui assiduè in Communionibus, assiduè in flagitijs versantur; qui in templo Angelorum panem, domi Ethnicorum vitam vsurpant? An nocentior est, qui sibi Christi corpus ob susceptа in eum crimina vltrò abjudicat, quàm qui insigni audaciâ vel impudentiâ præsumit, Deique mensâ tum se dignum censet, cum mentem perturbationum nube etiamnum obductam, cor libidinum flammâ æstuans gerit, quæ externo habitu quodam quasi cinere contecta erumpet primo quoque tempore, atque acrius quàm anteà & vehementius exardescet. Isne Christi rem agit, qui sacrilegis eum Communionibus dedecorantium cœcita-

tem vel fouet, vel diſſimulat; Eorum qui tam ſanctum ei honorem, Chriſtianamque pietatem præſtare contendunt, ſtudium oppugnat & premit? An pœnitentia quam omnis Scriptura commendat, omnia Concilia conſtituunt, omnes Sancti Patres docent, omnes Sancti viri moribus & factis expreſſerunt, nunc demum in exitiale quoddam malum, cœcumque venenum ab hominibus ſtudiosè auertendum repentè conuerſa eſt? An peſtilens morbus effecta, qui quos arripuerit, conficiat, alios capitali contagione inſequatur? An peccatorum dolor ipſo iam peccato periculoſior & inuiſior habendus, remedia vulnerum ipſis pernicioſiora vulneribus? An Deo ſatisfieri non licet, niſi vt apud homines offendatur, nec indignatio illius ſedari, niſi vt iſtorum commoueatur inuidia? An Deo impenſus honor illos vrit? An vnde Angeli Eccleſiaque in cœlis triumphans exultat, inde homines Eccleſiaque in terris militans perturbatur & gemit?

Tene eò proceſſiſſe, vt ſanctiſſimam vitæ inſtitutionem *diabolicæ artis & maligni ſpiritus ſtratagematis* appellatione afficeres; cum ego qui grauiſſimo dominatus ac tyrannidis illius iugo adhuc oppreſſus iacui, nunc cupiditates meas miteſcere, vitiorum conſuetudinem leuari ac minui ſentiam, paucorumque menſium pœnitentiâ id aſſecutus ſim, quod plurium annorum communionibus aſſequi nunquam potui?

Quanto magis verendum eſt, ne quod affers, *occulta ſubtilis inimici graſſatio ſit*, in id vnum incumbentis, vt *priſtinis rurſum flagitijs inuoluamur, vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat, vt delicti memoria vaneſcat, comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum grauiter offenſum longâ & plenâ pœnitentiâ deprecemur.* Si alijs me imitari non libet, damnare ſaltem parcant. Pacem ac moderationem quam in ipſos adhibeo, adhibeant in me: nec ampliſſimæ illius Catholicæque charitatis vim retundant, quâ omnes vnà colligati ſumus, quæque non minus aliorum bonis, quàm ſuis lætatur & exultat.

Cyprian. de lapſis.

Quis vero vbi huiuſmodi hominis adeo laudabile propoſitum, adeo Chriſtianum tantaque omnis Eccleſiæ Traditionis autoritate probatum conſilium perſpexerit, piam ac religioſam ipſius voluntatem, fauore ac beneuolentiâ non proſequatur? Quis pœnitenti Euangelicum illum Publicanum imitandum neget, qui ne eam quidem templi partem, quam Sanctum dicebant, aſpicere ſibi fas duxit, ne dum Sanctuarium vbi Deus ſuper Arcam ſedem fixerat, quemadmodum nunc in altaribus noſtris conquieſcit? Quis eum Chananææ à Chriſto ipſo deprædicatam humilitatem conſectari vetet, quæ ſe pane filiorum indignam pronuncians, ſolis micis è menſa defluentibus, hoc eſt, verbi cœleſtis pabulo refici cupit? Quis eum denique pœnitentiæ Petri ſimilitudinem imitari prohi-

beat, quem notat Ambrosius non euestigio à Christo quem offenderat, efflagitare ausum, vt sibi crimen condonaret, *ne tam citò veniæ petitio plus offenderet*, ac maluisse *lachrymis veniam mereri, quàm verbis postulare*; ne dum vt ad Christum accedere, ac Sacrificio Crucis adesse vellet, cui Beatus Ioannes interfuit, purissimarum & innoxiarum mentium quæ nunc ad idem incruentum sacrificium præsto sunt, imaginem adumbrans.

Ambr. Comm. in Luc. lib. 10.

Ac tanti Apostoli humilitatem Paulus quem vnà cum illo in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum lumen oculorum S. Leo constituit, postmodum est imitatus, dum paulo post susceptam baptismatis gratiam, vt peccatum suum ab vniuerso Ecclesiæ cœtu seclusus defleret, in Arabiæ deserta loca se contulit. Cum enim quid illic egerit, minus constet, pœnitentiæ studio eò profectum, cum Interpretibus quibusdam sentire ad veritatem propensius videtur: vt Christi, qui statim à baptismate ob eandem caussam in solitudinem abiit, preclarus æmulator existeret. Ita in duobus supremis Ecclesiæ verticibus qui vnicum efficiunt, pœnitentiæ qualis hoc in opere à nobis descripta est, illustriorem atque expressiorem formam intuemur.

VII.
IN EOS QVI COMMVNIONEM IGNAVA, IRRELIGIOSAQVE MENTE DEFVGIVNT.

Nec vero hæc de pia tantisper à Christi corpore secedendi ratione quo sanctiorem sibi ad eum anima reditum paret, ita dicta velim, vt supinæ ac flagitiosæ eorum negligentiæ indulgeam, qui hunc pietatis colorem ac fucum, ad

declinandam fugiendamque communionis frequentiam prætexere velint, quodque alij altissimæ humilitatis sensu, nec ardenti minus quàm verecundo in Christum studio faciunt, id tempore illo cui Scriptura diuina summi supplicij terrorem intentat, efficere cupiant.

Apocal. 3. v. 16.

Sicut olim baptismus à Christianis duplici ratione differebatur: altera Ecclesiæ probata, cum tempus omne ad animum pijs omne genus operibus instruendum ornandumque conferebatur: altera Ecclesiæ inuisa, cum baptismi susceptio eo consilio in longum ducebatur, vt interea licentiori vitæ, mundanisque delitijs, quas post baptismum seuerius interdictas constabat, securius indulgeretur: Simillimè Communionis differendæ consilium aliud Ecclesiæ placet, si quis ita intermittat, vt ad eam sibi veræ pœnitentiæ fructibus receptum quærat: alterum Ecclesia repudiat, & auersatur, si à rerum diuinarum incuriâ ducitur, & obliuione ac duritie, quam adeò formidandam & capitalem nouit, vt ad eam fidelibus eripiendam nihil intentatum relinquat, quod hæc pestis ad impietatem & vniuersum Religionis interitum apertè grassetur. Ab illo enim æternæ vitæ pane non aliter discedere fas est, nisi quemadmodum à mari fluuij recedunt, qui cum maxime illinc digrediuntur, eòdem aliunde properant, vt vno tempore & recedere & accedere videantur. Qua ratione canones pœnitentes *ad salutaria sacra fideli affectu contendere*

Concil. Vasense. can. 2.

dere aiunt, etiam tum *cum̃ ſe indignos ſalutiferis myſterijs iudicant*: ex quo ſatis intelligitur ad Euchariſtiam tendi cum ab ea receditur.

Qui ergo talem Euchariſtiæ intermiſſionem pœnitentiæ ſtudio ſuſcipere, & Patrum in eam rem monita ſequi velit, dolore intimo angatur neceſſe eſt, quod Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento cum alijs particeps eſſe non valeat. Adæ ſupplicium ſibi proponat oportet; ab Eccleſiæ altaribus, vt illum à paradiſi delicijs, ſe pulſum cogitans; atque à pane vitæ, vt illum ab arbore vitæ, qui Euchariſtiam adumbrabat, excluſum. Atque, vt præclarè Auguſtinus: *Verſari debet ante oculos eius imago futuri iudicij, vt cum alij accedunt ad altare, quo ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, quâ percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.* Quod ſi apud inferos damnatorum acerbiſſima vna pœna eſt, flammarum etiam quouis cruciatu vehementior, ſempiterna à Deo dijunctio: nonne Chriſtiano homini ſummum omnium in terris dolorem afferre debeat ab eodem Deo ſegregatio, vniuerſaſque ſenſuum ærumnas & pœnitentiæ diritates obruere?

Aug. de Geneſi ad litt. lib. 11. c. 40.

Aug. hom. 50.

Vt enim vitæ huius bonorum maximum Chriſti corpore frui: ita malorum maximum eodem orbari, ac priuationem hanc omnium quas pœnitentibus imponi liceat pœnarum grauiſſimam ſemper habuit Eccleſia. Cui concinit eximia Chryſoſtomi vox: *Vnus ſit nobis dolor hac*

Chryſoſt. hom. 14. in 2. Cor.

Basil. in Ep. ad Amphyloch. can. 84.
Aug. Enchyr. c. 65.
Iuo Carnot. Ep. 230.

escâ priuari. Et vero SS. Patres & canones intimo potius animi dolore & sensu quàm afflictationum exteriorum acerbitate pœnitentiæ vim ac magnitudinem expenderunt. Cuius rei duo illustria exempla edidit posterior ætas. Alterum in S. Vincentij Ferrerij : alterum in Cardinalis Vitriaceni Vita expressum.

Quapropter si qui ad cœlestem illam mensam, hostiamque terribilem, vt Patres loquuntur, dignis tanto, tamque diuino munere præsidijs destitutus accedat, grandi peccato se obstringit : qui ab eadem per Ecclesiæ & Canonum leges repulsus, illius restitutionem sedulo & constanti labore promereri non nititur, non minore in culpa est, atque haud scio cum vterque in extrema inciderit, vter nocentior sit habendus. Ille violati corporis & sanguinis Christi reum se statuit, ita ea suscipiens vt polluat & incestet, hic corporis & sanguinis eiusdem vim sibi omnem ac fructum extinguit ; animam ipse suam sic incestans & polluens, vt ea suscipere non possit. Ille, teste Apostolo, *iudicium sibi manducat & bibit, corpus Domini non dijudicans*, neque à vulgari & quotidiano cibo secernens : hic Iudicem ipsum respuit & aspernatur, dum ei carnis suæ epulum quo reficiatur offerenti, cordis sedem parare detrectat Illum Euangelium damnat in eo qui sine nuptiali veste regale conuiuium ingressus in tenebras exteriores, hoc est, in Inferorum barathrum detruditur : hunc in ijs qui postquam

1. Cor. 11. v. 29.

ad conuiuium idem inuitati ire abnuerunt, illam à Christo vindice retulerunt sententiam, *neminem eorum cœnam ipsius gustaturum*, hoc est, paradisi delicijs fruiturum. Luc. 14. v. 24.

VIII.
NON PROPOSITVM ESSE HVIC LIBRO, VT A FREQVENTIORI COMMVNIONE QVEMQVAM AVERTAT.

Equidem corpus suum conspicui atque visitati panis specie velatum Christus nobis porrigendum statuat, vt ipsis rerum externarum symbolis & documentis quâ ratione ac modo adiri se in hoc Sacramento vellet, demonstraret. Vt corporum panis terrenus, sic animarum cibus est panis ille cœlestis. Atque vt sine pane terreno corpora, ita sine cœlesti hoc pane animi debilitantur & languent. Cæterum etsi quotidianus panis tantum vtilitatis habeat, non minus tamen saluti officere possit, qui vtatur illo, quàm qui non vtatur. Si enim extremâ imbecillitate fractus vtitur, imbecillior fit, nec solum nihil fructus ex eo capit, sed etiam detrimenti plurimum. Rursum si in eiusmodi imbecillitate nihil de reparandis ad eum vescendum viribus laborans humorum vitia causamque morbi vltrò aluerit, ægritudinem non grauiorem modò, sed & insanabilem efficiet.

An tam obuia notaque imagine non perspicuè intelligitur posse interdum vtiliter à cœlesti hoc Sacramento discedi, tametsi tendere ad illud semper ac progredi oporteat? An vero quicquam vel veritati, vel supremæ quæ Christo ad altaria debetur venerationi magis aduersarium fingi potest, quàm abstrahi à Communione

fideles, dum veræ vtilitatis ad Dei honorem & salutem suam ex communione percipiendæ rationem & viam Sanctorum Patrum autoritate & consensu docentur? An ab Eucharistia abducit, qui iter quo ad illam pergant, commonstrat, eamque omnibus pœnitentiæ operibus finem ac præmium proponit? Quis medicum arguat, necessarium vitæ alimentum eripere, quod morbo laborantibus solidiorem cibum non præbeat? Quis vitio dederit, quod amaris quibusdam potionibus morbi fomitem & causam antea exhauriri iubeat? Quis denique criminetur, quod panem infirmis subtrahat, quem valentibus porrigit, dum illo vt valentes valentiores, sic infirmos infirmiores fieri cogitat?

Quis Imperatorem milites à pugna deterrere insimulet, quod confectos vulneribus sanari primùm iubeat, vel etiam reficiendarum virium causâ è castris emittat? Nonne contra in culpa sit, si ita affectos ac debiles objiciat hosti, & quod eis animi ac virium superest ad languorem potius minuendum tollendumque non conferat? Nonne Gedeoni à Scriptura diuina laudi datum est, quod ignauis ac timidis omnibus dimissis trecentos solos milites ad petendum hostem debellandumque selegerit? Quod si figuræ veritatem adjungere placet, nonne Christiani trecenti fidei ardore succensi plus Ecclesiæ ornamenti ac decoris afferant, quàm tricies milleni ignauæ Gedeonis turbæ similli-

mi? Quæ quidem comparatio eo verior videri debet, quod Christi corpus perinde ac telum, & gladius quo omnes tum externorum, tum internorum hostium expugnandæ sint copiæ, ab Ecclesia semper est habitum. Quocirca si quando accidisset, vt pœnitentes tantam charitatis ac pœnitentiæ flammam conciperent, vt martyrio etiam sese obijcere vellent, atque hoc animi propositum facultatum omnium derelictione testificarentur, Ecclesia cœlesti eos Eucharistia in antecessum impertiebat, vt ad certamen quo non veniam modò, vt ait Cyprianus, sed & coronam adepturi erant, armatos munitosque dimitteret.

Cyprian. in fine Tract. de lapsis.

Non igitur à cœlesti Sacramento auocat, qui ad illud accedere docet, debitæque illi religionis ac reuerentiæ sensum animis inserit, maxime si quos ab Eucharistia velut à solidiori alimento submouet, ijs alium eorum infirmitati congruentiorem & pœnitentibus alendis idoneum cibum sufficiat, quem in hoc opere deinceps exponemus, ne omni penitus demptâ alimoniâ, non ad sanitatem, sed ad interitum veniant.

Omninò cunctis animarum Rectoribus propositum esse debet, eò illas perducere, vt quæ Communione prorsus careant, vti ea incipere; quæ rarius vtantur, frequentius vti; postremò, quæ vtantur frequentius, iam etiam quotidie illa vti valeant. Quod si in Esdræ Libro maximus ille Pontifex autor est populo, vt quotidie tria

Esdræ 2. c. 9.

quater faciat: adoret, id eſt, Deo preces offerat; peccata confiteatur; & diuinos Libros legat: nos ad Communionem toties, ſi fieri poſſet, iterandam Chriſtianos non inuiti hortaremur, ne dum vnicam illam eis eripiamus quotidianam Communionem, quæ in votis vnicuique eſſe debet, propterea quod Chriſtiani hominis is demùm apex, eaque perfectio eſt, poſſe Chriſtum primariæ Eccleſiæ fidelium inſtar quotidie ſuſcipere, atque intimis complecti viſceribus.

Hoc tandem faſtigio ac fine ſupremo cumulatur ſanctarum conſummatarumque mentium eximia virtus & perfectio, velut, præter alia, nuper declaratum eſt religioſiſſimæ illius Viduæ exemplo, quam in ſeculo genere, honoreque ſpectabilem, extra ſeculum ſpectabiliorem fecit egregia virtus ac ſanctitas, cui B. ille Epiſcopus Geneuenſis quotidianam Communionem indulſit, cum in eius animo robur ac puritatem tam frequenti Angelici panis vſui parem perſpexiſſet. Quod ſi verus ac natiuus rerum ordo ſpectetur, Communionem frequentiorem maioris virtutis, rariorem tenuioris notam & argumentum dicere licebit, & qui diſpares iſtos obtineant gradus perinde inter ſe comparari, vt duo corpora quorum alterum firmum ac valens ſit, alterum perpetuo languore depreſſum.

IX. DE IIS QVI IN POENITENTIÆ HVMILI-

Quin & confirmare auſim, eſſe qui peccatorum laqueis quibus annos complures irretiti fuerant, tandem expediti, diuinæ gratiæ amoriſque

pœnitentiæ adeò vehementi impulſu mouentur, vt acerbiſſimum quem ex Deo peccatis ſuis ſpreto ac violato capiunt dolorem Communione quâ ſe indigniſſimos iudicant, ad vitæ exitum dilatâ teſtari ſibi fas eſſe exoptent, eoque pacto admonitioni vel imperio potius Ambroſij ad Virginem lapſam parere, cui & Serapionem pietate ſingulari hominem Dionyſius Alexandrinus paruiſſe narrat apud Euſebium, cum ſuperiore omni vita religioſè traducta fidem in tormentis ad extremum abjeciſſet. Quod ſi diſciplinam adeò ſanctam, in quam Eccleſia inſtitutis moribuſque florente tantam fidelium multitudinem Dei Spiritus induxit, ſibi ſic affectis perſequendam tamen non cenſent, hominum maxime ſermones ac iudicia verentur, quorum ea mens eſt & indoles, vt pœnitentem animum re & chariſſima ſibi & longè optatiſſima tandiu carere poſſe ne cogitatione quidem aſſequantur. Cæterum hominis ſenſus diuino ſenſui nuſquam vehementius obluctetur, quàm ſi genus illud pœnitentiæ damnare non dubitet, à Chriſto ſuorum cordibus toties immiſſum comitemque illius altiſſimam humilitatem, pudoremque ac ſuffuſionem illam animi quâ longè certius & efficacius quàm cæteris quibuſcumque operibus à pudore illo quem Chriſti corporis interdictio affert ſejunctis placatur & propitiatur Deus. Quod ſi cui forte peccatis grauioribus lapſo, ſanctiſſimam eiuſmodi affectionem ac

TATE AD OBITVM VSQVE IACERE OPTENT.

Euſeb. Hiſtor. lib. 6. c. 36.

mentem Deus injecerit, is, si me audiat, pium religiosumque hoc votum pro eximio diuinæ gratiæ munere intimis præcordijs complectetur ac fouebit, Communionem tamen cum alijs de causis, tum ne quid singulare & insolens aucupari videatur, frequentius adire non grauabitur.

X. NON ESSE DAMNANDOS, QVI COMMVNIONEM POENITENTIÆ STVDIO INTERMITTVNT.

Quanquam de affectione ista minime vulgari, ac vel penes veros germanosque pœnitentes rariore dicere nunc mihi non est consilium. De ijs duntaxat disserendum mihi esse constitui, qui ab Eucharistia, vt ad eam puriores flagrantioresque redeant, tantisper secedunt: quorum imitatio si minus omnibus fortasse arrideat, quis tamen tantum pietatis munus damnare sustineat, propterea quod ad illius vsum adduci non possit? Quis lucem commodam ac iucundam neget, quod oculorum interdum aciem vincat? Quis præstantissima ipsa remedia salubria infitietur, quod languenti corpori minus aliquando conueniant? Quis panem succidum almumque abnuat esse, quod nauseanti stomacho sapidus non sit? Optima quæque non omnibus accommodata sunt; omnibus tamen probari debent. Quibus qui obtrectare vel ignoratione veri, vel obscurâ æmulatione, vel interioribus vtilitatum suarum stimulis perstricti cœperint, non immeritò illius Ambrosianæ vocis vim formident & horrescant: *Frustra opem misericordiæ cœlestis expectes, si alienæ fructibus virtutis inuideas. Aspernator enim Dominus inuidorum est, & ab ijs qui*

Ambros. Lib. 4. in Luc.

diuina

diuina beneficia in alijs perſequuntur, miracula ſuæ poteſtatis auertit.

Quid igitur à Chriſtiani, qui proximum vt ſeipſum, Deum plus etiam quàm ſeipſum diligere debet, pietate & charitate alienius, quàm eam inſtitutionem quæ ad Dei gloriam & proximi ſalutem tota pertinet, oppugnare; quàm vniuerſæ Eccleſiæ offenſiones ac ſcandala ibi comminiſci, vbi omnia ad Eccleſiæ vtilitatem ſalutemque conſentiunt; quàm fabulis inanibus tetriſque figmentis occupare ac territare eorum animos, quibus hominum tam præclarè de Religione ſentientium vitæ ratio minus comperta eſt, vt dum toti in receſſu ac ſilentio colendo demerendoque Deo ſtudent, perturbationes, tumultuationeſque illas ipſas quæ in eos ab alijs commotæ ſunt, vltrò commouiſſe videantur. *Bonæ res, neminem ſcandalizant, niſi malam mentem. Agnoſcant malum ſuum qui de tali bono ſcandalizantur.* Tertull. de Virgin. veland. c. 3.

XI. AMANDAM VERITATEM, ETIAM VBI AD ILLAM IMPLENDAM VIRTVS NON SVPPETIT.

Quocumque tandem loco ac ſtatu quis fuerit, quamuis cupiditatibus adſtrictus ſcelerum vincula & iugum ceruicibus depellere non valeat: eſt tamen quod commodè ſperetur, ſi veritatem & quærat & amet; ſi oblatam amplexetur; ſi ſeipſe damnare illa coarguente malit, quam illam ipſam damnare quod ſe coarguat. Sicut enim ſunt notæ & indicia quibus aurum in intimis terræ abſtruſum viſceribus à peritis deprehenditur: ſicut ſunt etiam quibus agri ſpinis

ac sentibus obsiti vis ac feracior natura se prodit : ita benignitatis Dei animas respicientis etiam medijs prauitatibus mersas nonnulla intelligentibus vestigia sublucent. Quorum quidem nullum insignius fortasse veriusque reperias, quàm illum Christianæ veritatis amorem, qui in imis quorundam sensibus penitus infixus cernitur. Atque id in Euangelio Christus perspi-
Ioan. 8. v. 47. cuè declarasse videtur, vbi ait : *Eum qui ex Deo est verba Dei audire*, atque è pluribus quibus oues ipsius internoscantur indicijs, primum il-
Ioan. 10. v. 27. lud affert : *Oues meæ vocem meam audiunt.* Talem animum adolescentiæ ac vitiorum æstu abreptus tot annos tenuit semper Augustinus, nec ab ardenti veritatis indagandæ studio vlla re vnquam diuelli potuit. Ita quid in illo aliquando perfecturus esset Deus, iam tum laudabili isto amore præmonstrabatur, & in horrenda illa cœcæ noctis caligine splendidissimi ignis qui eius mente succensa Ecclesiam vniuersam sua luce completurus erat, tanto ante scintillæ promicabant.

Christiano homini semper ob oculos versari debet Deum quem colit, [a] Deum esse veritatis; Christum supremam [b] Veritatem ; Spiritum Sanctum [c] Veritatis spiritum nuncupari ; se vero in Ecclesia [d] verbo Veritatis genitum ; [e] in via Veritatis ambulare ; [f] Veritate liberari ; [g] Veritate sanctificari ; [h] Veritate pasci in hoc seculo ; [i] eademque æternùm in cœlo Veritate pascendum. Quare non minus à minima quauis

a Psal. 30. v. 6.
b Ioan. 14. v. 6.
c Ioan. 15. v. 26.
d Iac. 1. v. 18.
e 2. Ioan. v. 4.
f Ioan. 8. v. 32.
g Ioan. 17. v. 17.
h Matth. 4. v. 4.
i August. Confess. lib. 9. c. 10.

verarum doctrinarum particula, quas SS. Patrum & Conciliorum autoritate depromptas cernit, repudianda abhorrere debet, quam vel ab oppugnando Deo, qui fons est ac principium veritatis; vel à prodendo Christo, qui est ipsa Veritas; vel à repellendo Spiritu Sancto, qui cœlitus ad docendam Veritatem missus est; vel denique à profliganda Ecclesia, quam *columnam ac firmamentum Veritatis* dixit Apostolus.

Nec tamen consilium nobis est omnem illam austerioris pœnitentiæ disciplinam, quam sanctam Catholicamque asserimus, ad vsum etiam praximque reuocare. Non sumus nescij aliud esse quod optare liceat, aliud quod fieri possit; neque à Christianis in horum temporum infirmitate omnia postulanda, quæ olim ab ijsdem valida ætate vigenteque virtute postulabantur. Sed si maxime commodiores ad cœlum ac faciliores quærendæ sint viæ; tamen intra veritatis fines quærantur necesse est. Itaque agnosci eam & explorari oportet, cum nonnisi per eam semel amissa baptismi gratia recipi queat, Christoque viam sese Veritatem ac Vitam prædicante, ad ipsum nisi per ipsum, vt toties ait Augustinus, iri non possit.

XII. NECESSARIAM SACERDOTI VERÆ POENITENTIÆ COGNITIONEM.

Quod si nonnihil laxamenti afferri legi oporteat (quod interdum necesse esse non inficior) nemo est qui scientius adhibere illud possit, quàm qui penitus vim legis mentemque perceperit. Si quid humanæ imbecillitati tri-

buendum obſequendumque videatur; nemo fructuoſius, ſalubriuſque id præſtet, quàm qui Dei in regendis hominibus conſilia, rationeſque omnes diligentiſſimè cognitas habeat.

Vbi æger vri ſe ac ſecari patitur, haud ita exquiſita arte ad eum ſanandum opus eſt. Vbi vero eò deductus eſt, vt iam nec mala ſua, nec remedia ferre valeat, ſingularem & eximiam eruditionem medicus afferat neceſſe eſt; vt circumſpectis vndique artis finibus, quatenus recta indulgentia conſiderataque lenitas progredi poſſit, penitus norit; vt pariter & ſæuam benignitatem & inconſultam ſeueritatem effugiat; vt denique ita comprimat ægritudinem, ne opprimat ægrum; ita ægro parcat, ne ægritudinem foueat. Quemadmodum igitur corporum medicis eo major peritia opus eſt, quo ægroti congruentia remedia minus admittunt: ita cœleſtibus animarum medicis eò magis neceſſaria eſt diuinæ notitia veritatis, quò pœnitentes ad pœnitentiæ medicinam iniquiores ſe ac duriores præbent. Eſt enim illius vt & eorum infirmitatem tenuitatemque virium intimo cordis robore plerumque ſuppleat ac ſuſtentet, & leuiora illorum opera ſolidæ firmæque pietatis motibus, ad quam eos ſedulò deducere debet, extollat, fructuoſaque illis efficiat.

Ierem. 7. v. 24. Rom. 9. v. 31. Aug. in Pſal. 77. Ambr. lib. 9. Comment. in Luc. Gregor. hom. 40. in Euang.

Nam ſi olim populo illi Iudaïco accurata obſeruatio legis religioſorumque operum vis magna & multiplex nihil opis ad Deum ac meriti

contulit, quod ea omnia ſic ageret, vt ſpiritu Dei non ageretur, ac ne finem quidem quò eſſent dirigenda cognoſceret: eſſe nonnunquam ſimiliter poteſt, vt auſteriores pœnitentiæ labores incaſsùm atque inutiliter ſubeantur, dum carent duce veritate, ſpirituque illo cuius eſt vim illis ac vitam gratiæ ſuæ vnctione inſerere. Ita ſi abſit veritas, ſæpe numero quæ per ſe magna ſunt, exigua fiunt: ſi adſit, quæ per ſe exigua ſunt, magna efficiuntur.

Quare Gregorius Magnus & SS. omnes Patres conſentiunt, *afflictiones pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idoneas eſſe, cum Sacerdotis fuerint iudicio imperatæ:* quod Sacerdos dum qua mente ac ſpiritu ſuſcipiendæ atque implendæ ſint præcipit, vim eis quandam ſingularem ac præcipuam adijciat. Idem ſi quid illis deſit, prudentiâ induſtriâque corrigere ſolus & explere poteſt: quin etiam earum partem in ſe transferat oportet, ne in illud quod Chriſtus exprobrat Phariſæis, crimen incurrat: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.*

Gregor. lib. 3. in 1. Reg.

Matth. 23. v. 4.

Quam porrò hæc veritatis Eccleſiaſticæ notitia vtilis ac neceſſaria foret, S. Carolus vniuerſæ denunciauit Eccleſiæ, cùm Sacerdotes omnia pœnitentiæ decreta ſacris expreſſa canonibus tenere iuſſit, vt ijs ſemper ob oculos propoſitis ad regendos pœnitentium animos pro re nata vterentur, & quid de cuiuſque illorum peccati

genere & grauitate Ecclesia semper senserit, aperirent. Quod vtique à Sanctissimo illo Cardinali tam prudenter ac sapienter institutum est, vt Sacerdos qui diuinos Canones, quemadmodum ab illo iussum est, teneat, dummodò Scripturæ sacræ lectionem & orationis studium, quæ à Sacerdotali officio abesse nunquam debent, adhibeat, atque ad munus suum rite ordineque vocatus sit (quod sine virtutis ac pietatis copia fieri non potest) huius solius scientiæ ope creditas sibi à Deo animas vtiliter regere atque instituere valeat. Nec enim eum doctrinâ Ecclesiasticâ præditum iure quisquam neget, qui leges ipsas & communia Ecclesiæ præcepta è Canonum fontibus, eorum vero singularem vsum è lumine ac spiritu gratiæ per assiduas preces peteret; quarum etiam subsidio ad intimos animorum sensus atque abditissimas mentium latebras penetraret.

Hanc laudem B. Bernardus eximiæ ac verè Christianæ Humberti prudentiæ tribuit, quem in Monasterio suo animabus regendis, Confessionibusque excipiendis potissimùm præfuisse significat, virtutem illius eo etiam nomine commendans: *Quod nec mundus ei placuisset, nec ipse mundo. Quis*, inquit, *multitudine, vel magnitudine tentationum percussus non audiuit ab ore eius & radicem tentationis, & curationis remedium: ita enim percurrebat omnes angulos conscientiæ infirmantis, vt credere posset qui*

Bernard. Serm. in Obitu Humberti.

confitebatur, eum vidisse omnia, omnibus interfuisse.

Quod si hæc totius Ecclesiasticæ de pœnitentia doctrinæ cognitio animarum rectoribus perutilis, imo necessaria haberi debet: nihilo minus vtilitatis cæteris fidelibus allaturam facile intelligi potest. Quid enim pœnitentis animum sanctius ac religiosius afficiat, quàm si attenderit, etiamsi Deus hodie nec minus potens sit, nec minus iustus, nec minus tremendus quàm olim; etsi gratiam baptismus nec tenuiorem, nec viliorem præbeat; etsi crimen quo illa obruitur non minus habeat immanitatis; etsi non leuiorem plagam, nec minus ad curandum difficilem inurat, eoque magis, quod aliorum Sacramentorum crebra violatione augeri atque ingrauescere sit solita; proindeque æquissimum videri necesse sit, cum idem Christianus, eundem baptismum, eodem crimine, eiusdem Dei contemptu, in eadem Ecclesia perfringat, eâdem etiam pœnitentiâ, quæ ab omnibus per tot ætates Christianis repensa est, idem nefas expiari: Ecclesiam tamen à filiorum suorum imbecillitate benignius remissiusque tractanda non abhorrere, si eum animi habitum, quem ipsa velit, afferant, & quacumque alia ex causa quam ab occulto pristinæ prauitatis studio & gustu, vel à minus sincera ad Deum sese referendi voluntate profectam habeant imbecillitatem. Hæc enim Ecclesiæ benignitas illustribus præstantium Episcoporum exemplis declarata est, quos Deus

XIII. EIVSDEM DOCTRINÆ COGNITIO FIDELIBVS PER QVAM FRVCTVOSA.

postremis hisce seculis ad pœnitentiam instaurandam excitauit.

Equidem homini ad hunc modum constituto, vel illud pro pœnitentiæ initio iam esse existimari potest, quod pœnitentiæ veram vim germanamque rationem demisso animo agnoscit; quod sanctissimas illas institutiones tot cœlestium virorum autoritatibus consecratas religiosè veneratur; quod esse qui illis quadantenus obseruandis operam dent, vehementer gaudet; nec communi solum illa Ecclesiæ totius conglutinatione, quâ omnes vnius corporis membra sumus, in commune agimus, in commune oramus, vt loquuntur Patres, sed singulari etiam præstiti illis diuinitus beneficij sensu, & tacita gratulatione, eorum pietatis præmium laudemque participant.

XIV. VARIA PRO PERSONARVM VARIETATE POENITENTIA.

Non mihi hoc loco dirigendarum animarum artem excutiendam decreui, quam ijs quibus hoc negotij à Deo datum est, integram relinquo. Vnum dico, varia & innumera ab infinita Dei misericordia comparata esse subsidia, quibus qui ad eius gratiam sincerâ, rebusque & factis comprobatâ voluntate se recipiant, præteritorum peccatorum iniurias pensare diluereque possint. Nam vt missam faciam, vel exteriorem eleemosynam, quę plerisque pœnitentiæ austeritatem; vel interiorem ac spiritualem, quæ exteriorem ipsam supplere; vel charitatem etiam, quæ vtriusque vicem subire potest: vt

taceam

taceam fidem & æquitatem in cuiusque munere officioque fungendo, quæ non minus pœnitentiæ quàm pietatis potissima index est & norma: vt præteream tot interiores animorum cruciatus, qui exteriorum loco multis sunt; tot calamitates à Deo, tot injurias calumniasque ab hominibus redundantes, quæ fructum pœnitentiæ facile repræsentent, si pœnitentibus animis accipiantur: postremò, vt mansuetudinem illam animique tranquillitatem sileam, ab Apostolo patientiæ adjunctam, quæ omnem irruentium contumeliarum acerbitatem & ægritudinem exhaurit, ac velut concoquit; nec minus cuique firmâ in Deum fide quam in homines moderatione eximiam virtutis abundantiam sanctitatemque conciliat: vt igitur hæc omnia prætermittam, cui tandem dubium sit, quin conjugibus omnibus ac fidelibus quibusuis liberorum educatio, ijs autem qui vel in Ecclesia, vel in seculo maiores honorum gradus obtinent, tempora quædam singularia ac momenta rerum gerendarum semel in omni vita incidentia, tam copiosam veræ ac perfectæ pœnitentiæ segetem ac materiam præbere queant; vt de priore quidem Apostolus, mulierem per filiorum generationem, si videlicet eos sanctè & Christianè instituerit, salutem consecuturam pronunciet: de posteriori autem nobilis duodecimo seculo Scriptor, quo tempore pœnitentia primùm resolui cœpta est, scribere non ve-

1. Tim. 2. v. 15.

Petrus Blesensis.

reatur, eam viris generis aut honorum ſplendore præcipuis præbere poſſe, vnde omnes ſuperioris vitæ maculas facti vnius præſtantiâ diſpungant.

Atque hæc demum egregia eſt offenſi Dei propitiandi ratio, Eccleſiæ vtilitates grauiore illius tempore tueri; veritatem oppugnatam obſcuratamque teſtimonio ſubleuare; innocentiæ per vim publicam oppreſſæ patrocinari; à tenuioribus, à viduis, à pupillis potentiorum impetum propulſare; Mathatiæ zelum pari in cau-

1. *Machab.* 2. v. 19. ſa, vocemque illam æmulari: *Etſi omnes gentes Regi Antiocho obediant, ego & filij mei & fratres mei non audiemus verba Regis Antiochi, nec ſacri-*

2. *Machab.* 6. *ficabimus*; aut illam Sacerdotis Eleazari: *Fortiter vitâ excedere malo, quam vt ſenectute meâ indignus appaream*; aut illam denique S. Thomæ Apoſtoli, aliorum Apoſtolorum Hieroſolymam reuerti

Ioan. 11. v. 16. metuentium animos attollentis: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Quâ quidem voce tantum eſt conſecutus, vt ei nonnulli acceptum referant, quod eius ſolius gratia Chriſtus ſingulari benignitate ſe rediuiuum exhibuit, tantum vni tribuens, quantum cæteris ſimul vniuerſis; quodque eâ claruit laude, vt longiſſimè omnium Euangelium fidemque protulerit.

XV. SANCTORVM PATRVM DISCIPLINA SACERDOTII

Enimvero nihil adeo Sacerdotis præſtantiam dignitatemque commendat, vt miniſterio eius inſita hæc poteſtas pro perſonarum affectionumque varietate varias ac diſpares pœnitentiæ

rationes ineundi. Quare Dei ex SS. Patrum & Canonum præſcripto placandi via ita Sacerdotis poteſtatem non imminuit, vt auctiorem etiam ampilioremque efficiat, tum in pœnitentiæ inſtrumenta & opera, tum in pœnitentes ipſos, quibus illa imperantur. Hinc diuinum illud munus à Gregorio Nazianzeno, ac poſtea à Gregorio Magno Ars artium meritò appellatum: atque à viro noſtra memoria primario vſque eo euectum, vt vnius animæ quàm regni cuiuſuis vniuerſi curam & adminiſtrationem magis arduam operoſioremque aſſereret.

MAGNITVDINEM ET DIGNITATEM ILLVSTRAT.

Cardinalis Berulius.

Nec vero Patres vnquam ſoluendi poteſtatem ſejunxerunt à ligandi poteſtate, quâ videlicet Sacerdos, teſte Auguſtino, ægri vulnera obligat, & idonea illis fomenta ac remedia adhibet, donec ſoluat eum, manuumque impoſitione Deo & Eccleſiæ reconciliatum, in integram libertatem perfectamque ſanitatem reſtituat. Vnde D. Anſelmus Sacerdoti ſententias duas, quæ in vnam completam abſolutamque coaleſcunt aſſignat, ac priorem in pœnitentia imponenda verſari docet.

Anſelm. in Elucidario.

Sed quoniam non deſunt, quibus pœnitentia extolli non poſſe videatur, quemadmodum ab Eccleſia in canonibus Concilijſque extollitur, quin Sacerdotis poteſtas quam eadem Eccleſia venerari iubet, continuò deprimatur: demonſtrare in promptu eſt, quicquid SS. Patrum doctrina curandis pœnitentibus adhiberi præcipit

ad Sacerdotalis poteſtatis decus amplificationemque redundare.

Vt enim quæ ad huius SS. Patrum diſciplinæ (de quâ ſolâ nunc loquor) vſum adminiſtrationemque pertinent exponam, ipſa primùm Sacerdotis vox gratiæ vox eſt, quâ Deus infideles ſemper ab infidelitate, fideles ſæpius à vitæ prauitate deducit. Gratia vero prædicationis miniſterio in animum illapſa flectit, emollit, conuertit funditus cor: cordis conuerſio pœnitentem ad Sacerdotem trahit; imo ne quidem ſine tacito ad eum reſpectu deſtinationeque concipitur. Qui enim ad Deum ſeſe conuertit, eiuſque præceptis noua ſponſione ſubmittit, primas ſubmiſſionis obſequijque iſtius partes in Chriſti miniſtro, quemadmodum Euangelium iubet, audiendo adeundoque collocat, conuerſionique ſuæ fidem omnem abrogaret, ſi eum conuenire grauaretur.

Vbi Sacerdos Confeſſione pœnitentis auditâ de interno animæ illius habitu iudicium tulit, pœnitentiæ modum ei præſcribit, quæ quidem gratiâ & virtute caret, niſi eam impoſitione Sacerdotis, miniſteriique illius vi ac poteſtate aſſequatur. Iam toto pœnitentiæ curriculo, vt ex medico æger, ſic ille ex Sacerdote pendere, atque eius arbitrio & nutu regi debet. Quoties cum illo congreditur, ſi modo eum demiſſo animo, veroque iuſſa eius exequendi ſtudio audiat, alijs ſuper alia gratiæ donis augetur, quibus

Gregor. Expoſit. in lib. 1. Reg. lib. 3.

in dies ſenſim conſaneſcit. Quis enim dubitet, quin illius monita non minus certè ad ſanationem animæ, quam ad corporum ſalutem medicorum conſilia conducant?

Hac multiplici gratiarum acceſſione & incremento eum Sacerdos gradatim quaſi conformat, parat, inſtruit, ad ſanitatem ducit: quemadmodum Chriſtus Apoſtolos per dies quadraginta quibus poſt reſurrectionem cum illis eſt commoratus, paulatim conformauit & finxit. Cum vero interiorem illam, vt ita loquar, maturitatem, quam Deus ad reconciliandam ſibi animam poſtulat, aſſecutus eſt, Sacerdos impoſitis manibus eum abſoluit, quâ abſolutione reconciliationis ac remiſſionis peccatorum gratiâ per conceſſam à Chriſto poteſtatem donatum, ad ſanctum altare diuinamque Communionem continuò prouehit, quâ non gratiam modò, ſed omnium fontem gratiarum; nec medicinam, ſed medicum ipſum accipit, eius viſcera gratiæ virtutiſque abundantiâ cumulaturum. Iam enim ſanato à Sacerdote ſolidum Chriſti corporis alimentum, quo in vitæ huius itinere ſuſtentetur, velut panis ille myſticus ab Angelo Prophetæ porrectus miniſtratur. *3. Reg. 19. v. 8.* Quod dilucidè ac breuiter Cyprianus expreſſit, dum ait: *Manu & ſacrificio Sacerdotis* reconciliari pœnitentem. *Cyprian. Tract. de lapſis.*

Quibus omnibus quid tandem ad Sacerdotalem poteſtatem amplificandam addi poſſe videatur? Illud tamen SS. Patrum atque Eccleſiæ

ſententiæ ſemper inhærentes affirmare etiam poſſumus, eum pœnitenti non modo abſolutionis ac ſacrificij pro ipſo oblati, eidemque impertiti virtute gratiam afferre; ſed dum totius vitæ deinceps inſtituendæ tenorem ad receptæ ſanitatis integritatem retinendam accomodatum ei præſcribit; dum ſanctam illam libertatem, quâ in pœnitentiæ vinculis velut æger in lectulo iacens carebat, reſtituit, omnium diuinorum munerum & chariſmatum, quæ è pijs operibus ita præſcriptis & ab anima illa toto pietatis ac vitæ ſtadio deinceps editis oriuntur, autorem etiam ac principem exiſtere. Omnia enim manant ac defluunt ex abſolutione ac benedictione illa Sacerdotis, quâ pœnitentis vincula diſſoluit, liberamque illi ſub Dei manu & imperio ſui ipſius poteſtatem quodammodò permiſit: nec Sacerdotem eorum velut caput ac fontem profectò quiſquam neget, qui meminerit, vbi pia opera ſerie quadam alia ex alijs nexa & quaſi religata pendent, poſteriora quæque vim ſuam & robur à priorum, vnde velut ſcaturiunt, ſanctitate ac fœcunditate depromere: præſertim ſi ſanctitas ac fœcunditas illa ſuperior à ſumma diuiniſſimaque poteſtate qualis Sacerdotis in Eccleſia proficiſcatur.

Illud etiam præcipui habet gratia quam Sacerdotis abſolutio SS. Patrum more ordineque adminiſtrata contulerit: quod cum animo præuijs pœnitentiæ fructibus adeò ſubacto præcul-

toque suscipiatur, amplam copiosamque admodum effici necesse est. Atque, vt B. Ioannes, teste Ambrosio, tres illos menses quibus Sanctissima Virgo apud Elizabetham commorata est, ad ministerij sui facultatem sensim imbutus & quasi vnctus fuit: ita meritò dixeris pœnitentis animum quandiu à Sacerdote in pœnitentiæ quasi stadio detinetur, paulatim præformari; quemadmodum à pictoribus diu multumque ante inficitur atque illinitur tabula, quam propositæ imaginis extrema lineamenta inducant. Atque hæc notâ illâ SS. Patrum de Catechumenis sententiâ confirmantur, eos qui pœnitentiæ Ecclesiasticæ præparatione omissâ baptisma suscipe rent, facilè amissuros quod facilè assequerentur. Quod in pœnitentes à baptismi gratiâ iam lapsos multo magis valere oportet.

Ambros. Comm. in Luc. lib. 1.

Ad hunc igitur modum quem deinceps hoc Libro explanabimus, viri Sanctissimi tum Sacerdotis potestatem, tum pœnitentiæ vtilitatem, quales in Scripturis compererant, retinuerunt vindicaruntque studiosissimè; & quoniam veritas cum veritate non pugnat, probè inter ipsas conciliarunt. Nec vero homines tantos, quod Sacerdotis potestatem ista ratione acceperint, à nobis damnari par sit, cum illam perspicacius haud paulò ab ijs intellectam, fidelius administratam, studiosius assertam constet, quàm à quouis istorum qui hac in re dijudicanda suo arbitratu vti, quam vniuersæ

Ecclesiæ Doctores ac magistros audire malint.

XVI. MAIOR SS. PATRIBVS FVIT CVRA INDVCENDÆ IN HOMINVM MORES AC VITAM POENITENTIÆ, QVAM SCRVPVLOSIVS EDISSERENDÆ.

Atque hæc quidem ita excutere & enucleatè persequi nihil opus esset, si fidei simplicitatem tenentes ea demum complecti ac tueri vellemus, quæ Ecclesia Traditionis suæ perpetuitate præcepit, quæ duodenorum seculorum vsu seruauit, quæ posterioribus etiam seculis nonnunquam seruari iussit, quæ denique, vt sibi optatissima intimis suis sensibus infixa, primæque ac præcipuæ spiritus illius quo animatur ac regitur voluntati maxime consentanea, semper diligentissimè commendauit. Verum aliquid temporibus nostris ac plerorumque curiosioribus ingenijs dandum putauimus, qui sibi quæcumque ad fidem pertinent aperta explicataque tradi cupiunt, eaque in primis quorum rationem minimè omnium aperiendam duxit Ecclesia, in eiusmodi rebus vsu semper ac more disciplinæ perpetuitate ac SS. Patrum consensione firmato contenta. Quare hæc quidem singula perenni ætatum serie studiosissimè illam peregisse reperimus, eorum vero singulares propriasque rationes anxiè exquisiisse, arcanosve motus à Spiritu Sancto immissos, eorumque causas quibus gratia vel inseritur, vel augetur, subtilius inuestigasse discussisseque non reperimus.

Hæretici primùm, qui posterioribus hisce temporibus in Ecclesiam insurrexerunt; deinde philosophia, quam Theologi ad eorum cauillationes

tiones & calumnias confringendas ſubire coacti ſunt, moroſioribus iſtis diſquiſitionibus ac nimiæ intelligendi cupiditati locum fecerunt, vt à Ludouico Granatenſi in Libro qui omnium manibus circumfertur, præclarè eſt animaduerſum. Quamuis enim philoſophiam aduerſus Hæreticos profuiſſe fateatur, eam tamen magnam vitæ Chriſtianorum plagam appellare non dubitat, eamque Religioſorum etiam hominum animis duas labes, immoderatam ſcientiæ cupiditatem, & orationis intermiſſionem perturbationemque attuliſſe confirmat. Oratio enim primum eſt fidei germen, quo in Eccleſiaſticæ Traditionis autoritate ſine contentione tranquillè acquieſcimus.

XVII. QVAM ARDVA REGENDARVM ANIMARVM PROVINCIA, VT NEC REMISSIONE ATQVE INDVLGENTIA, NEC DISTRICTIONE SEVERITATEQVE PROLABARE.

Cæterùm tantæ illæ & tam variæ Sacerdotis in regendis pœnitentibus partes etiam ſanctitate præcellentes viros ita commouerunt, vt miniſterium illud pio quodam horrore defugientes, onus vel Angelicis humeris formidandum dixerint. Sapientia enim diuiniſſima quadam opus eſt, vt ſeſe quis Dei & hominum conciliatorem, & inter vtroſque velut medium interponat: Dei iura ita tueatur, vt ne hominum imbecillitatem opprimat: rurſus hominum imbecillitati ſic obſequatur, vt ne in Dei iura peccet. Quapropter ſicut Cyprianus & Clerus Romanus acerrimè inſectantur eos, qui animas inani clementiæ ſpecie decipientes non expectabant, *quoad neceſſaria temporis remedia conducerent cicatricem*: Ambro-

Clerus Rom. Ep 31. ad Cypr.

ſius alioquin Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinentiſſimus, Preſbyteros qui pœnitentes durius ac ſe-
Ambr. in Pſal. 118. uerius habebant, arguit, quod *non compaterentur naturæ, nec poſſibilitatem æſtimarent*, ac Bernardus ad Eugenium Pontificem de Eccleſiæ inſtaura-
Bernard. lib. 1. de Conſiderat. c. 5. tione ſcribens, *non ſe fortia loqui, ſed poſſibilia profitetur.*

Cum enim rector pœnitentis animum probè affectum ac ſibi ad omnia morigerum nactus eſt, magnam aſſequitur poteſtatem re circumſpecta vndique ac perpenſa, quiduis quod eius ſaluti congruentiſſimum cenſuerit decernendi. Licet tum ad illius imbecillitatem ſeſe attemperare: ita tamen ne blandiori indulgentia illam ipſam imbecillitatem foueat. Suſcipere in illum debet amici perſonam, vt quæ toleranda ſunt benignè toleret; pernicioſo tamen obſequio neceſſariam admonitionem anteponat. Medicum ſeſe meminerit, vt ægri membrum tumens molli quam maximè ac ſuſpenſa manu attrectet: ſed ſanandum vulnus recondere, vel leuiter obducere nolit. Poſtremò, virum ſe cogitet ſtantem & erectum, qui infantem humi ſtratum alleuaturus ita ſe demittit, ne dum lapſum attollere vult, ipſe collabatur.

XVIII. NECESSARIVS AD REGENDAS ANIMAS TEMPERATIONIS MODVS SINE NOTITIA VE-

Nemo eſt quin facile videat, eum qui animabus præſit ſine eximia rerum diuinarum notitia tam accuratum tamque arduum temperationis modum tenere non poſſe. Hinc factum, vt Beatæ memoriæ Epiſcopus Geneuenſis ab anima-

rum ductore non minus ſcientiæ quam charitatis & prudentiæ plenam copiam poſtularit, atque eam, quâ præditus eſſe debet, perfectionem, ijs verbis deſcripſerit, vt ſi vel ea, quæ apertiſſimè illis continentur exprimere quis cœperit, conſectaria, futurum dubium non ſit, quin Antiſtes ille omnium opinione mitiſſimus, eis ipſis qui ſeueritatis nimiæ arguuntur, ſeuerior duriorque videatur. *Auila*, inquit, *ex mille vnum ad Directoris munus eligendum cenſet. Ego vero ex decem millibus. Pauciores enim ſunt quàm dici poteſt, qui tanto operi ſint pares. Charitatis, ſcientiæ, ac prudentiæ plenus ſit oportet. Periculum ab eo eſt, quem trium iſtorum aliquid deficiat.*

RITATIS TENERI NON POTEST.

Introduct. I. Part. c. 6.

Agnoſcit hoc ipſum B. Thereſia dum cenſet, *maximi intereſſe animarum Rectorem ſolidâ eruditione pollere. Perquam periculoſum eſſe, ducem imperitum quantalibet integritate ac Spiritus gratia aut præſtare videatur, aut reuera præſtet. Semidoctos ſibi plurimùm obfuiſſe, tametſi vnus Theologiæ ſtadium decurriſſet. Satius videri imperitos prorſus, quàm tenuiter peritos eſſe, quod plane rudes nec ipſi ſibi quicquam aſſumerent inconſultis eruditis, nec ipſis alij quicquam tribuerent. Nunquam ſe ab homine verè docto in errorem fuiſſe inductam.* Si vero diuturna ægritudine quam incredibili patientia pertulerat, è vita exceſſiſſet, *ſalutem ſuam in dubium fuiſſe venturam, tum ob præteritam miſeriam, tum ob eorum qui confeſſionibus ſuis præfuerant, tenuem & exiguam eruditionem.*

B. Thereſia in Via perfectionis.

In Vita B. Tereſiæ. c. 5.

Ibid. paulo infrà.

Cum igitur animarum præpositis ad ſanctas & Eccleſiaſticas pœnitentiæ leges percipiendas adjumentum aliquod afferre ſtuderem, pœnitentiam hoc in Opere repræſentare inſtitui, qualem eam in ſacræ Traditionis promptuario non à Patribus modo & Concilijs vetuſtioribus, ſed & proximè à Concilio Tridentino expreſſam deſcriptamque offendi: quamuis enim ſacra hæc Synodus propter temporum iniquitatem, cordiumque quam deplorat duritiem, pœnitentiam eadem prorſus quâ olim ratione præſcribere non potuerit, tamen publicis peccatis publicam pœnitentiam inſtaurandam decreuit, ſexque aut ſeptem vias atque aditus ad antiquas leges in vſum reuocandas aperuit, quemadmodum interiore hoc Libro demonſtrabitur.

XIX. CONCILIVM TRIDENTINVM POENITENTIAM, QVOAD LICVIT, INSTAVRANDAM SVSCEPISSE.

Atque equidem adeò conſtat ſolâ temporum difficultate prohibitum ſacrum illum cœtum ne Eccleſiaſticam rem ad meliorem etiam perfectioremque ſtatum redigeret, vt hanc ipſam cauſam extrema, quâ Synodus illa abſoluta concluſaque eſt, oratio expreſſerit. Delectus enim Epiſcopus qui omnium nomine Synodi actorum ſumma velut faſtigia exponeret, in hæc verba diſſeruit: *Cum duo eſſent in quibus ægris atque infirmis hæreticorum animis medicina fuit adhibenda: alterum fidei Catholicæ, &c. alterum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cuius potiſſimum deprauatione illi ſe à nobis defeciſſe affirmant, fuit reſtitutiò; vtrumque quantum in nobis fuit pro temporum horum ratione cumu-*

Orat. habita in ſeſſ. vlt. Concilij Trid.

latè præstitimus. Qua in oratione tria vel maxima animaduertenda occurrunt.

Primum quidem agnosci à S. Synodo, disciplinam Ecclesiasticam deprauari posse, ac tum temporis deprauatam, illiusque deprauationes hæresum fontem ac sentinam euadere. Quare non schisma in Ecclesia conflant, vt nonnulli absurdè hariolantur, sed Ecclesiæ ipsius Spiritusque Sancti quo illa regitur mentem & consilium persequuntur, qui suborientes in ea labes & vitia inspiciunt, atque in disciplina illius redintegranda assiduam operam ponunt, ne plurium corruptela membrorum exitialem toto corpore ægritudinem effundat.

Alterum animaduertendum est, Tridentinos Patres cum *disciplinam Ecclesiasticam, quantum in ipsis fuit, sese restituisse* profiteantur, perspicuè significare nihil sibi iucundius, nihil lætius futurum, quàm omnia, si licitum esset, cumulatius etiam pleniusque restituere, quemadmodum sæpius contestantur; nec proinde quicquam esse, quo sanctissimis eorum votis magis obsequamur, atque obsecundemus, quam si fideles in viam maxime Canonicam, Sancti Spiritus institutioni congruentissimam, duodecim amplius seculorum experimento atque autoritate spectatam inducamus. Quamuis enim posterioribus seculis, vt prioribus, indicta imperataque non fuerit, semper tamen probatam, & plerisque in caussis etiam imperatam residua in

Sciant vniuersi, sacratissimos canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos. *Concil. Trident. Sess. 25. can. 18.*

pluribus adhuc Ecclesijs vestigia demonstrant.

Tertium denique illud erat animaduertendum, quo Ecclesiasticæ disciplinæ ratio ad superiorem absolutioremque formam à Concilij Patribus prouecta non fuerit, in causa fuisse, miserrimi ac luctuosissimi temporis calamitatem. Quid enim Sacro-sanctus cœtus Dei numine illustratus ageret, cum *Remp. Christianam* videret, vt ait Paulus III. in Bulla Indictionis Concilij, *malis suis iamdudum vexatam & propemodum oppressam*; varios hæresum fluctus repentina quadam eluuione ac velut agmine facto in eam illisos; publicam illam luem erroris que noxium ac pestilentem spiritum longè latèque terras & maria transgressum penè temporis puncto Germaniam, Hungariam, Transiluaniam, Noruegiam, Daniam, Sueciam, Angliam, Galliam, Belgiumque peruasisse, immitem hostem Turcam, nouâ, vt testatur idem Pontifex, Rhodi expugnatione exultantem, Christianis regionibus imminere: Ecclesiæ aduersarios quotidie viribus ac numero inualescentes, filios eius degeneri ac fœdo languore iampridem dejectos; licentiam populorum, inscitiam Sacerdotum, factiones Principum, dissidia Regum ac bella, prauitates denique omne genus & corruptelas in dies ingrauescentes? Quid igitur cum tantam temporum perturbationem oculis cerneret sanctissimus ille conuentus, quid amplius, inquam, efficere ac nauare potuit?

Animaduertebat præterea dæmonem aduersus Ecclesiam excitasse Lutheranam Caluinianamque hæresim, Catholicorum imbecillitati, quo facilius in eorum animos influeret, accommodatam; hæresim quæ tota sensibus, tota carni & sanguini lenocinaretur; quæ homines ad cupiditates & voluptates vitæ perfruendas adducens, sempiternæ eis nihilominus felicitatis certissimam spem faceret; quæ non minus in Regum sceptra & principatus quam in sacram Ecclesiæ Hierarchiam grassaretur; quæ denique pœnitentiam peccatoribus, virginitatem virginibus, vota Religiosis, cœlibatum Sacerdotibus, ieiunia fidelibus, vniuersæ denique Ecclesiæ piorum operum fructus vno impetu eriperet.

Est igitur quod Patrum illorum sapientiam magnoperè miremur, qui Christianos ad canonum pœnitentiam exertis planissimisque vocibus, aliorum Conciliorum more compellendos non putarint, cum vt tum quidem res se habebant, id tentare nec possent, nec deberent. Est quod eorum constantiam ac zelum suspiciamus, quod eam tamen si minus splendidè, certe abundè, ad eorum intelligentiam qui aures audiendi habeant, vt Christi verbis vtar, quemadmodum S. Carolus, totque alij probi auditores, asseruerunt & vindicarunt. Est denique quod miram illam diuinamque solertiam obstupescamus, quam ad Ecclesiæ disciplinam retinendam Sanctus Spiritus adhi-

buit, cum ad illius interitum conſentire omnia & incumbere viderentur.

XX. CONCILIVM TRIDENTINVM DE SACERDOTIBVS EMENDANDIS DECREVISSE, QVÆ DE POPVLO EMENDANDO APERTE DECERNERE MINVS LICVIT.

Cum enim concitatæ à Dæmone toto orbe tempeſtatis vim tantam eſſe perſpiceret, vt eâ facile palea omnis (quemadmodum Scriptura loquitur) extra aream abripi, ſolo tritico ſuperſtite, hoc eſt, imbecilliores vniuerſi ſolis valentibus perfectiſque ſtantibus concuti dejicique poſſent, ne forte Catholicos homines vniuerſos dum probè Chriſtianos facere vult, faceret apoſtatas, ad Sacerdotes ſeſe conuertit, & numero pauciores, & veris remedijs ferendis magis idoneos, eoſque ad priſcorum omnium canonum, quibus vitæ ipſorum ac morum ſanctitas continetur, obſeruantiam noua lege reuocauit. Præclarè enim intellexit fore, vt Paſtores ad antiquæ virtutis normam ipſi ſemel reſtituti, facili negotio communem fidelium diſciplinam reſtituerent, quemadmodum hiſce temporibus exemplorum, quæ ab omnibus non ſine admiratione celebrantur, recenti experientiâ comprobatum eſt.

Cum igitur ſancta Synodus Clerum vniuerſum ad auitæ integritatis leges formamque compulerit: facile docuit, idem ſe nec minus illuſtribus decretis in Laïcorum causâ fuiſſe facturam, niſi varij temporum illorum caſus, totque hæreſum maximam Eccleſiæ partem depopulantium terror meritò prohibuiſſent. Sed ſi ægrum ipſum ad remedia imbecilliorem ſolenni Conciliorum

liorum consuetudine conuenire non potuit; certe nacta est, quemadmodum paulò aliâ viâ hoc tamen ipsum efficeret, veramque illi sanitatem restituere conaretur. Medicos si quidem illi cœlestes ad priscorum canonum exemplum fingere instituit, quibus non ministerij eorum modo sed & vitæ totius ratio descripta est; nempe vt doceantur, cum ad facem alijs præferendam constituti fuerint, præcipuas esse tum pietatis suæ, tum ministerij partes, fideles ad veriora semper officia ducere, eosque potissimum in pœnitentiæ & Eucharistiæ vsu ad Dei & Ecclesiæ leges dirigere.

Quare cum Sacerdos vniuersam Ecclesiam potestatis suæ magnitudine contineat, S. Synodus Sacerdotali disciplina restituta Laïcorum disciplinam eadem operâ restituit: riuulos in fonte, fructus in semine à se includi meritò existimauit. Sicut enim Deus in rerum natura sole accenso mundum vniuersum luce compleuit; mari refuso regiones omnes fluuijs & aquarum meatibus irrigauit: sicut in ciuilis rei ratione, cum populo felicitatem parat, Principem deligit, quem verè regijs, hoc est, verè Christianis dotibus ac moribus exornet: postremò sicut in ipso diuinæ gratiæ ordine cum Ecclesiam condere vellet, in duodecim Apostolis diuinum succendit ignem, qui (vt ait præclarè Chrysostomus) in eorum animis exardescens ingens in vniuersum orbem incendium effudit: Ita cum

per Synodum Tridentinam Ecclesiæ, cuius res omnes tum naturales tum ciuiles vmbræ sunt & imagines, disciplinam instaurandam susciperet, illud vnum agendum duxit, vt Sacerdotes & Pastores ad pristinum decus splendoremque redigerentur; quippe qui vera sunt lux mundi, eò mirabilior, quod non quæ cerni oculis possint, sed quæ non possint cernenda exhibeat; viui aquarum fontes non exundantes è mari & in mare redundantes, sed exilientes è cœlo, & subsilientes rursus ad cœlum; veri reges ac principes, non humani honoris sed regalis Christi Sacerdotij participes, quorum Israëlitici Reges indices tantum ac symbola fuere. Denique cœlestis illius ignis non minus quam ministerij Apostolorum heredes, quo ipsi primùm inflammandi, vt peccatorum glaciem dissoluere, nouasque assidue flammas in iustorum animos spargere valeant.

XXI. DE VSV ECCLESIÆ LEGIBVS CONTRARIO QVID SENTIENDVM AVTORE CONCILIO TRIDENTINO.

Cæterum quo studio antiquos canones retinendos obseruandosque Ecclesia censeat, sacra Synodus significauit, cum etsi quibus conuocata fuit temporibus insignes in Clerum prauitates & corruptelæ inuasissent, quarum pleræque ipsa delinquentium non solum multitudine, verum etiam illustri dignitate concessæ licitæque viderentur, vt Bulla Pij IV. testis est, canones nihilominus vniuersos de Clericorum vita & honestate antiquitus editos *ijsdem*, quæ in superioribus Concilijs decretæ fuerant, *vel majoribus*

Concil. Trid. Sess. 22. de Reform. c. 1.

etiam pœnis obſeruari iuſſit ; illud perſpicuè innuens, quibuſcumque & quocumque numero obſtrepentibus, valere eos Eccleſiam velle, contrariaſque conſuetudines, quacumque tandem ratione irrepſerint, pluriumque, vt tum contigit, autoritate firmatæ, temporis etiam diuturnitate conualuerint, non tamen veros illi mores & vſus, ſed abuſus & aberrationes videri.

Quare Cardinalis Bellarminus prorſus aſſeuerat, *Vſum ieiunia ſoluendi circa meridiem, & cœnulam ſumendi ſub noctem ab Eccleſia non imperari ſed tolerari ; neque deeſſe inter Catholicos, qui vnica omnino refectione contenti, nihil omnino cibi deguſtent, niſi vel hora nona, vel ſub veſperam.* Si igitur clariſſimi Scriptoris ſententiâ antiquam ieiunij formam etiamnum teneri Eccleſia optat, & vulgarem ieiunij vſum, etſi vniuerſis penè fidelibus familiarem, tolerat tantum non præcipit : quis de pœnitentia, cuius ieiunium pars eſt, idem dici poſſe non videat ; cum ad eum modulum, qui nunc obtinuit, non vllius Concilij autoritate, vt S. Carolus, totque alij Antiſtites priſcorum canonum vſu redintegrato docuerunt, ſed morum collapſione incuriaque deuolutam conſtet ? Ita qui vel ad pœnitentiæ, vel ad ieiunij primæuum ac principem morem ſeſe referre voluerint, non alius criminis rei erunt, quàm quod S. Spiritus & Eccleſiæ legibus & voluntatibus accuratius paruiſſe videbuntur.

Bellarm. de Bonis operibus in part. lib. 2. c. 2.

Quin etiam in Notis ad Concilij decreta ex

eiusdem Cardinalis Bibliotheca depromptis scriptum extat, cum Synodus sibi placere ait, vt fideles Quadragesimæ tempore peccata confiteantur, confitenda intellexisse, *non in fine, vt abusus irrepsit, sed initio huius temporis, vt olim rectè constitutum fuerat*. Ac Bonauenturæ aliorumque Scriptorum exemplo patet, eam fuisse clarissimorum qui post antiquæ pœnitentiæ inclinationem resolutionemque floruere, virorum sententiam, vt fideles Quadragesimæ tempore ad peccatorum dolorem piorumque omne genus operum frequentandum vterentur, quo paratiores, ornatioresque ad Paschalem Communionem existerent. Sic enim Ecclesia pœnitentiam filiorum suorum defluente sensim pietate labantem fulcire quoquomodo ac sustentare conata est.

In Notis ad Decreta Concil. Trid. ex Biblioth. Card. Bellarmin.

XXII. CONCILIO TRIDENTINO IN VOTIS FVIT DISCIPLINAM INTEGRITATEMQVE ANTIQVAM INSTAVRARE.

Orat. hab. in Sess. vlt. Concilij Trid.

Enimvero sacram Synodum antiquæ integritati & disciplinæ omni ex parte instaurandæ studuisse, vel ex eo liquet, quod hoc ipsum suprema illa quæ ei velut coronidem imposuit, oratione expressum est qua ex eo numero Episcopus cœtus vniuersi nomine quasi gratulatur in hæc verba: *Quid fuit*, inquit, *à maioribus nostris omissum quod cum ad rectè sentiendum, tum ad præclarè agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum ac paratum iamdiu habemus; verum si morbum debet expellere sumendum est, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primùm inebriemur, Charissimi.*

Si igitur S. Synodus solenni Episcopi voce omnium quæ ad præclarè agendum pertinent, formulam ab antiquis Patribus præscriptam agnoscit, ad eamque tenendam omnes cohortatur: an eadem mens, eadem voluntas verti cuiquam vitio poterit? An Ecclesiam conturbat, qui Ecclesiæ cohortationibus paret? An schisma filijs inuehit, qui Patrum exaudit vocem? An Concilium Tridentinum despicit, qui iussa eius exequitur? An nouitiam doctrinam inducit, qui cum eo veterem quoad fieri potest, consectatur? An opinionibus priuatis studet, qui ad Ecclesiæ vniuersæ sensus se applicat? An erroris venenum propinat hominibus, qui hoc eis *poculum salutis* porrigit?

At S. Synodus non modo doctrinæ veteris salutare poculum haurire Pastores, sed *eo etiam inebriari* exoptat. Qua voce paulo vehementiore Scripturæque familiari grauissimam illam ab vniuersis Patribus traditam, à D. Bernardo ex illis depromptam renouatamque, innuere voluisse videtur doctrinam, vt in Christo, sic in Sacerdote gratiæ & veritatis plenam cumulatamque vim inesse oportere; vt plenus ipse & affluens in alios effluere exundareque possit.

Atque hæc de priscis canonibus obseruandis sententia & religio, postremorum etiam temporum nostrorum Episcopis ac Summis Pontificibus ita penitus insita fuit; vt Pius IV. in Bulla, *Super forma iuramenti professionis fidei* hæc præter

In Bulla Pij IV alia adjecerit: *Cætera item omnia à ſacris canonibus & Oecumenicis Concilijs tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor.* Hanc vero ego normam in hoc omni opere mihi propoſui. Normam Traditionis canonibus & Conciliorum decretis expreſſam: normam Catholicæ veritatis SS. Patribus, Pio autem Pontifici fidei normam. Quod ſi ad pœnitentiæ dogmatum ex puriſſimo illo ac diuiniſſimo fonte manantium venerationem fidelium animis immittendam tot tantaque teſtimonia minus valebunt, quiddam in poſterum vel Concilij Oecumenici autoritate grauius, & ſanctius, vel ſupremi Eccleſiæ capitis patrocinio tutius, vel ipſius petræ immobilitate firmius & ſtabilius exquiri oportebit?

XXIII. S. CAROLVS BORROMÆVS CONCILII TRIDENTINI SENTENTIÆ DE POENITENTIÆ DISCIPLINÆQVE ANTIQVÆ INSTAVRATIONE INTERPRES ET CVSTOS.

Iam vero ne cauſari cuiquam liberum eſſet, Tridentinam Synodum pœnitentiæ leges, vt ſuperiora Concilia non edidiſſe cordium duritiâ, vt Epiſcopi profitentur, ac temporum iniquitate deterritam, neue aditus illi & quaſi gradus ad pœnitentiam inſtaurandam ab ea facti & traditi minus perſpicerentur: Deus S. Carolum Borromæum excitauit, non modo Synodi grauiſſimum teſtem, ſed & ad eam Pij IV. auunculi autoritate abſoluendam præcipuum adiutorem, vt ſacræ Synodi mens & conſilium in tanto viro, quem idem agebat ſpiritus, clariſſimè cerneretur.

Cum enim Patres grauiſſimo illi Sapientis

præcepto infirmiores ſenſim, & quaſi *partibus corripiendos & de quibus peccant admonendos*, parendum intelligerent, Eccleſiæ fidem ab Hæreticorum impetu vindicare, diſciplinamque, quantum *pro tempore* licuit, reſtituere ſatis habuerunt. Cum vero decreuere, vt tertio quoque anno Concilia Prouincialia Epiſcoporum haberentur, opus à ſe inchoatum abſoluendum eis explendumque tradiderunt. Longe enim propenſius & ab imbecilliorum periculis expeditius viſum fuit ſingulares & ad cuiuſque Diœceſis rationem accommodatas ſenſim formulas inducere, quàm generales vniuerſæ Eccleſiæ leges imponere. Sap. 12.

Nihil aliud toto vitæ ſuæ tempore ſtuduit Beatiſſimus Carolus, niſi Tridentinæ Synodi conſilium illud diligentiſſimè implere. Huc Diœceſana, huc Prouincialia Concilia moribus reformandis ab eo continenter habita ſpectarunt, vt manifeſtiſſimè pateat, omnem illius regiminis ſummam in perficiendis quæ à Synodo illa mandata fuerant conſtitiſſe. Atque hoc apertè teſtatur Vitæ illius autor: *Sub Concilij Tridentini finem*, inquit, *ſtatuit ingredi Apoſtolicæ perfectionis iter, vitæque inſtitutis exprimere ea quæ literis & decretis comprehenſa eſſent.* Cumque Concilium abſoluendum curaſſet, *egit*, inquit idem, *cum Pontifice Carolus, vt ex Cardinalium numero deligerentur, qui ſua autoritate controuerſias, quæ religione, vel inſcitia, vel prauitate interpretantium*

Ripamont. in Vita S. Caroli. lib. 2. p. 111.

Ibid. p. 107.

oriri possent, in quotidiano decretorum vsu dirimerent. *Delecti sunt octo atque in eo numero Carolus fuit. Grauissimam hanc actionem susceperat, vt Pontificatu ipso administrationeque Ecclesiæ Mediolanensis omnia Concilij Tridentini decreta disciplinamque repræsentaret vsu rerum talem qualis hodie volumine inclusa circumfertur.* Denique *vniuersam prouinciam inspiciebat, num ad Concilij Tridentini præscriptum, sicut ab initio destinarat, conuenienter & aptè cuncta formarentur.* Quare post eius Concilium Prouinciale I. Pius IV. Summus Pontifex ad eum scripsit, facile intelligi eum ad Ecclesiæ Mediolanensis instaurationem singulari Dei prouidentia fuisse delectum; quod in ea Tridentinæ Synodi decreta exultantibus atque applaudentibus vniuersis suscepta essent.

Ibid. p. 108.

Ibid. p. 145. Idem habet Giussano lib. I. c. 11.

Itaque constat Concilij Tridentini decretorum & sinceram intelligentiam, & verum vsum ac praxim à Sanctissimi illius Archiepiscopi vita & factis esse repetendam. Quî enim ambigere liceat, mentemne illius Synodi ac sensum assecutus sit, penitusque perceperit, quàm & spectauit dum haberetur & perficiendam explendamque curauit; cuius Episcopos audiuit atque affatus est sæpius; cuius Catechismo conficiendo præfuit; cuius interpretes Cardinales & diligendos prouidit, & in ijs ipse delectus est? Quis vero dubitet, quin Synodi mentem intelligentiâ penitus perspectam fideliter factis impleuerit, cum eam primum moribus expresserit ac

vita,

vita, cum Ecclesiæ suæ administrationem vniuersam ad decretorum illius amussim exegerit; cum sæpius id sibi in primis propositum esse testatus sit; cum id ipsum Summi etiam Pontifices publicè agnouerint; cum denique idem frequentius ab illius Vitæ Scriptoribus sit proditum?

XXIV. S. CAROLI IN ECCLESIASTICA DISCIPLINA VINDICANDA, TOLLENDISQVE ABVSIBVS CONSTANTIA.

Equidem cum Sanctissimi viri in Ecclesiastica disciplina tuenda inuictam animi firmitudinem atque constantiam, eiusque in Concilijs vel facta, vel dicta intueor: facere non possum, quin cogitationum illius à nonnullorum cogitationibus immensum discrimen admirer. Si enim illam pœnitentiæ praxim & disciplinam Summorum Pontificum ac SS. Patrum testimonijs stabilitam nimis antiquam & ab hisce temporibus remotiorem, imo, vt Scripti quod refellimus Autori placet, temerariam fingere aspernarique sustineant; effugere non poterunt, vt diuinissimum virum eadem opera non explodant, cuius acta omnia consiliaque eò spectarunt, vt Tridentinæ Synodi iussa perficeret; eaque dum vixit morum sanctitate; postquam viuere desiit, miraculorum gloria confirmauit.

Nam si non ferant esse qui Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ abusus pariter cum Concionatoribus Pastoribusque indignentur & gemant; si illorum suscipiendorum rationem ab vniuersa Ecclesia comprobatam, ijs qui sponte atque vltro eam amplecti voluerint exhiberi

non patiantur: quo tandem animo Sancti illius Antistitis voces audient, cum ad Episcopos secundo Concilio congregatos, tot rebus præclare gestis, se tamen in priore Concilio remissius ac mollius egisse confitetur, quod quæ agenda sint, non vno tempore, sed gradatim ac pedetentim Spiritus Sanctus aperiat: Morum corruptelam, ex qua hæreses fluant, penitus esse comprimendam. *Nam si vitiorum*, inquit, *semina non funditus tollere studuerimus, sed satis id esse putamus, vt externa quædam tantum, quæ oculis offensionem in vulgus præbent, quasi leui manu emendemus; id nobis eueniet quod agricolis, qui dum herbas inutiles radicitus euellere negligunt, id sanè efficiunt, vt vberiores paucis post diebus emanent.* Atque in Concilio Prouinciali III. profitetur: *Se vix aut ne vix quidem inchoasse, ne dum absoluisse quod aggressus fuerat. Quod si quis nostrum*, inquit, *secus fortasse existimat, quoniam in hac prouinciâ aliquod maius pietatis Christianæ studium elucere videt quàm antea solebat, quamque alijs fortasse quibusdam locis apparet, næ iste plane quidem fallitur. Non est enim cur nos vel cum ijs quæ proximè antecesserunt temporibus, vel cum aliorum factis actiones nostras expendamus: sed comparemus oportet cum ea sanctè agendi formula nobis diuinitus præscripta, quæ si ob oculos versabitur, facile cernemus quam longè ab ea distemus.... Quicquid enim externâ solum specie non solido agendi studio geritur, id quoniam non vllâ quasi radice fixum hæret, statim diffluit, statim euanescit.*

Orat. habita in Conc. Mediol. II.

Ibidem.

Si injurium Ecclesiæ putant disciplinam eius quadam ex parte à recto ordine detortam dici: quibus auribus hasce illius in Concilijs apud Episcopos querelas accipient? [a] *Nota sunt*, inquit, *vobis Ecclesiæ vulnera, grauissima mala.* [b] *Miserabiliter prolapsa institutio Ecclesiasticæ disciplinæ.* [c] *Prope perierat Christianæ vitæ institutio: conciderat penè salutarium rerum vsus, nulla ferè Cleri disciplina, quasique nullum populi in charitatis officijs studium: prolapsus denique miserabilem in modum erat totus ille ab Euangelij luce dimanans Christianarum virtutum ornatus.* [d] *Vidimus nos, vidimus prouinciæ nostræ faciem deformatam, nec plane collachrymabili illo templi Hierosolymitani aspectu dissimilem.* [e] Quin & Ecclesiam cum Nosocomio ac valetudinario confert, in quo vis infinita languentium iaceat; omnemque omnium vitiorum penes Christianos licentiam ita effusam & in flagitiosis actionibus [f] *eos vsque adeo insanire* ait, vt *in tanta peccatorum, quæ inde existunt, colluuione, ne culpam quidem agnoscant.*

a Orat. habita in Conc. Mediolan. I.
b Ibidem.
c Orat. habita in Conc. Mediol. IV.
d Orat. habita in Conc. Mediolan. V.
e Orat. habita in Conc. Mediol. VI.
f Ibidem.

Si *Ecclesiam præsentem* cum Aduersario nostro quam præteritæ antiquæque opponant, & cuius nomine quicquid ab omnibus vulgò non fiat, quacumque demum Summorum Pontificum & Conciliorum autoritate nitatur, repudient ac damnent, fingere velint: Si primitiuæ Ecclesiæ integritatem commemorari, sanctorumque Patrum disciplinæ complectendæ mentionem fieri nolint, summum illum virum talibus verbis

Episcopos compellantem quomodo ferent? [g] *Morum*, inquit, *disciplinam facile restituemus, si quâ ratione, quibusve factis primùm constituta diuque conseruata est, eandem nos in restituenda adhibebimus.* [h] *Patres imitari oportet.* [i] *Non adumbratam quandam, sed expressam illam Christianæ disciplinæ formam afflante Spiritu Sancto decretis nostris restituere curemus, quam nascente Ecclesia instituit viuus sermo Dei & efficax.* Quomodo ferent illam eiusdem aduersus eos qui de decretorum ipsius multitudine querebantur expostulationem? *Aliud nos, inquit, Spiritus Sancti doctrina docet, aliud Apostolorum instituta monent, aliud Patrum exempla declarant, aliud canonum leges iubent, aliud* VETVS ECCLESIÆ VSVS IN OMNES PARTES VTILIS *postulat, aliud Tridentinæ sanctiones nuper instituunt, aliud nos in hac prouincia iamdiu ad consuetudinem reuocauimus.*

g Orat. habita in Conc. Mediolan. I.

h Orat. habita in Concil. Mediol. II.

i Ibidem.

Orat. habita in Conc. Mediol. VI.

Si homines canonum autoritate ad puriorem vitam reuocari, & ad quam rationem ac viam ille tunc omnes adducere nitebatur, eam nunc iis solis qui vltrò ingredi voluerint, aperiri stomachantur; quam moleste audiant illas eius voces tanto zelo prolatas, tanto autem studio diligentiaque impletas? [k] *Si quæ oues, inquit, impura vitiorum labe extabescunt, salis acrimonia sanandæ sunt.* [l] *Quam inanes & penè nefariæ voces hominum qui populum nostrum decipiunt, dicentes: Pax, pax; & non est pax.* [m] *Ecquæ vtilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes hominum beneuolentiam popu-*

k Orat. habita in Concil. Mediol. II.

l Orat. habita in Conc. Mediol. VI.

m Orat. habita in Concil. Mediol. II.

lari quadam indulgentia conciliemus? [n] Quin & in Concilio Mediolanensi VI. quicquid superioribus Concilijs actum esset, *disciplinæ* tantum primam delineationem atque *vmbram* esse pronuntiat.

n Orat. habita in Conc. Mediol. VI.

Si nefas putant proferri quicquam quod communibus omnium moribus sensibusque minus congruat; quam malè vrantur grauissimis eius increpationibus in eos qui pari animo præsentes mores veteri, quam nouitatis insimulabant, disciplinâ ab illo circumscribi abolerique querebantur? *Nec vero est*, inquit, *cur à muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his Pastoralibus nostris studijs actionibusque animos eorum exulcerari videamus qui filij sunt perditionis: vel quia populares illæ quibus quasi ficus folijs, deformes prauique mores contegi solent, voces audiantur.* NON FERVNT HÆC TEMPORA VETERVM CANONVM SEVERITATEM: SIC IAMDIV VIXIMVS; ITA VIXERVNT, ITA EGERVNT QVI ÆTATE NOS ANTECESSERVNT, VITÆ INSTITVTVM NIHIL EST QVOD MVTEMVS. *At nos hæc atque alia eiusmodi contemnamus.* Rursum alibi eandem querelam retundens: *Quousque tandem*, inquit, *Concilia prouincialia toties conuocata? Quorsum & tot constitutiones & tot decretorum vincula? Vulgaris vox, Patres Sanctissimi, ac sicut ne tacita quidem cogitatione religiosæ mentis digna, longeque à sensu Episcopalis vestri animi aliena: ita hominum vel im-*

In Concil. Mediolan. II.

In Concil. Mediolan. IV.

piorum est Ecclesiam Dei oppugnantium; vel Christianorum disciplinam abhorrentium; vel imperitorum planeque nescientium quantas vires habeat frequens Synodorum actio atque vsus; vel illorum sanè qui angusto paruoque animo omnia metiuntur.

In Concil. Mediolan. VI.

Denique in vltimo Concilio eandem reprehensionem ita refellit: *An vero fortasse à curatione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti prouinciæ sanandæ studio exulcerantur animi quorumdam passim dictitantium:* NON FERVNT HÆC TEMPORA VETERVM CANONVM ET ANTIQVÆ ECCLESIÆ MEDICAMENTA? *Imo ardentius progrediamur, quoniam hæc vna medicina præstantissima est, maximeque opportunum id remedium, vt quibus olim rationibus disciplina Christiana sata & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur & conseruetur.*

XXV. REPREHENDI NON POSSE, QVI ANTIQVAM DISCIPLINAM REDVCEM AC REDIVIVAM CVPIVNT, QVIN EODEM IMPETV S. CAROLVS REPREHENDATVR.

Cum igitur vir sanctissimus in pœnitentiæ ac disciplinæ totius ratione nihil aliud nisi *S. Spiritus doctrinam, Apostolorum instituta, exempla Patrum, leges canonum* spectare se profiteatur, *idque veterem Ecclesiæ vsum in omnes partes vtilem ac Tridentinas sanctiones à se postulare* confirmet: etiamne num Canonibus obsequi liceat, ambigetur? Etiamne metuendum erit, vt publicæ consuetudinis violatæ, perturbatorumque animorum rei peragamur, posteaquam istas ipsas criminationes non responsionibus, sed plane verborum fulminibus ab eo in Conciliis, diuina illa, qua in eiusmodi cœtibus Episcopi flagrare solent,

Filios perditionis vocat, qui causantur hæc tempora

flamma, incenso, disiectas penitus oppressasque vidimus? Si facta illius sancta habenda non sunt, cur eum ipsum sanctum habemus? Sin habenda sunt, cur eorum imitatores damnamus? An sine Ecclesiæ offensione hodie exponi non potest quod cum Ecclesiæ plausu & fructu nuper ab eo imperari potuit? An eorum qui ipsi dum viueret obluctati sunt, *seuerasque* eum *injustas* & *nouas* leges inuehere arguerunt; quàm illorum qui decretis ipsius studiosissimè paruere similiores iubemur esse, vt quam illi in terris etiam tum agenti, nos in cœlo Deo ipso perfruenti injuriam & contumeliam imponamus? An ille *Apostolorum & Patrum instituta* consectans, sapientiæ laudem meruit, nos eadem persequentes in temeritatis crimen incurremus? An cum antiquam ille disciplinam tot molestijs laboribusque reuocauit, Summorum Pontificum atque Episcoporum sententijs & præconijs, vniuersam summo atque omnium maximo beneficio affecit Ecclesiam; nunc si quem istius ipsius disciplinæ tangat amor, eamque ab ijs quibus talem mentem Deus dederit, aliqua ex parte coli cupiat, *summam atque omnium maximam eidem Ecclesiæ calamitatem importabit?* Postremò an quisquam Aduersario nostro assentiatur *Dæmonis stratagema* numerandam Apostolici illius viri rationem & disciplinam quam collaudarunt Summi Pontifices, amplexi sunt Cardinales, Episcopi æmulati sunt, Principes expetierunt, populi acceperunt,

non ferre veterum Canonum seueritatem. Locum paulo ante descripsimus.

vniuersa denique Ecclesia summo honore venerata est?

Atque hoc quidem illius veterum Canonum referendorum renouandorumque studium, eo acceptius omnibus esse debet, quod nihil aliud ei propositum fuit, nisi Synodi Tridentinæ vestigia persequi. Quod quidem ipse indicauit, cum Cardinale quodam Concilia toties ab eo haberi minus necessarium iudicante, protulit magnificam dignamque Ambrosij successore sententiam: *Cum Tridentina Synodus veterem Ecclesiæ disciplinam in vsum reuocari iussisset, Concilia sibi vsque eo cogenda, dum eam in primæuam integritatem restituisset.* Ita Tridentinam Synodum antiquam disciplinam restitui iussisse S. Caroli, qui Concilij interpres & quasi lingua extitit, voce accepimus. Quod profecto verbis ex Oratione quæ Synodo illi finem imposuit superius allatis consentaneum est, & omnia quæ de Patrum Tridentinorum voluntate hactenus disseruimus, abundè confirmat. Et vero Beatissimi illius viri dicta, facta, Synodi fidem faciunt, omnem eum totius vitæ operam, curam, ac studium in eo posuisse, vt illam Synodi de instauranda vetere disciplina iussionem impleret.

Doctor Giussano in Vita S. Caroli. lib. 2. c. 18.

Quæ cum ita se habeant, an vitio cuiquam aut crimini dabitur, quod vel Concilij præceptis obtemperare, vel tanti viri zelum æmulari voluerit? An vero qui Ecclesiam Dei conturbare, item vt ille, insimulabuntur, quod sacros Canones

quos

quos ipſe quibuſlibet fruſtra renitentibus obſeruandos curauit, ſtudioſius coli exoptent, nonne in ampliſſimi illius, quo Pius V. Summus Pontifex ab obtrectatorum nimiam eius ſeueritatem accuſantium morſibus eum vindicauit, teſtimonij partem aliquam ac ſocietatem venient: *Quæ ab ijs ipſi eſſent objecta, magnas eſſe eius laudes, atque ad diſciplinam & ſalutem vrbis haud dubie pertinere.*

Verum illud in primis Sanctiſſimi Archiepiſcopi vitam omnem & inſtituta nos diligentius exquirere & in ijs perſequendis diutius hærere compellit, quod manifeſtiſſimè liqueat eum ad inſtaurandam pœnitentiam, nempe ad opus vnum Chriſtianæ vniuerſæ Religioni grauiſſimum ſaluberrimumque ſuſcipiendum ſingulari Dei prouidentia fuiſſe delectum. Deus enim qui vnitatem ſuam multis modis in Eccleſia commendat, nunquam illuſtrat eam ac nobilitat impenſius, quàm cum ad Eccleſiaſticæ doctrinæ caput aliquod propugnandum, vel diſciplinæ partem aliquam reſtituendam, vnius alicuius operam ac ſtudium adhibet; quem non aliter ſingulari illo dono inſignem atque vnicum præſtare conſueuit, atque ipſe eſſentiâ diuinitateque eſt vnicus.

XXVI. DEVM S. CAROLVM RESTITVENDÆ POENITENTIÆ EXEMPLVM TOTI ECCLESIÆ PROPOSITVM AD IMITANDVM ESSE VOLVISSE.

Quanam igitur clariori in luce ac ſplendore pœnitentiam collocare potuit Deus, quam vt eius perſonam & partes tali viro imponeret? Aut quem tandem manifeſtius demonſtrare potuit

à se designatum & constitutum, quem inusitatis ac planè extraordinarijs dotibus ac præsidijs ornatum ad altissima summæ illius quâ Ecclesiam regit prouidentiæ consilia exequenda ministrum adiutoremque ascisceret? Illustrem ac præcelsum fecit generis claritate, copiarum abundantiâ, Archiepiscopali dignitate, Cardinalitiæ purpuræ splendore, supremâ Pij IV. auunculi potestate, vniuersæ Ecclesiasticæ reipublicæ administratione, sanctitatis præstantiâ, sapientiæ lumine, nefarijs in eius caput conatibus, admirabili ac plane diuinâ eorum depulsione, Ecclesiasticæ disciplinæ amore ac studio incredibili, Episcopali prorsus atque Apostolicâ virtutis magnitudine, immensâ illâ in primis pœnitentiæ laborum asperitate, contra eorum ipsorum sententiam quibus plurimùm tribuebat, susceptâ, quod ijs hac in re nisi Sancti Spiritus & gratiæ instinctui renitendo parere non posset; ijs denique ornamentis adjumentisque omnibus quibus vel in Ecclesia, vel in seculo summa dignitas & gloria conciliari queat. His enim tot illustribus notis rebusque singularibus in vnum hominem præcipuâ quadam benignitate congestis perspicuè declarauit, eum quasi formam & exemplum à se constitutum, quod in renouando pœnitentiæ studio vniuersa Ecclesia intueretur: vt sicut in celebri *illa*, quam Mediolani grassante lue instituit, supplicatione, hostiam se & quasi piaculum pro gregis sui sa-

lute deuouit; ita perpetuâ vitæ duritiâ & acerbitate vniuersæ quodammodò Ecclesiæ nomine ac pro vniuersa Ecclesia pœnitentiam gereret; quando illius demum fuit, qui & successisset Apostolis, & insignem innocentiam insigni potestate coniunxisset, Christi se hoc in genere Apostolorumque imitatorem exhibere.

Atque vt illum reducendæ in viam Ecclesiasticæ disciplinæ principem administrum à Deo adoptatum orbis agnosceret, Concilia prouincialia post Tridentinam Synodum habuit, eaque illi velut appendicem & complementum adjunxit. Neque enim illius decretorum vim ac sententiam decretis tantum expressit suis; sed cum meminisset Sacerdotes Christi instar, priusquam doceant facere oportere, omnium Concilij Patrum viuam quodammodò effigiem præbere sese instituit, vt restitutæ Concilij decretis pœnitentiæ ad rem vsumque conferendæ rationem suo deinceps exemplo doceret, nec se ad ipsam tantum Synodum, sed multo etiam magis ad Synodi placita explenda cumulandaque cœlitus designatum contestaretur.

Et quidem quod illum restituendæ disciplinæ quasi formam quandam diuinitus factum fictumque dicimus, ita planum exploratumque est, vt à vitæ illius Scriptore proditum sit his ipsis verbis: *Clarissimè patet, atque omnibus constat, à sancto hoc viro Concilijs suis formam Episcopis, animarumque Pastoribus omnibus & normam expressam* *Giussano libr. 2. c. 18.*

Ecclesiarum ac Diœcesum reformandarum regendarumque, fidelium ad tutam cœli viam deducendorum, ac sacri Concilij Tridentini iussis obtemperando, sancti perfectique cultus Deo adhibendi. Quare Concilia eius per vniuersas Christianæ ditionis oras & leguntur & obseruantur, atque ad noui etiam orbis disiunctissimas penetrarunt regiones, pluribus exemplaribus eò perlatis: ac multus ab ijs fructus per vniuersam Ecclesiam magnaque emendatioris disciplinæ accessio in dies existit.

XXVII. ITA S. CAROLVS DISCIPLINÆ INSTAVRANDÆ CVPIDVS FVIT, VT MVLTAM TAMEN MODERATIONEM ATQVE INDVLGENTIAM ADHIBVERIT.

Quapropter qui Beatum hunc Antistitem seuerum quendam ac tristem fingunt, qui suam quandam ac propriam vitæ viam ingressus sit; præterquam quod aberrant à vero insignem virtuti eius ac prudentiæ injuriam faciunt. Nihil enim egit, nisi vt Synodi Tridentinæ sententiam decretis suis exequeretur, quemadmodum & toties ipse præ se tulit, & Vitæ illius Scriptores consentiunt: ingentemque illum pœnitentiæ redintegrandæ ardorem ac zelum, eiusdemque peragendæ præcipuum studium tantâ moderatione consilioque leniuit, vt duas illas, quas Gregorius Magnus à Pastoribus optat virtutes cumulatissimè consecutus videatur fuisse, simul & *sibi rigidus & alijs temperatus*. Cum enim in Concilijs profiteatur indulgentiorem sese inter initia fuisse, lenioribus primum rationibus homines ad meliora paulatim allectantem; tum ad extremum eandem indulgentiam adhibuisse eum constat, cum homines ad omnem cano-

Gregor. in 1. Reg. lib. 4.

num pœnitentiam vſquequaque ſubeundam minus idoneos diuturno vſu comperiſſet.

Atque hoc ipſe in ſexto eodemque vltimo Concilio apertius pronunciat, acriter in eos inuehens, qui effecta ab illo ad eam diem Diœceſeos Mediolanenſis temperatione contenti, nihil amplius requirendum putabant. Poſtquam enim faſſus eſt *in ſuperioribus ſuis Concilijs vmbram tantum diſciplinæ* fuiſſe inductam, orationem in hæc verba concludit: *Longe abſint à nobis voces iſtorum, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Næ iſti ſuis adulationum vocibus vocumque blanditijs cum nos fallere ſtudent, tum iſtis etiam illecebris populos noſtros decipiunt: dicunt enim bonum malum, & malum bonum. O popule meus, quis poterit omnia mala quæ te vndique premunt enumerando percenſere? Audent tamen iſti à ſalutis via te adulationibus longius abducere. Popule meus, qui te in tanta malorum colluuione beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Quæ quidem cum illa Iſaiæ voce quam tum in mente habuiſſe videtur, planè conſentiunt: *Et erunt qui beatificant populum iſtum, ſeducentes; & qui beatificantur, præcipitati.*

Orat. habita in Conc. prouinc. VI.

Iſai. 9. v. 16.

Quis eum ita in vltimo Concilio diſſerentem ſignificare non videat, exiguam partem eorum quæ in animo haberet, quæque ſi vita ſuppeditaſſet, ad exitum adducere contendiſſet, à ſe eſſe perfectam? Vt enim obiter dicam illius animum

ad antiquæ diſciplinæ inſtaurationem totum incubuiſſe, quinque argumentis manifeſtè conficitur.

Primo quidem, quod pœnitentiam publicam peccatis publicis, quibus hodie peccatorum pars magna continetur, ex Concilij Tridentini præſcripto reddidit.

Secundo, quod ad ſecretas etiam culpas canones Sacerdotibus vt pœnitentiæ opera eorum autoritate imponerent, notos eſſe voluit: quibus operibus ſi pœnitentes pares non eſſent, ſaltem quid iure deberent, quidque indulgenter ac benignè illis Eccleſia remitteret, intelligerent.

Tertio, quod quantum malorum in omnes hominum ordines inconſultæ ac præcipites abſolutiones inuexerint, declarauit; neque id in Concilijs tantum, ſed in Libris etiam vernaculo ſermone conſcriptis, vt tanta res nemini lateret.

Quarto, quod tot leges dedit, quibus Preſbyteros innumeris penè in cauſis abſolutionem pœnitentium, quoad emendationis ſuæ fidem rebus & factis feciſſent, differre iuſſit.

Quinto denique, quod hiſce omnibus ad Diœceſim ſuam conſtituendam elaboratis nihil tamen à ſe actum exiſtimauit. Quare in Synodo Diœceſana decima *deplorauit increpuitque ſegnitiem ſuam, irritos conatus, & ſtatum in quo relicturus Eccleſiam ſuam ipſe eſſet. Sicut enim cum templum Hieroſolymitanum reficeretur, exultantibus gaudio iunioribus, maiores natu veteris quod viderant templi*

Ripamont. lib. 6.

magnificentiam animo recolentes, illachrymabantur: ita si primæuæ Ecclesiæ sanctimoniam purosque animos, queis ætas illa numen coluisset, oculis subjecissent, ex comparatione intellecturos, quam adhuc multa deessent sibi, & vna cum misero Clero Episcopum infelicem posse commoueri, ne temperarent à lachrymis.

Itaque animaduertere est orationes illius in Conciliorum initijs habitas tantâ verborum vehementiâ, tanto Apostolici zeli vigore flagrare, vt Ecclesiasticam disciplinam ad ipsum antiquum splendorem vnaquaque in Synodo perducturus videatur. Verumtamen multum sese deinde in decernendo demittit, multa hominum imbecillitati condonat. In orationibus enim illis Deum, hoc est, veritatem ipsam, Episcoposque & Presbyteros, quos ijs quæ diceret capiendis pares nouerat; in decretis vero mollitiem hominum prauamque assuetudinem intuebatur. Quid ergo fieri vellet apud Clerum profitebatur; quid fieri posse existimaret sanctionibus demonstrabat.

Quare si cui nunc damnare libeat idipsum agentes quod ille gregi suo agendum decernebat; is tanti viri acta damnabit. Sin eos improbet, qui studiosius etiam quam tum illius populi captus ferebat, sacris canonibus parere velint; is sanctissimi viri voluntatem ac studium improbet necesse est. Hoc enim vnum sibi cordi ac studio esse sæpius ipse testatus est, *vt instituta Patrum, canonum leges, veterem Ecclesiæ vsum conse-*

ctaretur, nec à Concilijs habendis prius desisteret, quàm Ecclesiæ disciplinam in primæuam integritatem perfectionemque restituisset. Qua in re ita se firmum tenacemque propositi præbuit, vt duritia querelæque hominum illa morum vincula recusantium zeli eius ardorem inflammarint potius quam restinxerint.

Est enim Prophetarum, & Apostolorum, insigniumque Episcoporum qui & Prophetæ simul & Apostoli in Scripturis habentur, Euangelij ac disciplinæ Ecclesiasticæ communes ac publicas leges proferre, nec ab ea mente eorum quibus veritatis notitiam profuturam intelligant, paucitate deterreri. *Luc. 19. v. 23.* A Christo enim in Euangelio iussum meminerunt, cœlestem verbi diuini pecuniam intrepidè fœnori dari, & quantum in singulis fructus peperit, minimè laborari; propterea quod vsurarum in tempore exigendarum, rationisque ab ijs quibus illa credita fuerit reposcendæ partes sibi ipse reseruarit. Norunt etiam Apostolum Paulum Euangelicæ illi voci præclarè paruisse, cum in adducendis ad fidem Iudæis perinde laborauit, ac si omnes perducere potuisset; tametsi non erat nescius eatenus sibi processurum laboris euentum, vt *aliquos ex illis*, *Rom. 11. v. 14.* hoc est, paucos admodum, *saluos faceret*, quod eorum gentem vniuersam Deus horrendâ execratione perculisset, editumque esset Scripturarum oraculis, eos sub mundi demum occasum in viam redituros.

Hanc

Hanc Apoſtoli ſanctiſſimam voluntatem hoc in opere nobis æmulari propoſitum eſt, animorumque tranquillitate & pace incolumi hoc vnum ſpectare, ne tuendæ veritatis impoſito nobis à Deo muneri defuiſſe videamur; feliciter nobiſcum actum iri exiſtimantes, ſi quem ille hac quam omnibus offerimus inſtitutione commouere, noſtramque operam non nemini fructuoſam efficere cœperit.

Iam vero diuinæ prouidentiæ ratio diligentius hoc loco ſuſpicienda eſt. Poſteaquam enim Deus homines varijs ac multiplicibus modis per Prophetas, per Filium, per Apoſtolos, denique per SS. Patres Apoſtolorum ſucceſſores inſtituit atque commonuit, procedentibus temporibus Eccleſiâ morum ſanctitatem ſenſim remittente, non aliter eos commonere inſtituereque de integro conſueuit, quam per inſigniorem aliquem Antiſtitem; qui prolapſas res ad initia & fontes ipſos reuocet, alioſque non minus factis quam dictis & præceptionibus ad rectam ſalutis regionem reducat: quâ eadem ratione ſingulas Religioſorum familias renouare ac refingere ſolet. Atque in hanc ſententiam accipienda eſt vox illa Prophetæ: *Semel locutus eſt Dominus.* Nam poſt admonitionem inſtitutionemque illam publicam repentè in ſeipſum quodammodò ſeſe recondit, diuturnoque ſilentio eos qui ad vocem ipſius obſurdeſcentes interpretem ac legatum ſuum non audierint ita Pſalm. 61. v. 12.

vlciſcitur, vt in eadem illos morum vitæque totius ratione hærere ſinat, in qua, priuſquam eos exciret è ſomno graui & quaſi lethargo vitiorum odijque pœnitentiæ, volutabantur.

Quare ſanctiſſimos quoſque poſterioris ætatis Epiſcopos, benigniores, hominibuſque vitia ſua amantibus minus moleſtos fuiſſe animaduertimus. Atque vtinam ne id nobis pœnæ loco vindictæque contigerit, quod priorem illum Epiſcopum pœnitentiæ doctorem vnicum ac vindicem non accepimus. Autore quippe Auguſtino nullum Dei in homines ſupplicium maius & grauius ſilentio illo ac patientiâ de quâ apud Prophetam loquitur: *Quieſcam, nec iraſcar amplius.*

Auguſt. Confeſſ. lib. 1. c. 18.

Ezech. 16. v. 42.

XXVIII. GRAVISSIMÆ S. CAROLI OB RESTITVENDÆ DISCIPLINÆ STVDIVM ÆRVMNÆ ET LABORES.

Illud præterea Beatiſſimi viri exemplo Deus etiam docuit, nihil eſſe quod miremur aliquantum commoueri homines, cum in veteri diſciplina quæ prima eos ſpecie nouitatis exterret, aliqua ex parte reſtituenda elaboratur. Cui enim mirum id videri queat, intuenti crebras illas tempeſtates ac procellas, quibus vir tantus in omni vita iactatus eſt? In quas quidem diuino nutu eum incidiſſe credendum, non tantum vt probaretur ipſius virtus, atque ardens ille quo Eccleſiam proſequebatur zelus altior & conſtantior exiſteret; verumetiam vt in animis fidelium tot obluctantium aduerſariorum contentionibus ac pugnis vehementius confirmaretur pœnitentiæ vis illa & praxis, quæ reuera ipſiſſima

erat antiquæ diſciplinæ pœnitentia, tametſi hominum degeneri licentiâ paulatim in deteriora prolapſorum opinione recens ac nuper excogitata videretur. Cum enim Patrum omnium conſenſu, & creberrimis Auguſtini potiſſimum teſtimonijs exploratum ſit, Dei prouidentiam hæreticorum certaminibus ad illuſtrandam fidei eaveritatem vti conſueſſe : quis dubitet quin eadem turbulentas hominum in Eccleſia commotiones ad diſciplinam, qui fidei & gratiæ flos primus ac germen eſt, commendandam magis ſtabiliendamque conferat?

Et quidem in tam ſalutari opere perficiendo Beatus Antiſtes obſtantia omnia & tanquam oppoſitas ſibi moles tanta immoti animi firmitate perrupit; vt quod de Ieremia ſcriptum eſt, de illo verè prædicare liceat, *columnam eum ferream, murumque æreum*, ad eorum omnium qui pœnitentiæ velut poſtliminio redeunti obſiſterent, frangendos impetus, fuiſſe conſtitutum; præclaramque illam Gregorij Magni vocem penitus in animo ſemper velut inſonantem habuiſſe: *Leonis nomine Doctorum ſeueritatem accipi..... quia in plenitudine ſcientiæ quam habent, neceſſe eſt vt & boum manſuetudinem teneant, & feruorem leonum, quatenus in diſciplina quam prædicant, & ex ſancto zelo accenſi ſint, & ex paterna dulcedine tranquilli.*

Ierem. 1. *v.* 18.

Gregor. hom. 21. *in Ezech.*

Ab illius Vitæ Scriptoribus proditum accepimus, complurium tum è Clero, tum è Religio-

ſorum familijs æmulorum operâ tantam in eum factionum ac tumultuationum flammam Romæ concitatam, cum quartum ſuum Concilium Summo Pontifici approbandum obtuliſſet, alijs fictitia & ab eius mente dijunctiſſima gloſſemata excogitantibus, alijs aperto marte oppugnantibus, atque vniuerſum emendari iubentibus & ad incudem reuocari, vt prolata animaduerſionum incredibili copia, artibuſque & coitionibus effecerint, vt quibus recenſendi illius negotium datum fuerat, prorſus cenſurâ obruendum, ne vnico quidem decreto incolumi conſenſerint. Quin & maledica illorum fraudulentia ſic animos Cardinalium occupauit, vt plerique vel pluribus locis interpolandum, vel omnino comprimendum eſſe cenſerent. Atque eò loci res deducta eſt, vt Beatiſſimus Archiepiſcopus prætermiſſis omnibus Diœceſis negotijs Romam properare coactus ſit, Monaſteria alia ex alijs percurrens, perpetuâque pœnitentiæ exercitatione & continuis precibus à Deo poſtulans, *vt contra fatuas hominum mentes adeſſe Eccleſiæ laboranti vellet.* Vbi Romam acceſſit, repentina animorum facta eſt commutatio; diſciſſum orationum illius vi velum illud, quo Chryſoſtomus virorum Sanctorum virtutem ne ab hominibus agnoſcatur, à Dæmone obtendi ait. Ipſe eius aſpectus quos maledici diſſipatis rumoribus in falſam opinionem conjecerant, admiratione defixit. Poſtremò accuſatores Deo

Giuſſano. lib. 5. c. 1.

Ibid. c. 2.

Ripamont. lib. 5.

Ibidem.

Chryſoſt. hom. 15. in Matth.

hominibusque iudicibus ignominiâ & dedecore oppressi discesserunt.

Talium procellarum quas ei disciplinæ veteris instauratio ac veritatis studium conciuit, omnis illius vita referta est. Nec vulgus tantum ac plebs mores longo vsu corroboratos canonum renouatione ab eo labefactari fremuit : sed & summates laïci, Ecclesiastici, Regulares, tum singuli, tum totis suorum familijs conjuncti, eum oppugnarunt, neque vim modo, sed cædem ac necem intentarunt, quod (vt Philippo II. Hispaniarum Regi ipse significauit) *nihil prius neque antiquius habuisset, quàm vt tolleret vitia, quæ in publicos mores calamitate temporum irrepsissent, remediisque ad eam vsus esset, primo leuioribus, deinde aliis etiam, postquam pastoralia monita non proficiebant.* Quibus verbis liquidò constat, pœnitentiæ ab interitu vindicandæ conatum præcipuam perturbationibus ac fluctibus illis causam præbuisse. Quin etiam quò Christi ac Beati Pauli similior esset, ipsi amici commutatis repentè animis bellum ei acerbissimum indixerunt.

Ripamont. lib. 5.

Giussano lib. 2. c. 7. 8. 11.

Religiosi Ordinis nobilis Concionator è sacro suggestu publicè in eum inuectus est, *cœpitque*, vt ait Scriptor Vitæ illius, *palam insectari nimiam Archiepiscopi seueritatem, obtrectareque decreta eius; & affingendo finitima virtutibus vitia, salutarem disciplinam, immane iugum; Apostolicas leges irritamenta populi appellabat.* Apud Hispaniæ

Idem, lib. 4.

Regem Majeſtatis eſt accuſatus, captatorumque vulgi animorum; negatumque rem ac prouinciam Mediolanenſem tutam vnquam fore, niſi illo in cuſtodiam cum vniuerſa familia conjecto. Apud Summum Pontificem inſimulatus fuit peruicacis ac præcipitis ingenij. *Violentia* autem illi, quod ſacros canones nihil conſuetudinis aſſertorumque illius vi deterritus ſeruandos curaret, ſic aſſiduè illi objecta eſt, vt à Vitæ Scriptoribus ea *vulgata* in eum *&* *inanis* criminatio dicatur. Decreta etiam illius *dura, iniqua, & noua* vocitata. Poſtremò in eius Vita ſcriptum extat, homines ſimul ac dæmones quo odio virtutem illius, morumque Eccleſiæ inductam ab eo emendationem ſanctitatemque proſequerentur, illos maledictis, hos ira & fremitu demonſtraſſe.

Ripamont. lib. 2. *Idem, lib. 3.* *Giuſſano libr. 2. c. 19.* *Ripamont. lib. 4.* *Idem, lib. 5. & 6.*

In his tamen tumultuantium ac reluctantium turbis, beatus Antiſtes immotus perſtitit atque inconcuſſus, totque illis accuſatorum *criminationibus neque offenſus, neque deterritus pergebat alia inſuper decernere conſentanea & ſimillima iſtis quæ nuper vitio data eſſent*, conſtantiæ magnitudine non minus ſummiſsâ, Deo iudice, quàm forti & inuictâ, etſi ſuperbiæ ab hominibus ac peruicaciæ aſcriberetur.

Idem, lib. 4.

Sic nimirum ille dicta factaque omnium qui tum ſummorum, tum infimorum animos in ipſum incendere conati ſunt, deſpexit ac pro nihilo habuit, minimè neſcius eum qui à maledi-

centiæ aculeis intactus esse velit, Deo ipso (si dici fas est) sanctiorem esse oportere; qui cum in terris mortali corpore indutus apparuit, nec infinitâ sanctitate, nec innumerabilium miraculorum splendore assequi potuit, ne eorum qui apud Iudæos magnam doctrinæ ac pietatis opinionem habebant, sermonibus ac probris [a] peccator audiret, [b] contemptor legis, [c] templi euersor, [d] Cæsaris hostis, [e] seditiosus ac publicæ pacis perturbator, [f] Samaritanus & hæreticus, [g] insanus ac furiosus, [h] seductor, [i] maleficus, [k] vorax ac vini potor, [l] publicanorum ac peccatorum amicus, [m] tyrannus regnique appetens, [n] blasphemus, [o] dæmonium habens: denique [p] incantator ac magus, magorumque vel maximus, qui dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum eijceret.

a *Ioan. 9. v. 24.*
b *Ioan. 5. v. 18.*
c *Matth. 26. v. 61.*
d *Luc. 23. v. 2.*
e *Ibid. & v. 5.*
f *Ioan. 8. v. 48.*
g *Marc. 3. v. 21.*
h *Matth. 27. v. 63.*
i *Ioan. 18. v. 38.*
k *Matth. 11. v. 19.*
l *Ibidem.*
m *Ioan. 19. v. 12.*
n *Matth. 26. v. 65.*
o *Ioan. 7. v. 20.*
p *Matth. 9. v. 34.*

Meminerat Apostolos virosque sanctissimos qui post illum prodiere, nihilo æquius acceptos. Apostolo Paulo affictum, eum dicere *facienda mala, vt bona euenirent*: Ioannem Euangelistam à Diotrephe qui potentiam dominationemque regiam in Ecclesia obsederat exagitatum: S. Stephanum blasphemiæ nomine *verborumque in locum sanctum & legem* in iudicium adductum: S. Athanasium adulterij insimulatum & cædis: S. Basilium ambitionis ac superbiæ: S. Martinum consensionis cum hæreticis: S. Chrysostomum arrogantiæ ac despicientiæ: S. Hieronymum violentiæ & hæreseos: S. Augustinum alie-

In Epist. Prosperi ad August.
In Epist. Hilarij ad August.

norum de gratia dogmatum, quæ *nullus vnquam Ecclesiasticorum sensisset*, quæque *desperationem quandam hominibus exhiberent*: S. Paulinum emotæ mentis & insaniæ: S. Bernardum pseudoprophetiæ, quâ Christianos innumerabiles ad interitum impulisset: Postremò S. Thomam vitiosæ erroneæque doctrinæ in Theologiæ Summam effusæ. Nec vero eum fugiebat, cum veritate simul & charitate pietas constet, quicumque illam asserendam, hanc colendam exequendamque sibi proposuerint, in hominum fluctus iactationesque certissimas incursuros, quemadmodum illo Apostoli oraculo editum est: *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.* Quâ sententiâ Pius V. Summus Pontifex Sancti Antistitis innocentiam vindicauit in litteris ad regium Prætorem Mediolanensem illius famæ falsis criminationibus obstrepentem.

2. Tim. 3. v. 12.

XXIX.
DE OPINIONIBVS PRIVATIS.

Constat igitur snmmi atque Apostolici viri exemplo Ecclesiasticæ Traditionis ac Patrum doctrinæ alumnis *seueras, duras, & nouas* opiniones iampridem obijci cœptas: tametsi fateri necesse est nemini adhuc, quod constet, in mentem venisse *priuatarum* eis *opinionum* nomine negotium facere. Quæ vox ad antiquam veritatem subijciendam inuidiæ nuper excogitata est; vt prauitatis species & color per fraudem & fallaciam ijs rebus illinatur, quas prauitatis damnare palàm nemo audeat. Si enim opiniones illæ falsæ sunt; cur errores apertius non appellantur? vel

vel cur earum patroni Ecclesiæ legibus in iudicium non accersuntur? Sin autem veræ sunt, cur priuatorum illis nomen inuritur, atque ijs quos Catholicæ fidei retinentissimos, ne maleuoli quidem inficias ierint, vastis quibusdam & cœcis criminationibus inuidia conflatur, quæ cum nihil certi definiant quiduis suspicandi locum aperiunt, credulisque ac leuioribus animis eo acerbioris quo occultioris maledicentiæ venenum instillant. Recolendum vero istis & pauendum illud Euangelij: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Atque illud Pauli: *Nolite errare: neque idololatræ, neque adulteri, neque maledici regnum Dei possidebunt.* Quæ quidem commemoranda non putarem, nisi non deessent, qui alienam famam ad istum modum lacerare securè se posse confidant, nec de ijs detrahere sibi videantur, quos persuadere firmo idoneoque nullo argumento contendunt, opinionibus periculosis implicitos, adeoque falsis & à Catholica veritate alienis. Quod enim verum Catholicumque est, id suspectum ac periculosum esse nullo modo potest.

Luc. 6. v. 37.

1. Cor. 6. v. 10.

Porrò etsi Archiepiscopi sanctissimi ad Synodum Tridentinam exequendam tota mente intenti autoritas doctrinæ quam tuemur honorem & religionem fidelium animis afferre abundè sufficiat: plurium tamen Cardinalium & Episcoporum, qui in Ecclesiarum suarum disciplina reformanda tanti viri instituta sunt æmulati,

exemplis illuſtribus commendare eam Deus ac firmare voluit. Vitæ ſiquidem illius Scriptores produnt Cardinalem Paleotum Archiepiſcopum Bononienſem, Cardinalem Ferrerium, Cardinalem Laurum, Valerium Epiſcopum Veronenſem, poſtmodum Cardinalem, Federicum Cornarum Epiſcopum Bergomenſem, Boſſium Epiſcopum Nouarienſem, & Centurionum Epiſcopum Corſicanum, præter cæteros, ſuis in Diœceſibus, vt S. Carolum in Mediolanenſi antiquos renouaſſe canones, illiuſque imitatione magnum decus & ſplendorem fuiſſe conſecutos. Quo in numero Cardinalis Paleotus pietate atque eruditione ita excelluit, atque in tantam apud homines ſanctitatis opinionem venit, vt temporum illorum Scriptores eum in communi cum S. Carolo Eccleſiæ ad primam & antiquam integritatem reuocandæ ſtudio haud inferiora perfeciſſe confirment. Quin & Poloniæ Regem fratris ſui filium, qui deinde Cardinalis Battorius fuit, ad S. Carolum Eccleſiaſticæ diſciplinæ notitia imbuendum miſiſſe memorant, cumque poſtea *Romam abijſſet*, eâ egregiâ notâ ſpectatum vrbi, & Cardinalem factum.

Ripamont. lib. 6. — *Ibidem.* — *Ripamont. lib. 6.*

Ita Beatiſſimus vir non ſolum incubuit, vt Eccleſiam ex Synodi Tridentinæ præſcripto ad priſtinæ diſciplinæ decus ſanctitatemque reduceret: ſed vt Antiſtites etiam ſacræ antiquitatis ac zeli ſui imitatores effingeret, qui, vt ipſius verbis vtar, *non adumbratam quandam ſed expreſſam*

Orat. habita in Concil. Mediol. II.

illam Christianæ disciplinæ formam afflante Spiritu Sancto decretis suis restituere curaret, quam nascente Ecclesiâ instituit viuus sermo Dei & efficax.

XXX. QVID PRIMITIVÆ ECCLESIÆ NOMINE INTELLIGENDVM.

Neque enim primitiuæ Ecclesiæ nomen in eam partem accipiendum est, vt ad primariam illam Hierosolymitanam Ecclesiam quæ in Actorum Libro describitur, solam pertineat: cum ex Eminentissimi Cardinalis Peronij ad maioris Britanniæ Regem Replicâ constet, ipsum illum Regem ab eorum sententia *qui omnem primitiuæ Ecclesiæ Historiam solo Actorum Apostolicorum libro comprehensam putent, longè abhorruisse; seque quarti etiam, imo & quinti seculi Patres colere ac venerari professum*: tametsi compertum est, vulgò hæreticos, quo facilius è SS. Patrum testimonijs elabantur, Ecclesiæ primitiuæ tempora contrahere quam maximè, & in angustum adducere: quam eorum artem Catholicos mutuari indignum prorsus ac turpe fuerit.

Lib. 2. Obseru. 4. c. 1.

Quare Ecclesia primitiua propriè habenda est Ecclesia puræ & integræ disciplinæ retinens, quæ degeneri fidelium languore inclinata necdum erat atque infracta. Cæterum quoniam è tribus prioribus seculis pauca ad nos literarum monumenta peruenerunt, quod illa tempora persecutionum tempestates occuparint, quibus factum ait Hieronymus, ne Cyprianus, quem pœnitentiæ patronum ac vindicem Deus constituerat, plura nobis scripta relinqueret: Cardinalis Perronius quarto & quinto seculo, hoc est,

Card Perron. lib. 2. Rep l. obseru. 4. c. 1.

vt ait, quatuor primorum Conciliorum Oecumenicorum temporibus à Constantino ad Marcianum primitiuæ Ecclesiæ spatia definit, quod cum Patres plerique inter hæc tempora scripserint, vniuersa fidei doctrina, disciplinæque integritas ex eorum Scriptis facile perspici queat.

Ita primitiua Ecclesia nulla alia est, nisi Basilij, Ambrosij, Augustini æqualis Ecclesia: ac primitiuæ Ecclesiæ sententiam de pœnitentia, quam tractamus, exquirere ac persequi, nimirum est Ecclesiasticam disciplinam, qualis Patrum illorum monimentis descripta extat, exprimere denuò ac referre in vsum velle. Tum enim Ecclesia virtutis maturitate ac disciplinæ cumulo absoluta perfectaque foris apparuit: atque hanc deinceps rationem perfectionemque tradidit posteris nulla vnquam contraria lege labefactatam.

Hinc vero mira prorsus ac singularis corporis Christi & Ecclesiæ conuenientia & consensio elucet. Alterum enim in sacratissima Virginis aluo puncto temporis, alterum die Pentecostes, temporis item puncto, vtrumque autem pariter à Spiritu Sancto conformatum fuit. Alterum deinde in vtero Virginis per nouem menses, spatiaque ad corporum nostrorum incrementum constituta, omnem naturæ debitam firmitatem absolutionemque sortitum est: alterum illis primorum seculorum finibus ad debitum sibi Dei voluntate ac decreto virtutis ac perfectionis

modum peruenit. Quin & illud Christo cum Ecclesia conuenit, quod quanquam Euangelio teste, Christo spiritus sine vlla mensura sit datus; vtrique tamen morum, virtutis, ac disciplinæ gradus & processus quidam exteriores dati ac definiti fuerint, vt fidelium omnium institutioni ac pietati formam & exemplum præferrent. Quare sicut Christus per Apostolos nobis illud dictum voluit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis*: sic Apostoli per vniuersos Patres, qui primis quatuor, aut quinque seculis floruere, quique eorum vestigia studiosius sunt persecuti, similibus nos verbis videntur affati: Exemplum dedimus vobis, vt quod fecimus & vos faciatis. Atque vt Apostoli vitæ atque institutorum Christi præcones & Euangelistæ extiterunt; ita beatissimos illos Patres Apostolorum disciplinæ interpretes & quasi Euangelistas dicere licet, vt si Christi vita & pœnitentia sublimior est, quàm vt ad eam aspirare possimus, Apostolorum vitam & pœnitentiam in Patrum illorum moribus ac disciplina fulgentem, imbecillitatique nostræ propiorem accommodatioremque sectemur.

Ioan. 3. v. 34.

Ioan. 13. v. 15.

Hæc duo absolutissima Religionis nostræ exemplaria erectis cordibus intentisque animis assiduè spectare, eaque pro virili imitari & exprimere nos oportet: vt si qua in re deficere & elanguescere nos continget, recreari continuo atque assurgere ipsa capitis nostri, præcipuo-

rumque Eccleſiæ membrorum inſpectione poſſimus, quæ ſic illam olim conſpicua poteſtate rexerunt, vt etiamnum arcana regant, perpetuiſque illi apud Deum precibus adſint, orantes atque inſtantes vt perenne illi roboris ac virtutis ſupplementum & antiquæ perfectionis decus diuina benignitate ſubminiſtretur.

XXXI. *Omnium temporum vnam esse eandemque Ecclesiam.*

Quare ampliſſimæ illius & Catholicæ charitatis quâ vniuerſa Chriſti membra complecti debemus, haud ferè vel indicium certius, vel illuſtrior fructus exiſtat, quam optare atque expetere, vt primitiuam Eccleſiam, qualem paulò ante deſcripſimus, pro ſe quiſque aſſectetur; nec *Eccleſiam præſentem*, cum eo quem refellimus, comminiſcatur, quam antiquæ diſciplinæ, quippe nimia diuturnitate iam effœtæ & obſoletæ, ne dicam, *rancidæ* (quod verbum in antiquos canones nuper Scriptorem quendam conferre non puduit) opponat; ſed eam cum magno Auguſtino potius cogitet ſocietatem quandam vniuerſitatemque Catholicam nullis terrarum vel temporum finibus circumſcriptam. *Eccleſia enim eſt*, inquit, *non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tempore, ſed ab ipſo Abel vſque ad eos qui naſcituri ſunt vſque in finem, & credituri in Chriſtum. Chriſtus enim eſt totum corpus Chriſti: & quicumque nunc Chriſtiani boni, & qui ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt.*

Aug. in Pſal. 90. — *Idem in Pſal. 58.*

Ita Doctorum principi ſanctiſſimo, ac cæ-

teris Patribus, Ecclesia fluuius est è cœlo labens, ac per seculorum volumina in cœlum remeans; sicut flumina è mari manantia in mare reuoluuntur. Ecclesia homo cœlestis est, cui caput Christus, fideles omnes membra; cuius caput in cœlo regnat, membra in terris militant, laboreque & patientia conualescunt. Ecclesia dies ille est, quem Apostolus ait elapsâ iam nocte appropinquasse; qui exoriente sole iustitiæ primùm illuxit, florentissimis Ecclesiæ temporibus quasi meridianum splendorem assecutus est; qui denique mundo iam præcipitante in occasum vergit. Ecclesia diuinum est regnum diuinis legibus, diuino ministerio temperatum, cuius cœlestis disciplina & politia ætatum vicissitudine ita infringi potest, vt ipsum tamen immutabile maneat & æternum, cæteraque omnia regna, Prophetâ teste, obruat & obscuret.

Fluuius ille toto alueo lapsuque suo; homo ille omnibus ætatum suarum spatijs; dies ille totâ conuersione suâ & curriculo; regnum illud totâ diuturnitate suâ idem vnumque est. Sed quemadmodum nec fluuium parte aquarum exiguâ, nec hominem senectute, nec diem occasu, nec regnum rerum eius inclinatione ac deliquio metiri oportet: ita Ecclesiam non his tantum temporibus quibus teste Gregorio VII. consenescit, teste S. Bonauenturâ ad finem & occasum labitur, spectare consentaneum est; sed repetere vsque à Christo fluuij illius fonte, ho-

Gregor. VII. Ecclesiam, *senescentem mundum* ab hinc annis ferè DC. S. Bonauentura, *finalem Ecclesiam* ab hinc CCCC. dixere.

minis illius capite, diei illius sole, regni illius Principe; atque inde per Apostolos, eorumque heredes Sanctos Patres, illius fontis limpidissimos riuulos, capitis illius membra primaria, solis illius splendidissimos radios, summi illius Regis summos administros, ad nostra vsque tempora deuolui.

Atque hanc ob causam Spiritus Sanctus noua identidem Concilia indicenda prouidit, quorum operâ omnem adulterinarum doctrinarum, quibus Ecclesiæ ipsius viuæ ac cœlestes aquæ inficerentur, aduentitiam colluuiem secreuit ac respuit; tabentia omnia membra, quorum lues in vniuersum corpus serperet, recidit; nebulas omnes, quibus splendor illius obscuraretur, fugauit ac dispulit; omnia denique, quibus diuinæ ipsius leges conuellerentur, humana instituta damnauit.

Ex quibus certissimis & ineluctabilibus principijs prorsus liquet, non magis *Ecclesiam præsentem* antiquæ contrariam cum Aduersario nostro fingi fas esse, quàm alterum præsentem, alterum præteritum Christum, quandoquidem Ecclesia, autore Apostolo, ipse est Christus; deque illa iuxta & ipso scriptum est: IESVS-CHRISTVS *heri & hodie & vsque in secula.* *Hebr. 13. v. 8.*

XXXII. ECCLESIÆ TRADITIO CATHOLICÆ VERITATIS NORMA.

Hac solidâ ac verâ Ecclesiæ notione docemur, Catholicæ veritatis eam demum, quæ ab Ecclesiastica Traditione petitur, normam ac regulam tenendam; nihil noui de nostro promendum;

dum; nihil quod alij de ſuo deprompſerint, accipiendum; nec Eccleſiaſticas res argumentationibus moribuſque humanis, ſed diuina autoritate, qua Chriſtiana omnis Religio nititur, expendendas. Vnde & præſtantiſſimi quique omnium ætatum viri, vt ait Auguſtinus, *quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.* Aug. lib. 2. contra Iul. c. 10.

Hæc Traditionis fundamento ſtabilita atque inconcuſſa veritas viſiones, reuelationes, rationes, opinioneſque priuatas nullas nouit, ſed vniuerſas, ſeu viſiones, ſeu reuelationes, ſeu rationes, ſeu opiniones veras Catholicaſque dijudicat verbo Dei & Spiritu duce, cuius ſolius eſt omnium quæ in humana mente & cogitatione verſantur cognoſcendorum, dijudicandorumque arbitrium ac poteſtas. Hanc normam hæretici vniuerſi repudiant, quod omnia eorum commenta ſubuertat: hanc eandem Catholici vniuerſi amplectantur neceſſe eſt, quod ſine eius ope hæreticorum à ſe vim atque impetum propulſare non poſſunt. Si extra Eccleſiam teneretur, abeſſent hæreſes omnes: ſi intra Eccleſiam, omnes errores, abuſus, & diſſidia quibus fideles iactantur, euaneſcerent. Qui ad eius ductum ſe applicant, ita certo atque exploratè rectam viam inſiſtunt & omnis prorſus ſunt iuſtæ reprehenſionis immunes, vt Clerus Romanus ad S. Cyprianum ſcribere non dubitet: *Bene ſibi* Clerus Rom. ad Cypr. ep. 31.

conscium animum, & Euangelicæ disciplinæ vigore subnixum, & verum sibi in decretis cœlestibus testem effectum, solere, solo Deo iudice esse contentum, nec alterius aut laudes petere, aut accusationes pertimescere. Quibus verbis, quæcumque ad Ecclesiæ decreta de pœnitentibus *antiquæque* & euangelicæ *seueritatis* præcepta vindicanda Cyprianus egerat, probat & tuetur.

Tantam vero hic veritatis canon atque hæc norma in Ecclesia vim semper habuit, vt Victor Summus Pontifex Orientis Ecclesijs eo solo nomine, quod Pascha eadem die quâ Occidentis Ecclesia celebrare nollent (quod ad disciplinam pertinuisse nemo non videt) Catholicâ communione interdixerit; nulla alia tam seueræ specie ipsa animaduersionis ratione vsus, nisi S. Petrum eam legem Ecclesiæ traditam reliquisse. Quidnam igitur tantus Pontifex de ijs sensurus videtur, qui perpetuam inde ab Apostolis Ecclesiæ de pœnitentia sententiam atque doctrinam erroribus accensere non dubitant? Quonam modo supremæ potestatis aciem exeruisset, si nouitatis, falsarumque & priuatarum opinionum crimina ijs impingi accepisset, qui clementer & quietè, ac citra cuiusquam reprehensionem leges à Christo & Apostolis non sermone tantum, sed & perspicuis exemplis traditas, ac duodena amplius secula in Ecclesia obseruatas in medium proferunt.

Hac ipsa Traditionis vnicæ normâ Antichri-

ſtum mirificis prodigijs maximaque adumbratæ ſanctitatis ſpecie orbi propemodum vniuerſo illudentem fideles cuique & electi propulſabunt, arteſque illius ac dolos & omnia præſtigiarum machinamenta diſſoluent. Nec enim erunt immemores iuſſiſſe Chriſtum non hominibus quocumque ſanctitatis nomine inſignibus, nec miraculis ſolis, ſed eius verbo Patrum & Conciliorum autoritate ad nos tranſmiſſo, atque ad mundi finem tranſmittendo fidem haberi. Quin & Apoſtolus planiſſimè ſcribit Iudæis, *quod charitatem veritatis non receperint, vt ſalui fierent, miſſurum Deum operationem erroris, vt credant mendacio*, hoc eſt, Antichriſtum mendacij principem, ſicut Chriſtus veritatis eſt princeps & parens, pronis animis accipiant. Ac S. Petrus poſtquam fidelibus Transfigurationem Domini quâ Chriſti gloriam oculis viderat, commemorauit: *habemus*, inquit, *firmiorem* (nempe illo miraculo cui teſtis erat) *Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* 2. Theſſal. 2. v. 10. 2. Petri 1. v. 19.

Hac eadem ratione B. Ioannis à Cruce præclarum eſt illud: *Si quis tibi perſuadere conetur doctrinam laxam, tametſi miraculis eam confirmet, ei non credas:* Euangelij enim oraculum *viam latam in perditionem ducere; viam autem quæ ad vitam ducit arctiſſimam eſſe*, longe vehementius animos noſtros quam vlla humanæ ſanctitatis ſpecies, aut quilibet miraculorum fulgor commouere debet. Ioan. à Cruce in Sentent. ſent. 72. Matth. 7. v. 13.

XXXIII. NON ODII EST SED AMORIS IN ECCLESIAM DISCIPLINÆ DELIQVIA ET DEFECTIONES ANIMADVERTERE, ILLIVSQVE EMENDATIONEM OPTARE.

Iam vero hac Traditionis Ecclesiasticæ inconcussa firmitate magna nobis datur copia eorum animos metu ac religione soluendi, qui si quid in Ecclesiæ disciplina vitij aberrationisque animaduersum audierint, tantum non schisma conflari religionique exitium comparari suspicantur. Quæ cogitatio, ijs quorum preces, vota, consilia, & labores nihil aliud agunt, quam vt Ecclesiæ vtilitati & gloriæ inseruiant, adeo iniqua, eo fortasse facilius à quibusdam pietatis studiosis suscipitur; quod dum Ecclesiam spiritalem penitus Christique sponsam sibi proponunt, pulchritudinem eius nulla temporum vicissitudine deteri, nec minus extremâ ætate quàm primâ nitere ac splendere vellent.

ECCLESIÆ FIDES CORRVMPI NON POTEST: VITA ET DISCIPLINA POTEST.

Nec enim attendunt ijs qui Ecclesiam ab hæreticorum calumnijs vindicant, duo illa pariter asserenda, Ecclesiæ fidem semper incorruptam, mores autem in plerisque eius membris posse corrumpi: eamque quo propius occasum mundi deuoluitur, sensim à prima sua integritate longius abituram. Atque hæc simul Euangelium docet; Ecclesiæ quidem fidem corruptionis expertem, vbi *portas inferi præualituras aduersus eam* negat: mores vero sensim in deterius lapsuros, vbi fore ait, *vt refrigescat charitas multorum; filiusque hominis veniens* secundo aduentu *vix inueniat fidem in terra*.

Matth. 16. v. 18.
Matth. 24. v. 12.
Luc. 18. v. 8.

Quæ duo dogmata ita necessariam atque intimam cum religione nostra conjunctionem

habent, vt hæretici non aliam fere ob causam, quàm quod ea repudient, in hæresim incurrant, nec nisi eorundem præsidio Ecclesiam ab illorum conatibus tutam præstare Catholici possint. Quas enim postremorum temporum hæretici desertæ à se Ecclesiæ rationes causasque attulerunt, nisi quod in *cathedram pestilentiæ* commutata vera Ecclesia esse desiisset? Labem enim fidei cum morum corruptela commiscentes ex SS. Patrum in vitia flagitiosamque Christianorum licentiam expostulationibus & querimonijs Ecclesiam inde à quarto aut quinto seculo non moribus tantum sed & doctrinâ inquinatam deprauatamque finxerunt.

Quod quidem à maioris Britanniæ Rege Ecclesiæ objectum refellens Cardinalis Perronius, scribit: *Vitia illa & prauitates quæ à viris sanctissimis arguuntur morum esse ac priuatorum peccata, nunquam autem doctrinam Ecclesiasticam ab ijs reprehensam.* Et continuò subijcit: *Ecclesiam, si doctrina spectetur, nunquam:* SI MORES, ELVI SEMPER ET EXPVRGARI OPORTERE. Ita hæretici Ecclesiam lapsam defluxisse ac perijsse contendunt, propterea quod morum ac vitæ corruptelam à fidei ac doctrinæ deprauatione secernere nolunt: Eminentissimus vero Cardinalis Perronius hoc vno Ecclesiam inuicto quasi telo tuetur, quod disciplinam eius contaminari posse, fidem non posse, adeoque illam semper, hanc nunquam emaculandam esse confirmat. Quod

Perron. Repl. lib. 2. obser. 4. c. 7.

cum altero eiusdem operis loco planè consentit, vbi Ecclesiam ait, *ad mundi finem vsque de se illud prædicaturam:* NIGRA SVM, SED FORMOSA; *nigra nimirum moribus, formosa doctrinis.*

Idem lib. 1. c. 59.

Quare qui de hominibus Ecclesiæ morum prolapsionem tacitâ pietate deplorantibus ita existimant, vt ijs Ecclesiam funditus extinctam videri suspicentur, non satis attendunt eodem illos à se crimine peti, quo SS. Patres ab hæreticis impetuntur. Quo fit, vt summum quidem illis honorem imprudentes habeant, dum ad tantorum virorum societatem eos euehunt, vt simillimas vtrorumque reprehensiones simillimus vtrorumque zelus facile peperisse videatur: sibi vero summum dedecus vltro asciscant, dum in illorum sensus & cogitationes temerè incurrunt, quorum placita execrantur.

Eadem illa Cardinalis Perronij responsione vsus est nuper patrum nostrorum memoria nobilis Theologus & Vniuersitatis Louaniensis Cancellarius, Ruardus Tapperus. Propositis enim hæreticorum in Ecclesiæ abusus querimonijs, hæc subijcit: *Agnoscimus hæc omnia, non minus quàm aduersarij; qui doctrinæ suæ gratiam, fauorem, & plausum abusuum commemoratione conciliant. Sed* DIVERSA EST RATIO MORVM ET DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ, QVAM MVLTIS MODIS LAPSAM ESSE DIFFITERI NON POSSVMVS: ET ALIA RATIO DOCTRINÆ ET FIDEI ORTHODOXÆ

Tapper. Orat. 10.

QVÆ SANA, ET INTEGRA, ET INCORRVPTA MANSIT, ET MANET ETIAM IN MORIBVS CORRVPTISSIMIS. *Rogauit enim Christus Dominus pro Petro totaque Ecclesia, quod non deficiat fides eius. Disciplinæ autem restitutionem & Ecclesiæ reformationem in capite & membris, quotquot sunt pij, vehementer desiderant: quæ & fiet quando Dominus misertus Ecclesiam suam sponsam charissimam respicere; & piorum preces exaudire dignabitur. Ea autem sanctis moribus restituta, in Prælatis præcipuè, sicut fumus dispergentur & euanescent vniuersæ hæreses & omnes errores.*

Quis non miretur quàm longè inanes istorum formidines à solida clari huius Theologi doctrinâ dissentiant? Illi quippiam in Ecclesia quod à recta norma deflexerit inesse arbitrari, propemodum hæretici esse existimant: hic hæreticos ipsos refellens plures in Ecclesia versari abusus, disciplinamque Ecclesiasticam multis modis lapsam esse profitetur. Illi si morum prauitas arguatur, Ecclesiæ doctrinam & fidem continuò argui censent: hic cum Cardinale Perronio etiam *in corruptissimis moribus* fidem incorruptam perstare contendit. Illi si quid restituendum in Ecclesia reformandumque dicatur, rei Ecclesiasticæ perturbationi ac schismati viam sterni interpretantur: hic eodem Cardinale adstipulante; *Ecclesiæ disciplinam restitutione ac reformatione indigere, & quotquot sunt pij, vehementer id desiderare* confirmat. Illi eorum voto qui mores ac disci-

plinam meliorem emendatioremque optent errores creari excitarique poſſe putant : hic cum ſanctiſſimo Cardinale Borromæo non alia re magis quam morum integritate reſtituta errores omnes & hæreſes extingui poſſe teſtatur.

XXXIV. SS. PATRES VNIVERSI TEMPORVM SVORVM VITIIS INGEMVERVNT.

Atque hæc illius ſententia eo grauior videri debet, quod cum omnium Sanctorum Patrum mente planè conſentit. Duo ſiquidem iſta, Eccleſiam fide immutabilem, moribus commutabilem eſſe ac fluxam, ita pro certis habuerunt, vt qui pro fidei ac doctrinæ illius vi incorrupta aduerſus hæreticos acerrimè omnium propugnarunt, morum illius labes & corruptelas omnium vehementiſſimè Catholicis objecerint & caſtigarint. Intelligebant enim vt bonis moribus, ſi abſit fides; ſic fide, ſi mores deſint, ſalutem æternam conſequi poſſe neminem : nec minus intra Eccleſiam perire homines, cum Euangelicas leges & præcepta vitæ improbitate perrumpunt; quam extra Eccleſiam, cum Euangelicorum dogmatum ſinceritatem fidei opinionumque aberratione commaculant.

An igitur Eccleſiam hodie vel exſcindere, vel attentare videantur, qui de ea cum diuiniſſimis illis ſentiant & loquantur hominibus, quorum omnis vita illi impenſa eſt, nec vllam pro ea mortis aut ſupplicij conditionem recuſauit? An damnandus Apoſtolus Paulus, quod inceſtum è fidelium cœtu, ne modicum fermentum totam maſſam corrumperet, arceri iuſſit; atque ita Eccleſiam

1. Cor. 5. v. 5. & 6.

clesiam etiam primùm nascentem non modo corrumpi, sed ab homine vno corrumpi posse confessus est, (vt & Ambrosius ex Scriptura docuit populum Israëliticum patrumque exercitum, qui Ecclesiæ figuram gessit ab vno quondam homine corruptum) vel quod omnes ætatis suæ Christianos *quæ sua essent quærere, non quæ Iesu Christi* exprobrare ausus est? An damnandus tertio seculo Cyprianus, dum Ecclesiam illis temporibus acerbissimè jactatam scripsit, *quod traditam diuinitus disciplinam pax longa corruperat; quod non in Sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina vigebat?* An damnandus quarto seculo Gregorius Nazianzenus, quod [a] *Christianam omnem tempore ipso euanuisse virtutem lugeat: nihil ex ea vel parum admodum esse reliqui; nec iam se nisi lachrymas Ecclesiæ quidquam largiri posse?* An damnandus Hieronymus, quod seculum idem [b] *Christianæ religionis fæcem* appellet? An Seuerus Sulpitius, quod eo ipso tempore cuncta in Ecclesia [c] *turbata ac deprauata* testetur? An Augustinus, quod seculo quinto [d] *Ecclesias* scribat *plenas fuisse Christianis, qui paganis, Iudæis, omnibus denique pejus viuerent?* An Gregorius Magnus, quod sexto seculo [e] *in Ecclesiæ nauim vndique intrare fluctus* gemat; vt iam *quotidianâ ac validâ tempestate quassatæ, putridæ naufragium tabulæ sonent?* An Gregorius VII. Pontifex maximus, quod vndecimo seculo se à periculosissimo

Ambros. ep. 37.

Philip. 2. v. 21.

Cypr. Tract. de lapsis.

a οὐδὲν, ἢ σπανιὸν, τὸ λείψανον. Ἐκκλησίαις δὲ τί δώσομεν, τὸ δάκρυον. *Greg. Naz. Carm. de Vita sua.*

b *Hieronym. in Vita Malchi.*

c *Sulpic. Seuer. in fine lib.* 2. *Sacræ Histor.*

d *Aug. in Psal.* 30.

e *Gregor. Magn. lib.* 1. *ep.* 4.

morbo recreatum dolere & ad cœlestem patriam toto pectore anhelare demonstret, *dum penè in oculis suis naufragantem Ecclesiam nullo valet eripere gubernaculo*: atque insuper adijciat: *Legem & religionem Christianam ita ferè vbique deperiisse, vt Saraceni & quilibet pagani suos ritus firmius teneant, quàm illi qui Christianum nomen acceperunt?* An etiam damnandus Petrus Damiani Episcopus Ostiensis & sacri Cardinalium collegij Decanus, quod eodem seculo his verbis Ecclesiæ labem deploret: *Totus mundus pronus in malum per lubrica vitiorum in præceps ruit. Et, ô nefas, ab eis in veritate Iudaïcè viuitur, qui superficie tenus Christiano vocabulo palliantur?* An damnandus S. Bernardus, quod sua ætate duodecimo seculo *neminem penè ostendi posse* prædicet, *non magis de sublimi* (hoc est, ex honorum Ecclesiasticorum apice) *fumantem quàm flammantem?* Postremò, an, vt alios omittam, damnandus Paulus III. Summus Pontifex, quod loco superius allato, postremis hisce temporibus *Ecclesiam* scripserit *malis suis iamdudum vexatam & propemodum oppressam fuisse?* An S. Carolus Borromæus quod toties Ecclesiæ *vulnera*, Ecclesiæ *grauissima mala*, *Ecclesiasticam disciplinam miserabiliter prolapsam* ingeminet; omniaque ad componendos Ecclesiæ mores à se constituta præ illo ad quem eam reuocare conabatur splendorem ita pro nihilo duxerit, vt cum tot ab eo præclarè gesta laudarentur, verbo illo sit vsus: *Tota nocte laborantes nihil*

Gregor. VII. Epist. lib. ep. 9.

Petrus Damiani Epist. lib. 2. ep. 1.

Bernard. Præfat. in Vitam S. Malach.

Paulus III. in Bulla Indiction. Concil. Trid.

cepimus? Itaque ad Summum Pontificem scripsit, in multorum se inuidiam & offensionem incurrisse, *dum Ecclesiam suam in aliquem tolerabilem statum conatur adducere*. Ripamont. lib. 3.

Verum alterum D. Bernardi locum superioribus etiam vehementiorem tacitus nullo modo præterire possum. Eo enim plus ponderis atque autoritatis habere videbitur, quod hunc virum plerique non tantum pietatis ac morum magistrum, sed etiam suaui illâ & mellitâ pietate, quæ hodie tanto in pretio est, redundantem existimant. Quare perspicuo indicio erit, veram & germanam pietatis lenitatem cum acerrima seueritatis specie præclarè consistere. *Serpit*, inquit, *hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ & quò latius, eò desperatius: eoque periculosius, quò interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem eijciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt: Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit; Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum: amarior post in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt & multiplicati sunt super numerum.* INTESTINA ET INSANABILIS Bernard. ser. 34. in Cant.

EST PLAGA ECCLESIÆ, *& ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est; & non est pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis; sed non profectò à filijs. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.*

Si igitur Apostoli, Patres, Summi Pontifices, Summi Episcopi, & sanctitate maximi quique viri illam morum & disciplinæ Ecclesiasticæ, fide incolumi & immutabili, labem ac defectionem & animaduerterunt semper & deplorarunt: Si posterioribus quibusque seculis præstantissimi homines superiorum seculorum virtutem atque ordinem semper desiderarunt: quid minus consentaneum, quam accusari quenquam, quod eos qui coluntur ab omnibus studiosius imitari, eiusque animi ac voluntatis, quæ illorum virtutis & argumentum & fructus extitit, vestigium aliquod præ se ferre videatur?

XXXV. SANCTISSIMI VIRI ÆQVE VT HÆRETICI ECCLESIÆ VITIA NOTARVNT, ANIMO TAMEN AC VOLVNTATE LONGE DISPARI.

Nam eorum quæ in Ecclesia peccantur obseruandorum, & recensendorum duplex est genus, ac longe dissimile. Alterum hæreticorum proprium est, alterum summorum è Catholicis sapientiaque ac pietate præstantium. Illi morum Ecclesiæ corruptelam dissensionis ac schismatis studio incessunt: hi misericordia & charitate deplorant. Illi vulnera eius ad ludibrium & dedecus ostentant: hi ad sanitatem conciliandam aperiunt. Illi proditores meri & perduelles contumelijs & conuitijs id agunt, vt iustè ab ea de-

fecisse videantur: hi filij & amici fratrum næuos indicant matri, vt ipsa puriores illos seque digniores efficiat. Illi denique morum eius vitia quàm inuidiosissimè augent, quò illius doctrinam pariter vitiatam persuadeant: hi disciplinæ illius deformationem ac defluuium eò perstringunt, vt ad pristinum decus splendoremque referant, ac si fieri posset, quam fide ac doctrinâ tam moribus & vitâ incorruptam & puram præstent.

Ne igitur veritatem in inuidiam, charitatem in crimen vocemus. Nec dolorem ex Ecclesiæ incommodis sumptum pro vitio, nec ad ea securitatem & torporem pro laude ducamus. Omnium animi commotionum fons amor atque origo est. Sicut omnium quæ amatæ rei conducant cupiditatem, sic omnium quæ illi obsint odium auersationemque ingenerat, atque vbi acciderint dolores ac gemitus exprimit. Hinc Gregorij Nazianzeni præclara vox: *Etsi probrorum ac peccatorum, quæ apud Christianos vigent, impetum comprimere maius sit quàm pro virium nostrarum facultate, at certe odisse ac pudore affici pietatis partem esse non minimam.*

ὧν εἰ καὶ στῆσαι τὴν φορὰν κρεῖσσον ἢ καθ᾽ ἡμᾶς, ἀλλὰ τό γε μισεῖν καὶ αἰσχύνεσθαι, μέρος εὐσεβείας οὐ τὸ σμικρότατον. *Gregor. Naz. Orat. 1. Interprete Billio.*

Quod si Ecclesiæ mores labi sensim ac defluere non constaret, quorsum tot omnium ætatum Concilia in quibus non minus de disciplina Ecclesiæ retinenda, quàm de hæresibus opprimendis est elaboratum? Quorsum innumerabilibus penè Concilijs præfixi tituli: [a] *Causa reformandæ*

[a] *Concil. Oecum. Vien. sub Clem. IV. 1267.*

Ecclesiæ : [b] *pro Ecclesiæ moribus reformandis :* [c] *pro reformanda in fide & moribus Ecclesia :* [d] *pro restauratione Sanctæ Ecclesiæ :* [e] *pro disciplina & moribus Ecclesiæ reformandis ?* Quorsum Concilij etiam Tridentini fronti inscriptum, *ad reformationem Cleri & populi Christiani?* Quorsum ab eadem Synodo decretum, vt tertio quoque anno Concilia prouincialia habeantur, cum eo pacto significarit, post illam ipsam totius Ecclesiæ corporis emendationem ab ea tentatam, plura etiam emendanda reformandaque superesse, quemadmodum tot Diœceseos suæ deformitatum & abusuum correctione S. Carolus comprobauit? Quorsum Eugenius IV. Pontifex Episcopos in Concilio Basileensi congregatos rogat, vt Ecclesiæ *reformationi* inuigilent. *Nostis enim*, inquit, *quantum eâ* (reformatione) *indigeat religio Christiana : quia, vt ait Propheta, à planta pedis vsque ad verticem non est in ea sanitas?* Quorsum illa Gallicanorum Episcoporum in Concilijs ad Ecclesiam postulata, vt *monstruosos mores in Clero & populo velit purgari, sicut contra hostes fidei congredi?* Quorsum commentarij *ad Ecclesiæ reformationem* ab ipsis Imperatoribus oblati? Quorsum denique à Regibus etiam Christianis per legatos rogati Tridentini Patres, vt quæ in Ecclesia essent deprauata, corrigerent?

b *Conc. Lateran. Oecum. sub Innoc. III. 1215.*
c *Conc. Lateran. III. Oecum. sub Alex. III. 1179.*
d *Conc. II. & V. Roman. sub Greg. VII.*
e *Conc. Rhem. sub Leone IX. 1049.*

In Concil. Basileensi.

Imper. Sigismund. in Conc. Constant.

In Concil. Trident.

XXXVI. SINGVLIS RELIGIOSORVM FAMILIIS SO-

Equidem hanc Christianorum morum prolapsionem perspicuo exemplo facile quis animaduertat & percipiat : si modo quid singulis

Religioſorum familijs euenerit, quæ communis Religionis Eccleſiæque Catholicæ, imo principis illius ac primigeniæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, vnde hæc quæ nunc toto orbe effuſa manauit contractiores quaſi effigies ſunt & compendia, ſtudioſius attendere cœperit. Si enim tot Sanctiſſimi Religioſorum cœtus ab Apoſtolicis viris inſtituti, poſtquam propoſitæ ſibi regulæ rationem diutius accuratiſſimè integerrimèque tenuerunt: poſtquam tot virtutis ac pietatis laude excellentes viros Eccleſiæ pepererunt; tamen ſenſim ab illo faſtigio collapſi inſtauratione eguerunt: Si, inquam, animæ illæ ſelectiſſimæ, ac ſi, cum vniuerſa Chriſtianorum multitudine compares, pauciſſimæ, poſteaquam è mundi periculis ac tempeſtatibus ad Monaſteriorum quaſi portus azylaque perfugerunt: poſteaquam tres illos concupiſcentiæ fomites, malorumque omnium peſtiferas radices trium votorum virtute in ſeipſis oppreſſerunt: poſteaquam eiuſdem generis vitæ, eiuſdem regulæ, eiuſdem voluntatis ac propoſiti ſocietate coaluerunt: primam tamen inſtituti ſui vim & vigorem retinere minimè potuerunt: Quis vniuerſam Religionem Catholicam, quæ non paucorum ac ſelectiorum hominum anguſtijs ſepta eſt, ſed viros pariter & mulieres, pueros & ſenes, bonos & malos, fortes & infirmos, diuites & pauperes, primarios & tenuiores complectitur, antiquam integritatem tueri non potuiſſe, tem-

LEMNES CASVS ET INCLINATIONES EARVM QVÆ COMMVNI CATHOLICÆQVE RELIGION EVENIVNT, EFFIGIES QVÆ AM SVNT

porumque longinquitate à prima illa disciplina sensim defluxisse mirabitur? Quis non agnoscat longè facilius cohortem quàm exercitum, domum quàm ciuitatem, ciuitatem quàm prouinciam ac regnum ingens in ordine atque in officio contineri?

Sicut ergo Religiosarum familiarum languor languescentem ac deflorescentem Ecclesiæ statum: sic earum instauratio Ecclesiæ instaurationem repræsentat. Quemadmodum enim illæ ad primæuam semper regulam rediguntur, moresque & vsus quacumque diuturnitate corroborati, si ab ea dissideant, penitus euelluntur: ita Concilia Christianos semper ad Scripturarum & Euangeli j normam per SS. Patres ac Synodos superiores expositam illustratamque reuocarunt.

Atque hæc communis Religionis cum singulis Religiosorum familijs similitudo eò verior est ac firmior, quod quemadmodum certi sunt Religiosi, qui B. Franciscum aliumve pro parente ac principe, instaurationes eius pro lege ac formula, vitæ vero eiusdem sanctitatem pro exemplo ad imitandum proposito habeant: ita nos Religione communi & Catholica Religiosi sumus, cui Christus autor & princeps, Euangelium lex & regula, stupenda vitæ illius mortalis demissio & humilitas forma cuique ad intuendum exprimendumque præscripta, quemadmodum illud eius docet; *Exemplum dedi vobis;* *Ioan. 13. v. 15.*

vt

vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Hinc illud est à S. Carolo præclarè dictum Diœcesim quampiam instauratam videri non debere, *quod in ea maius pietatis Christianæ studium eluceat, quàm antea solebat, quamque alijs fortasse quibusdam locis appareat, sed mores illius cum sanctè agendi formula nobis diuinitus præscripta*, hoc est cum Euangelio, *comparari oportere*.

Hac adhibitâ regulâ vtrum rectam insistamus viam explorare, & ex eorum numero eripere nos licebit, de quibus ait Sapiens: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem*, & *in profundum inferni*, vt à 70. Interpretibus editum est. Quam sententiam cum D. Hieronymus stupens expenderet, vnam explanandæ illius, animorumque fidelium leuandorum tranquillandorumque rationem reperit, vt qui viam quam in Ecclesia ingreditur veram esse, & ad salutem ferre, compertum habere voluerit, in Christum qui *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, oculos animumque conijciat. Quod idem S. Carolus sensit, cum ad Euangelium, vbi quid agendum sit Christi ore exemploque præcipiatur, referenda omnia doceret. Ita vterque viæ nostræ explorandæ rationem vnam tradit, supremam viam intueri, quâ solâ ad veritatem, veritate ad iustitiam, quæ vera vita est, acceditur. Atque hoc eò magis obseruandum, quod à D. Hieronymo deducitur ex illo Isaiæ loco, vbi septuaginta In-

Prou. 16. v. 25.

Hieron. Comment. in Isaiam. lib. 7.

1. Cor. 1. v. 30.

terpretum verbis iubet Deus in perdiſcenda iuſtitia elaborari, quam eodem autore Hieronymo à Chriſto primùm didicimus, quando, Scriptura teſte, *gratia & veritas per* IESVM-CHRISTVM *facta eſt.*

Ioan. 1. v. 17.

Ergo qui hominem Euangelij leges Chriſti vita & factis quaſi diuinis quibuſdam coloribus expictas, & à Patribus Conciliiſque illuminatas quam religioſiſſimè perſequentem, nouam & ſingularem agendi rationem captare, & turbas in Eccleſia concire criminetur, tam iniquus fuerit & præpoſterus, vt ſi Religioſum ſodalem, qui diſciplinæ ſtudio in fratribus ſuis refrigerato ac reſtincto ad regiam regulæ viam regredi, inſtitutoriſque primi præcepta diligentius exequi ſtudeat, priuati cuiuſdam ac peregrini vitæ generis captatorem, & Monaſterij perturbatorem deſignet ac fingat. Nam illius vita ac ratio cæterorum quidem collatione, à quorum nouis moribus inſtitutiſque diſcederet, propria & ſingularis videretur: at ſi vtrorumque vitæ conſuetudo ad regulæ amuſſim exigeretur, iam quæ priuata & ſingularis viſa erat, vulgaris & familiaris agnoſceretur, communique omnium qui ex familiæ illius formulâ legeque vixiſſent, vſu probata; quæ vero communis & publica habebatur, ſingularis ac priuata habenda eſſet, quippe quæ non publicis ac ſolennibus legibus nixa, ſed primarijs veriſque inſtitutis, quæ in illo ſodalitio plura ſecula vi-

guissent, superinducta, priuatorum incuriâ & ignauiâ paulatim irrepsisset.

Quod vero non desint, qui cum descriptam illam à SS. Patribus Deo satisfaciendi rationem, violati numinis infinitâ maiestate dignissimam, religione ac ratione ipsâ duce fateantur: tamen omnia ista pœnitentiæ instrumenta veterum consignata monimentis imaginum ad oculorum oblectationem compositarum simillima, admirationi magis omnium, quàm cuiusquam imitationi accommodata existiment; singulari Dei prouidentia nostris etiam temporibus pœnitentiæ veteris exemplum tam illustre insigneque nuper oblatum est, quam antea consuetudo illius & praxis inaudita ignotaque erat, vt facile intelligeretur, quod à Cardinale Groppero pœnitentiæ desuetudinem obliuionemque deplorante scriptum est, *manum Dei abbreuiatam non esse*, & quorum operum perficiendorum virtutem fidelibus olim subministrauit, ad eandem illis largiendam etiamnum valere, adhibitis præsertim ijs exceptionibus ac lenimentis, de quibus initio diximus.

Card. Gropper. in Instit. Cath.

XXXVII. INSTAVRATÆ NOSTRIS TEMPORIBVS POENITENTIÆ MEMORABILE EXEMPLVM.

Nemo enim nescit quinquagesimo milliari ab Vrbe Parisiensi antiquæ pœnitentiæ rediuiuam velut imaginem nuper à Deo renouatam summâ totius populi voluntate, eximij Pastoris vigilantia & charitate, insignis Archiepiscopi, à quo is ad ministerium illud vocatus fuerat, sapientia & autoritate. Qui profecto Antistes

quoſcumque alios in ſarcienda Eccleſiæ diſciplina zelum ipſius æmulaturos, eo quidem vincet ac ſupereminebit, quod cum illos præclaro exemplo primus accenderit, omnium præmij partem iure conſequetur, quoniam autori & inceptori pij cuiuſque operis, opera omnia ex illo deinceps opere velut ex ſemine ac ſtirpe naſcentia, quaſi parenti & principi, Deo iudice, aſſignantur. Illîc pœnitentes impoſitam pœnitentiam non ſolum volentes ſuſcipiunt, ſed etiam impensè flagitant, ſtudiosè obeunt, aſperioremque ſemper ac diuturniorem efficere conantur. A ſacra Euchariſtia ſummoueri ſe non patiuntur modò, ſed & vltrò cupiunt. Ne templum quidem ingrediuntur, indignos ſe rati, qui ſeruorum Dei vocibus ſuas admiſceant, tremendorumque iuxta & venerandorum myſteriorum beatiſſimo aſpectu fruantur. Stant pro foribus altiſſima humilitate dejecti, cæteris concinentibus, collachrymantes, gemitibuſque magis, quàm verbis orantes. Salutari hoc vulnerum ſuorum remedio apud homines non erubeſcunt, ne Chriſtus eiuſmodi filijs apud Deum & angelos olim erubeſcat. Temporario iſto ab Eccleſiæ, quæ cœli imago eſt, exilio, æternum à cœlo exilium quod erant commeriti, ſibi proponunt ac repræſentant. A Deo reuerentiâ deterriti recedunt, vt ipſe ad eos miſericordia compulſus accedat. Ad domus eius oſtium mendicos profeſſi hærent; ſed intro inferre ſeſe reos pro-

Luc. 9. v. 26.

fessi non audent. Atque in tali vitæ cultu & labore illâ Euangelij voce, suauissimâ humilibus, durissimâ superbis, recreant sese ac reficiunt: *Qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur.* Luc. 14. v. 11.

Quo exemplo, altoque sermonis existimationisque hominum contemptu planum faciunt, quod ab Augustino præclarè dictum est, ignominiæ ac dedecoris metum cum pœnitentia minimè cohærere, quod vero peccatorum dolore compunctus quisque ignominiam ignominiâ depellit, præsentem futuræ metu, quam pœnam terribile Dei vindicis iudicium in damnatorum animas omnium primam inijciet. *Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Quod ipsum præclarè docuit Flauianus in Concilio Constantinopolitano cum Monachis ab Eutychete missis, quod sui copiam Patribus facere nollet, respondit, nemini probro aut dedecori esse pœnitentiam, sed in peccato permansionem. August. in Psalm. 33. Conc. 2. Eccli. 4. v. 25. In Concil. Const. Act. 4. sub Flau.

Quid talibus omnipotentiæ Dei miraculis homines obijciant? An *ponent in cœlum os suum* (vt Prophetæ verbis vtar) diuinorum à Spiritu Sancto, quibus animas agit, motuum repetituri rationem, & quod praxi, quam, quia vetusta est, nouitatis insimulant, rursus excitatâ, suam ipse conturbet Ecclesiam, expostulaturi? An tam insigni Christianoque exemplo quo vel flagrantissimorum inflammata, vel languidissimo- Psalm. 72.

rum extimulata & exſuſcitata pietas, exacerbari ſe exagitarique ferant, dum cœteri omnes religioſius ac diuinius afficiuntur? Quoſnam potiſſimum accuſare aggredientur; an Deum, qui ſolus tales voluntates animis indidit; an Paſtores, qui fouerunt; an populum, qui ſuſcepit; an pios quoſque, qui earum fructum læti gratulanterque viderunt; an denique vniuerſos, qui rem geſtam admirantes ac venerabundi acceperunt? Poſtremò, an id agunt, vt cum ſummo ætatis huius, quam nonnulli potiſſimam abſolutiſſimamque prædicant, dedecore verè dici queat, ſanctiſſimas illas & ſaluberrimas pœnitentiæ regulas, quandiu prima Eccleſiæ diſciplina viguit, ſeruatas, illa primùm deflореſcente traditas & vindicatas; eadem grauius depreſsâ ſaltem toleratas ac retentas impunè; nunc vero eò recidiſſe, vt nec ſeruentur, nec doceantur, nec tolerentur?

Ego vero de tot eruditione ac pietate præſtantibus viris veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ veneratoribus tam iniquè nunquam ſentiam, vt vllam huiuſmodi cogitationem in eorum animos cadere arbitrer. Quinimo abea vſque adeò alienam mentem Eccleſiæ proceribus diuinitus inditam conſtat, vt Epiſcopi eximia pietate pręclari viros genere & dignitate inſignes ad pœnitentiam publicam adduxerint, ob ea etiam facinora, quæ quamuis Deo iudice criminoſa, temporum tamen vitio honeſtis ac laudabilibus annumerantur.

Quocircà ſpes magna nos tenet, hanc Traditionis Eccleſiaſticæ doctrinam, non modo iucundam vniuerſis fidelibus fore & acceptam, ſed pluribus etiam ſalutarem, dum principum Chriſti miniſtrorum ſacro-ſancta & non violabili autoritate commendabitur. Perſpectum eſt enim Eccleſiaſticam rem nonniſi auſpicio ac ſtudio Epiſcoporum in priſtinum poſſe locum ac ſplendorem reponi. Quemadmodum ab Apoſtolis primùm fundata eſt: ſic à ſolis Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus reparari ac renouari poteſt, qui à regia illa ac diuina ſtirpe genus nunquam intercisâ ſerie ducentes, pro primis illis Patribus nati ſunt illuſtres filij, cœleſtis ſuper omnem terram principatus hæredes. Nec vero aberret, qui omni benedictione cœleſti quam in alios effunderent illos à Chriſto cumulatos dixerit, non ſecus ac Chriſtum ipſum eadem à Patre cumulatum, vt in illos eam effunderet, docet Apoſtolus. Ex quo præclarâ quadam ratione conuenientia elucet, ſicut Epiſcopos à Chriſti, ſic fideles ab Epiſcoporum plenitudine haurire omnia oportere.

XXXVIII. ECCLESIÆ REFORMATIONEM A SOLO EPISCOPORVM ZELO ET AVSPICIO SPERANDAM.

Nicol. 1. epiſt. 42. ad Gall. Epiſc.

Epheſ. 1. v. 3.

Cum Eccleſia deficere nunquam poſſit, cum à Spiritu Sancto ſemper regenda Chriſtique præſentia ad mundi finem fouenda ornandaque ſit; ſi quid ei labis aut vitij contigerit ab illis refici & ſarciri neceſſe eſt, in quibus ſingulari quadam ratione præſidet Spiritus Sanctus, & quibus præſto ſemper eſt Chriſtus, quemadmo-

dum Apostolis ac per Apostolos eorum successoribus, in quibus etiamnum illi superstites, & ex morte tanquam immortales manent, solennibus illis verbis spopondit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

Matth. 28. v. 20.

Quod si nec familijs nisi per earum patres, nec societatibus nisi per coryphæos ac duces, nec regnis nisi per reges suum decus ac splendor reddi ac reponi potest: quis Ecclesiam, quæ familia, societas, & regnum Christi est, aliter instaurari posse putet ac per Episcopos illius patres, duces, atque adeo etiam reges? Eorum enim vmbræ ac typi fuere (sicut antè perstrinximus) Israëlitici reges vniuersi à Dauide ad Iosiam, quem præter cæteros hoc loco commemoro, quod vltimus regnum tranquillè habuerit, cumque secundum Dauidem Episcoporum effigiem absolutissimam gereret, Iudæorum religione in eum locum, quo superiorem præstantioremque à primis vsque temporibus nacta non fuerat, restituta, egregiè in primis docuit, Ecclesiam si quando pristinam suam receptura sit dignitatem, nonnisi Episcoporum zelo & consilio recepturam.

Quare cæteri Ecclesiæ ministri dum vtilem animarum saluti operam nauant, eorum quodammodò colonorum sunt similes, qui crebris irrigationibus flores quosdam & arbusculas tuentur ac fouent. At Episcopi suam curam & studium ad Ecclesiæ instaurationem conferentes,

tes, amplissimis illis imbribus pares sunt, qui vno impetu totos campos complent, atque vniuersæ, quâ patet, prouinciæ fœcunditatem afferunt. Quod quidem eò congruentius videri debet, quia Scripturæ sacræ nubium typo Episcopos adumbrare consueuerunt, quippe à Deo constitutos, per quos gratiæ demittat imbres & verbi fulmina iaculetur.

Aug. in Psalm. 56.

XXXIX. DEBITA SS. PATRVM AVTORITATI REVERENTIA.

Porrò etsi tot Antistitum eruditione pariter ac dignitate illustrissimorum egregio studio, recentique adeò S. Caroli Episcoporumque ipsius sectatorum exemplo facile adducar, vt confidam doctrinam ex SS. Patrum monimentis depromptam, & à nobis, quàm accuratissimè ac fidelissimè licuit, hoc in Libro expositam, apud veros Ecclesiæ filios in honore futuram & laude: Sanctissimorum tamen virorum autoritatem violare ipse mihi viderer, si ad eum, quo digni sunt, existimationis ac reuerentiæ locum in Christianorum animis obtinendum, alienis eos & aduentitijs commendationibus indigere arbitrarer. Non enim propterea obseruandi & colendi SS. Patres, quod S. Carolum obsequentem habuerint: sed propterea obseruandus & colendus S. Carolus, quod Patres secutus sit duces. Eorum præsidijs vt Ecclesiæ hostes frangimus: sic nos ipsi tueri ac regere debemus. Alioquin erit quod nobis hæretici exprobrent, *duplici nos pondere* vti, quod *apud Deum abominabile esse* Scriptura docet, dum eorum doctrinam Patrum

Prou. 20. v. 10.

ponderibus examinamus, quibus noſtram de moribus & vita examinare refugimus, damnandoſque arbitramur, qui ab ea regula diſcedant, à quâ nos ipſi ſponte diſcedimus. Qui tandem igitur ſanctiſſimorum Doctorum authoritati fideles obſtrepere audeant, cum id conari non poſſint; niſi vt fidei ſuæ fundamenta ſubducant, Eccleſiæ doctrinam funditus perturbent, arma denique eripiant, quibus repulit ſemper antehac, quibus etiamnum repellit, quibus poſtremò in perpetuum repellet ac deijciet quoſcumque demum aduerſarios, qui vel fidei eius veritatem infringere, vel morum ſanctitatem violare conentur.

Nec verò ſolum conſuetudinis præjudicium quaſi vnicam pœnitentiæ regulam cœleſtibus illis magiſtris opponamus. Si enim magnam vim in animis hominum conſuetudo habere videatur, vt ab ethnico homine contra Chriſtianos, & à Chriſtianis contra ethnicos ſcribentibus eſt dictum: cogitandum viciſſim Chriſtum notiſſimo illo pſalmo, vbi ſuæ ſeriem paſſionis exponit, interprete Auguſtino, prædicare, cruci ſe affixum, probriſque & contumelijs coopertum, quod veritatem contra conſuetudinem aſſereret, nec enim illi ab inimicis aliam ob cauſam illata nex, niſi quod veritatem & Dei leges ſcripturis traditas aduerſus traditiones illorum doctrinaſque humanas tueretur, quemadmodum ipſum in Euangelio ſæpius exprobrantem audi-

Symmach. in Relat. ad Imperat.

Quoniam circumdederunt me canes multi, id eſt, pro conſuetudine, nõ pro veritate latrãtes multi. *Aug. in Pſalm.* 21.

Matth. 15. *v.* 6.

mus. Ex quo intelligitur, etſi quæcumque demum conſuetudo repudiari non debeat, videndum tamen, ne qua ſic vindicetur, vt ad vera dogmata tot ſeculorum vſu praxique firmata, perpetuæque traditionis Eccleſiaſticæ præſidio ſubnixa, damnanda repudiandaque conferatur.

XL. QVAMOBREM ADVERSARII SCRIPTVM PVBLICE REFELLENDVM VISVM FVERIT.

Decet enim aduerſus doctrinæ adeò exploratæ diffuſæque aſſertores eandem moderationem adhiberi, quam ipſi in alios adhibent: ne temerè damnentur à quoquam, cum ipſi damnent neminem: neque qui in Eccleſia nullius autoritatis ſunt participes proprium Dei iudicium cordium, Epiſcopis conceſſum doctrinarum iudicium inuadant, nec ſe de aliorum mente atque intimis ſenſibus iudices voluntarios conſtituant. Denique illud ſemper animaduertendum, nos in hac cauſa id vnum agere, vt aliorum, à quibus laceſſiti fuimus, impetum propulſemus: Quinque amplius annos eſſe, cum priuatis publiciſque maledictis, ſcriptis etiam per omnium manus iactatis, hominum virtute ac fide ſpectatiſſimorum fama tentata eſt: nos tamen à conturbandis vel damnandis alienis animis ac ſenſibus vſque adeo abfuiſſe, vt ne nos quidem ipſos propugnandos expurgandoſque duxerimus: cumque Reſponſionem ad maledicos libellos abſolutam expeditamque haberemus, eâ compreſſâ perſpicuis illos quibus ſcatent mendacijs & commentis, perire ſenſim &

obrui paſſi ſimus, dum eorum quos petebant innocentiam & ipſa dies aperiret, & Dei vindicis prouidentia tutaretur. Hoc vero ſcriptum, quod nunc refellendum ſuſcepimus, eodem conſilio, ſed maiori fraude, fallaciaque contextum eſt. Ac licet non publicè editum, ſed certis tantum hominibus furtim inculcatum fuerit, ne noxiæ illius efficacitatis à lectorum animis idoneâ reſponſione auertendæ poteſtas eſſet, tamen fœtus & quaſi vox ac vindex extitit publicæ illius maledicentiæ, quâ viri integerrimi, qui Eccleſiæ Catholicæ propugnandæ, hæreſibuſque proterendis ſe ſuaſque omnes curas & vigilias deuouerant, quaſi prauorum dogmatum fabri, nouique hæretici in odium inuidiamque vocati ſunt. Illud vero etiam publicè atque aperto marte agendi nobis cauſam attulit, quod diuturnum ſilentium noſtrum in eam partem acceptum eſt, vt deteriora dogmata, quæ profiteri non auderemus, fouere & coquere inſimularemur. Quare cum obtrectatorum comprimendorum causâ ſenſus iam noſtros publicè declarare cogamur, permirum profectò videri debet, nos argui aliorum animos perturbare ijs ſermonibus quorum impoſita nobis eſt neceſſitas, & ad eas anguſtias redigi, vt iam nec loqui liceat, nec ſilere: quandoquidem vbi ſilemus, ſilentium noſtrum ſubdolæ in Eccleſiam machinationis nomine damnatur: rurſum vbi ſenſus noſtros doctrinamque ſic pandimus, vt Ca-

tholica veritate fundatissimam esse inficiari nemo queat, perturbatæ fidelium pacis rei peragimur.

Est vero nobis ad crimen istud ex Gregorio Magno, Bernardoque facilis hæc & expedita responsio: [a] *Melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* [b] *Fœlix necessitas,* inquit idem Bernardus, *quæ cogit in melius.* Quo exemplo felicem perturbationem dicere licet, quæ veram pacem ac securitatem pariat. Quemadmodum rei publicæ intelligentissimi quique bella interdum suscipienda norunt, vt quies & tranquillitas certior firmiorque efficiatur: ita rerum diuinarum scientiâ instructi facile intelligunt animas conturbari nonnunquam, vt placidissimam pacem consequantur. Cuius rei complura exempla Scriptura suppeditat. Tobias, Daniel, Zacharias, ipsaque Beatissima Virgo Angelorum conturbantur affatu, sed conturbationis illius nubecula diuinissimâ statim securitate dispellitur: Eua contrà, serpente colloquente tranquilla consistit, sed tranquillitatem illam confusæ mentis æstus angorque subsequitur.

XLI. OCCVRRITVR IIS QVI TIMENT NE EX HAC DE POENITENTIA DOCTRINA TVRBARVM ALIQVID ORIATVR.

a *Bernard. ad Guillel. Abbatem.*
b *Idem de Præcepto & disp. c. 2. ex Aug. ep. 45.*

Quapropter non continuò repudiandum quicquid sollicitos habet homines ac percellit: sed spectandæ motuum illorum causæ, & prosint an obsint exquirendum. Parentes perturbant liberos, dum eorum vitia objurgant & carpunt: sed perturbant vt emendent. Medici perturbant ægros, dum ijs accommodata ægritudini

remedia offerunt: ſed perturbant vt ſanent. Vtrique iure accuſentur, ſi aut illi liberorum pacem, morum emendationi, aut hi ſecuritatem ægrotantium ægritudinis curationi anteponant.

Ne quis igitur cauſetur, doctrinam quam proferimus, ſcandala in Eccleſia & offenſiones commouere. Cum enim Chriſtus ijs qui *vnum è minimis ſuis ſcandalizent*, horrendum ſupplicium eſt comminatus, deſignatos ab eo conſtat hoſtes atque interpolatores veritatis, qui in deterius alios quacumque demum ratione, ſeu exemplo, ſeu doctrinâ, ſeu conſilio, ſeu ſilentio patientiâque compellunt. Quod ſi quis in animum inducat verbis illis ab eo damnatos omnes, qui quiduis quo hominum mentes concitentur & perſtringantur afferant: is illum à ſe ipſo damnatum efficiet, cum eos *beatos* dixit, *qui in ſe non ſcandalizarentur*, vitæ ſuæ humilitatem ſeueritatemque doctrinæ pluribus ſcandalo atque offenſioni futuram ſignificans. Damnauerint eum & Euangeliſtæ cum toties ſcripſere, *in eo ſcandalizatos*, qui eum audiebant. Damnauerint & Apoſtoli, cum *Phariſæos audito eius verbo ſcandalizatos* monuerunt. Damnauerit Apoſtolus Paulus, cum doctrinam illius Iudæis ſcandalum eſſe conqueſtus eſt. Prophetæ denique aduentus eius prænuncij tanto ante illum damnarint, dum *lapidem offenſionis* ac *petram ſcandali* fore prædixerunt.

Marc. 9. v. 41.
Matth. 11. v. 6.
Matth. 13. v. 57.
Matth. 15. v. 12.
1. Cor. 1. v. 23.
Iſaiæ 8. v. 14.

Quanto æquius dicere nos fas eſt, nullum in Eccleſia ſcandalum grauius comparari, nec majus hæreticis aduerſus eam adjumentum & robur præberi, quàm ſi doctrina omnium Patrum & Conciliorum autoritate conſecrata repudietur: Si *pœnitentiæ lachrymæ*, vt Cypriani verbis vtar, *peccatoribus eripiantur*, injecto illis remedij quo ſanandi erant contempu & faſtidio: ſi ad tremenda Chriſti altaria inconſultò protrudantur, vt in ijs, quemadmodum olim ab Eccleſia Romana ſcriptum eſt, *properatæ communionis venena* percipiant: ſi quod à fidelibus vniuerſis tandiu & in honore habitum & vſu ſeruatum eſt, temeritatis nunc demum damnetur: ſi noua quædam velut Eccleſia fingatur, in qua veteris Eccleſiæ alterius inſtituta quæque ſanctiſſima & probatiſſima quibus ad pœnitentiam homines vocantur, in eum locum deuenerint, vt iam non contemnenda modò fidelibus, ſed & ſcandalo inuidiæque ſubjecta videantur: ſi nouum quaſi Euangelium quod pœnitentia ad ſalutem opus non eſſe doceat, inducatur, vero Euangelio velut è regione contrarium, quod *niſi pœnitentiam egerimus, omnes perituros* eſſe pronunciat: ſi denique nouum neſcio quod excogitetur Concilium, à quo decretum ſit turbas & ſcandala in Chriſtianorum animis excitari, dum ad pœnitentiam accenduntur; vt Tridentino Concilio detrahatur autoritas docenti: *Totam Chriſtianam vitam perpetuam pœnitentiam eſſe debere*.

Cypr. Tract. de lapſis.

Cler. Rom. ep. 30. ad Cypr.

Luc. 13. v. 3.

Conc. Trid. Seſſ. 14. decr. de Extr. Vnct.

Iſta demum eſt fidelibus metuendorum vera ſeges & cauſa ſcandalorum. Qui vero doctrinam ita Catholicam & concinentibus Scripturæ omnis & Eccleſiæ teſtimonijs præfultam conuellunt, ijs atroces illæ in ſcandalorum autorem quemcumque pœnæ à Chriſto conſtitutæ longe verius extimeſcendæ, quàm ijs qui illam ſalutis hominum causâ vindicant & profitentur.

Matth. 18. v. 6.

Quod ſi Beatum Petrum Chriſtus repulit, *Satanam, aduerſariumque* nuncupauit, *ſcandaloque ſibi eſſe*, quod à paſſione ſubeunda deterreret, aſſeruit: quibus nunc modis eos accipiat, quamque graue ſcandalum Eccleſiæ ab illis afferri arguat, qui fideles non à perferendâ nece innocentibus ad ſuum exemplum illata, quod martyrij gratiæ non minus raræ quàm præſtantis proprium eſt, ſed à leuiori pœnitentiæ labore peccatorum eluendorum causâ ſubeundo abſterrere contendunt. Qui profecto labor & iuſtiſſimus & Chriſtiani hominis officio conjunctiſſimus videri debet, cum eò demum ſpectet, vt diuinæ Majeſtati violatæ ſuus honor vitiatis peccato mentibus ſua ſanctitas integritaſque refundatur.

Matth. 16. v. 23.

Enimvero eſt quod non mediocriter admiremur, dum ea doctrina in medium profertur, cuius in Chriſtianorum mentes alia vis efficientiaque eſſe non poteſt, quàm vt eos ad maiorem aduerſus Chriſtum in ſacris altaribus acquieſcentem cultum ac reuerentiam commoueat,

quam-

quamcumque demum perturbationem, quam ijs repentè afferre possit, grauiorem ac deteriorem haberi, quàm tot horrenda piacula in Sacramenti huius diuinissimi maiestatem quotidie suscepta, quibus auertendis instituta est atque huic Libro proposita Ecclesiasticæ doctrinæ sententiæque expositio. Quis enim non stupeat ita Deum postponi hominibus, vt ne qua in eorum animis commotiuncula existat, Sancti Spiritus oracula doctrinæque Catholicâ veritate fundatissimæ obruendæ penitus opprimendæque videantur; execranda vero sacrilegia & contumeliæ, quibus Christi corpus sanguisque polluitur, velut inane nescio quid ac leue, nec querimoniâ nec commemoratione quidem vllâ magnoperè dignum, insuper habeantur.

XLII. POENITENTIAM SEMPER IN ECCLESIA MANSVRAM.

Verum vt volent homines diuinas res accipiant & tractent, pœnitentiam quidem certè nunquam ab Ecclesia depulsuros compertum habemus. Non deerunt vnquam piæ ac fideles animæ, quæ salutaris huius doctrinæ notitiam summo studio colant, eiusque obseruandæ gratiam à Deo & morum integritate & orationum assiduitate efflagitent. Imo vero si omnium hominum pietas & religio labasceret, Deum tamen vel lapides, hoc est, Christianos omnium vel durissimos excitaturum confidimus, quorum vitæ austerioris exemplo pœnitentiæ testimonium & autoritas tribuatur. Cælum enim & terra citius dilabentur, quàm vel minima Euangelij

vocula, nedum illa quâ Ecclesia Christianaque Religio pœnitentiæ velut fundamento est imposita; vt vel primis S. Ioannis Baptistæ, Christi, Apostolorum, Discipulorum, posteriorumque omnium deinceps Patrum sermonibus declaratum est.

Atque vt pœnitentia ex cæteris orbis regionibus ac locis esset conuulsa, in solitudinibus tamen ac cœnobijs religiosarum sanctarumque mentium studijs exculta semper florebit; quæ non solum pacem à Deo sibi ac veniam peccatorum abundanti iustitiâ emereri, sed alijs etiam pœnitentiæ suæ acerbitate perpetuoque pietatis ardore misericordiam illius conciliare, ac veram reorum emendationem conuersionemque diurnis & nocturnis precibus flagitare non desinent.

Apocal. 11. Postremò, quamlibet secula consequentia langueant ac remollescant, Scriptura docet, Eliam & Enoch sub mundi finem pœnitentiæ prædicandæ gratiâ processuros, ipso etiam pœnitentium habitu insignes, *amictos saccis*, hominumque duritiâ & obfirmatâ prauitate commotos, tantâ exarsuros iracundiâ, vt diuinam accersentes vindictam *terram omni plagâ percutiant*, vt pœnitentiam qui sponte amplecti noluerint, vel ingratijs subire cogantur. Ex quo intelligitur, quàm grauiter Deus & acerbè hominum peruicaciam & impœnitentiam ferat, cuius odio illos Eliæ vltimi pœnitentiæ præconis operâ, omni malorum ac cruciatuum genere vexa-

turus sit. Atque hoc ille à Christo & Ioanne primis priore aduentu pœnitentiæ prædicatoribus differet, quorum vterque nulla vi ac pœna in contumacem inflexibilemque hominum nequitiam adhibita, ad pœnitentiam eos tantum vocare atque inuitare contendit.

Sed quoniam tunc temporis homines nec eam ad quam illos cohortabitur pœnitentiam suscipere, nec illam quam reluctantibus infliget, ferre poterunt; tanto illius odio efferuescent, vt ei tandem afferant manus, corpusque eius inhumatum triduò relinquentes, adeo immensam quandam ex eius cæde capient lætitiam, vt eam *missis inuicem muneribus* celebraturos Scriptura testetur. At incomparabilis Propheta triduo reuiuiscens, & in cœlum spectantibus inimicis ascendens, nube subuectus, eos ad extremum rediuiuus conuertet, quos prius viuens nec mansuetudine delinire, nec seueritate frangere potuerat. *Ibid. v. 10.*

Ita mirâ quadam ratione rerumque ac factorum conuenientiâ & quasi conuentu, quem Deus in maximis quibusque gratiæ prouidentiæque suæ consilijs adhibere consueuit, à pœnitentia cœpit Ecclesia, & in pœnitentiam desinet. Ante priorem Christi aduentum, Ioannem præconem habuit: ante secundum, Eliam est habitura. Ioannes in spiritu Eliæ venisse dictus est: Elias in spiritu Ioannis venturus non abs re dicetur. Quanquam Elias non Ioannem modò,

ſed & Chriſtum ipſum referet. Quare pœnitentiam prædicabit, vt Chriſtus; prædicatione illius in odia hominum incurret, vt Chriſtus; interficietur, vt Chriſtus; reſurget, vt Chriſtus; poſtremò in cœlum euectus homines conuertet, vt Chriſtus; eo tantum diſcrimine, quod Chriſtus Iudæos, quamuis eum nec ab inferis reducem, nec in cœlum aſcendentem viderint, Reſurrectionis, gratiæque ſuæ virtute conuertit: iſti autem duriores multò obſtinatioreſque ipſo demum Eliæ reſurgentis & gloriâ circumfuſi aſpectu conuertentur.

Ita Pœnitentiam ſemper diuina prouidentia tuebitur, quoniam ſine illa non magis quàm ſine fide aut ſtat, aut ſtabit vnquam Eccleſia. Tantumque abeſt, vt ab hominibus ea deleri poſſit, vt quod eam homines defugerint, orbem vniuerſum extremo illo die tandem delendum Scriptura demonſtret. Bis enim Apocalypſis diſertis verbis docet, poſteaquam Angeli diuinæ iræ adminiſtri horrendis plagis homines concuſſerint, eos tamen *pœnitentiam vt dent gloriam Deo nequaquam acturos*; atque ita varijs terroribus acerbiſſimiſque cruciatibus jactatos, tandem totius orbis incendio abſumendos.

Apocal. 16. v. 9. & 11.

Quis igitur Scriptori quem refellimus aſſentietur, grauiſſimam vnam, quæ Eccleſiæ inuehi poſſit, eſſe calamitatem, vt homines ad pœnitentiam ante ſacram Communionem impellantur, cum ſupremam omnium & extremam ca-

lamitatem quæ vniuersâ mundum ruinâ obruet, propterea immittendam Scriptura sit testis, quod homines ceruicem pœnitentiæ non submiserint.

Sed quemadmodum duos illos præstantissimos Prophetas, vt paulo ante dixi, Deus lapsorum restituendorum & conuertendorum causâ missurus est, quod & Sanctorum sit de rebus sanctis & pœnitentium de pœnitentia præcipere: ita ego temerè facturum meipsum statui, si quid hoc in opere de meo exprompsissem; atque has demum meas partes existimaui, vt summos illos viros, quos Deus pro Ecclesiasticorum temporum ratione varijs regionibus & ætatibus produxit, veræ omnes pœnitentiæ totâ vitâ obseruantissimos, etsi acceptæ in baptismate innocentiæ tenacissimos custodes, loquentes exhiberem, atque in hunc Librum, quasi in Concilium quoddam, vt alicubi Augustinus loquitur, coactos adducerem, eorumque verbis veram de pœnitentia Ecclesiæ mentem ac sententiam vel docerer ipse vel docerem. Quamobrem nihil mihi ferè operæ ac negotij sumpsi, nisi vt ipsorum orationem gallico sermone conuerterem, & sententias quàm maximè explanarem. A noua vero vlla opinione quam ipse pepererim venditanda ita animus abhorret, vt si quid, quod cum Sanctissimorum illorum Doctorum placitis non prorsus consentiat, occurrerit, iam nunc

XLIII. LIBRO HVIC PROPOSITVM ESSE SS. PATRVM DOCTRINAM IN MEDIVM AFFERRE, RELICTA CVIQVE ILLIVS EXEQVENDÆ LIBERA POTESTATE.

Aug. lib. 2. contra Iul. c. 10.

ipſe repudiem & indictum velim, nullamque ei apud quemquam fidem eſſe cupiam.

Ceterùm verè hoc & ex animo profeſſus, in eos qui hunc Librum ſunt lecturi iniquior mihi videar, ſi quantum honoris eorum quos Paſtores, Magiſtros, & Patres Eccleſia agnoſcit & colit, ſententijs & doctrinis habituri ſint, addubitem. Neque enim metuendum reor, ne autoritatem illorum vetuſtiorem quàm vt hac tempeſtate in præcipuis ſaltem & fixis immobilibuſque capitibus retineri conſeruarique poſſit, quiſquam exiſtimet, eoſque velut duriores ac ſeueriores in pœnitentes pro nihilo habendos aſpernandoſque conſtituat. Caluini eſt, diuiniſſimos illos viros nimiæ in pœnitentia auſteritatis damnare: Lutheri, alienum auerſumque ab Hieronymo animum, quod ieiunia, laboreſque pœnitentibus familiares ſæpius commendet, profiteri. Nos vero pacis & lucis alumni nihilo minus ab iſta fidei hoſtium procacitate & contumaciâ quam ab impijs eorum dogmatibus abhorremus.

Equidem hac Sanctiſſimis viris debiti honoris & venerationis cogitatione me adductum fateor, vt eos hoc in opere duces mihi ac præſides adoptarem, eorum veſtigijs ingrederer, eorum vterer oculis, ratione intelligerem, verbis eloquerer. Neque enim aliud egi, quàm vt paternæ doctrinæ, quâ vix in Religione vniuerſa grauiorem certioremve reperias, pa-

trocinium ſuſciperem, ne quis eam poſthac damnare auſit, & ſi cui non ad intelligendam illam modo, ſed & ad exequendam vitâ & factis aurem cordis Deus aperuerit, parere illi pro ſua pietate inſeruireque ne dubitet. Nam ſi quis eo animo hunc à me Librum emiſſum cogitet, vt pœnitentiæ diſciplinam totâ quà patet Eccleſia, renouem ac recenſeam; is conſilium mihi affinget, quod in priuato quidem homine fatuum ac delirum cenſeam; non minoris autem arrogantiæ quam temeritatis inſipientiæque condemnem. Non me præterit, quantum vel ipſa conſuetudo in animis hominum valeat, vt quod Romanus Scriptor de quibuſdam amicitijs, id Patrum quidam de illa meritò ſcripſerit, diſſuendam videri, non diſcindendam. Quod ergo à clariſſimis illis Eccleſiæ luminibus accepi, id fidelibus tradere aggreſſus ſum, inſtitutionis ac laboris huius euentum Deo permittens, cum tantam animorum commutationem à quocumque homine vno, quem etiam Prophetæ vice diuinitus miſſum conſtaret, fieri nullo modo poſſe, ipsâ experientiâ comperiſſem.

Vnum peto ab ijs qui Librum hunc legere non grauabuntur, ne vitio vertant, ſi nonnullâ ſpe teneri me fatear fore, vt voto laborique meo Deus obſecundet, in aliquorum ſaltem animis, qui prolatæ hoc Libro doctrinæ vim eò liberius ac libentius accipiant, quod nihil ab in-

uitis vllâ neceſſitate exigendum extorquendumque decreui. Veram enim intimamque cordis eorum conuerſionem in ipſorum magis nutu & voluntate poſitam volo, quam in orationis ſententiarumque mearum pondere & efficientiâ, majorem non cupiens quam quantam Deo indere viſum erit in voluntariorum pœnitentium illorum animis, qui gratiam fortaſſis aliquam habebunt, ſe de tanta re à nobis admonitos, quam multo ante forſitan eſſent complexi, ſi antea cognitam habuiſſent.

FINIS.

Illuſtriſſimorum Antiſtitum Approbationes.

Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Senonenſis.

QVOD ab Auguſtino præclarè dictum eſt, Euchariſtiam venenum fuiſſe Iudæ, non quia malum accepit, ſed quia bonum malus accepit: idipſum non ſine maximo doloris ſenſu fateri cogimur ſæpius hoc tempore contingere ſacro-ſancto huic myſterio ac pœnitentiæ Sacramento, cui iam nudum pœnitentiæ nomen relictum eſt. Hic liber DE FREQVENTI COMMVNIONE inſcriptus, quem accuratiſſimè, & magno cum fructu ac voluptate perlegi, Sacramenti vtriuſque abuſum, qui contra Eccleſiæ leges ac mentem vulgo increbuit, & hodierni illorum vſus ab antiquo illorum temporum vſu, cum in Chriſtianorum animis primus fidei feruor ac Chriſtiani ſpiritus primitiæ vigerent, diſcrimen immenſum tam doctè, tam neruoſè ac luculenter exponit, vt dubitari nequeat, quin ſi in lucem exierit, maximam vtilitatem ſit Eccleſiæ allaturus. Quare non edendum modo cenſeo, quod penitus orthodoxam, ſanctiſſimam doctrinam contineat, ſed & ab omnibus legi, & ad mores vitamque transferri opto ac voueo. Cuius mei iudicij fidem faciet hæc ſyngrapha quam ſcripſi & chirographo meo obſignaui. Senonis IV. Non. Iun. Anno ſal. M. DC. XLIII.

OCTAVIVS Archiepiſcopus Senonenſis.

Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Tholoſani.

CVM plurimos peccatores ad tremenda altaris myſteria crebrò accedentes nullum emendatioris vitæ fructum edere ferè compertum ſit, intelligere licet neceſſariam illos animi præparationem ad ea non afferre, adeoque approbatione & laude dignandos, qui diligenter exquirunt ac fidelibus tradunt veram & germanam vitalis almique illius panis capiendi rationem & diſciplinam, vt ad Chriſtianæ perfectionis apicem longius in dies prouehantur. Quamobrem lecto à nobis hoc Libro DE FREQVENTI COMMVNIONE in quo autor rectiſſimam, vt nobis viſa eſt, ad peccatorum odium lapſorum cordibus inurendum, augendumque deſiderium animi, & cultum Chriſti corporis communioni debitum viam tradit, è ſacræ antiquitatis vſu, Patrumque & Conciliorum ſententijs repetitam: poſteaquam in eo multam eruditionem & eximia ad pietatem præcepta, nec quod ab Eccleſiæ mente, aut à bonis moribus abhorreret, quicquam offendimus: ad animarum ſalutem Deique gloriam ſpectare cenſuimus, vt edatur, & à Chriſtianæ perfectionis cupidis accuratè lectus, accuratius obſeruetur. Quod his litteris manu noſtrâ ſubſcriptis teſtatum omnibus eſſe voluimus. Pariſijs prid. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

CAROLVS Archiepiſcopus Tholoſanus.

Illustrißimi Archiepiscopi Burdigalensis.

CVM ad institutum à Christo Episcoporum munus ex æquo pertineat, prospicere ne illorum curæ ac fidei commissi greges exitialium doctrinarum veneno corrumpantur, & eos qui in tantis malis arcendis & fidelibus in Christianæ pietatis studio retinendis elaborant autoritatis suæ præsidio tueri: in felicitatis loco posuimus, quod post impletam, quoad licuit, priorem huius officij partem publica noxiorum librorum qui ad huius seculi alendas prauitates, vel augendas etiam amplificandasque adornati videbantur, circumscriptione ac censurâ; posterioris etiam præstandæ locus publicâ nobis huius DE FREQVENTI COMMVNIONE Libri approbatione offertur. In eo enim sanctissima & grauissima nostræ Religionis decreta, quæ ad antiquam regendarum animarum artem, & salutiferum sacrorum mysteriorum vsum spectant, tam luculenter explicantur, & firmissimis Scripturarum oraculis, Conciliorum Sanctionibus, SS. Patrum atque Doctorum testimonijs stabiliuntur, vt facere non potuerimus, quin vtilissimum & Ecclesiæ in primis necessarium iudicaremus, vt sanctissima illius instituta Patrum vocibus hîc expressa à germanis eius filijs cognoscantur & impleantur. Datum Parisijs XVI. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

HENRICVS Archiepiscopus Burdigalensis.

Illustrißimi Archiepiscopi Turonensis.

LIBRVM cui titulus DE FREQVENTI COMMVNIONE, summa cum animi oblectatione legimus, nihilque in eo reperimus, quod veritati Catholicæ repugnet: imo talem esse arbitramur, quem non solum quiuis fidelis inoffenso decurrat pede, sed ex quo vlterius discat tam reuerenter Sacris Mysterijs vti, vt ad ea nonnisi secundum primitiuę Ecclesiæ vsum & sensum antiquorum Patrum, id est, verè Pœnitens accedat, probétque seipsum iuxta Apostoli præceptum, ne sibi iudicium manducet & bibat non dijudicans Corpus Domini. Illud ipsum est quod omnibus fidelibus Author persuadere conatur, solida ratiocinatione prædictorum Patrum auctoritatibus fulta, quas ita in aduersarios retorquet, tam facili, dilucida, & vera interpretatione, vt nemini dubium esse possit, quin eandem doctrinam omnes Catholici amplecti debeant, tanquam sibi salutarem, & summam erga sanctissimum Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum reuerentiam excitantem. Hinc est quod ipsius opinioni ex animo subscripsimus. Datum Parisijs, die XXIII. Iunij, Anno M. DC. XLIII. VICTOR, Archiepiscopus Turonensis.

Illustrißimi Episcopi Ambianensis.

LIBRI huius DE FREQVENTI COMMVNIONE autor purissimam primitiuæ Ecclesiæ formam natiuis coloribus delineat. Propositâ pœni-

tentiæ illius ſeueritate, quanto antiquis fidelibus peccatum horrori eſſet, quantæ autem venerationi ſacro-ſancta myſteria, præclarè oſtendit. Neſcias quid potiſſimum in eo ſuſpicias, firmiſſima rationum momenta, an eximium antiquitatis notitiam, an flagrantem in Eccleſiam amorem. Nihil hîc non ſolidum, non Conciliorum ac Patrum autoritate robuſtum, quorum ex verbis ac ſententijs totus penè Liber contextus eſt: Nihil quod Religionis noſtræ ſanctitati honorem reuerentiamque ampliorem non conciliet, amiſſæque priſtinæ illius integritatis dolorem ac deſiderium vehementius non afferat, dum docet, quàm longè à maiorum noſtrorum ſummâ virtute abierimus, atque ab illo Spiritus Sancti feruore, qui eos ad peccatorum pœnas à ſemetipſis tantâ ſeueritate repetendas inflammabat. Quare hoc opere à nobis perlecto & diligenter examinato optandum cenſuimus, vt omnium manibus tereretur, quo antiquam diſciplinam, quæ peccatores acrioribus pœnitentiæ remedijs expurgatos, ſacris myſterijs purè ac religioſè adeundis idoneos præſtat, noſtrâ ætate reuiuiſcentem videre poſſimus. Datum Pariſijs XIV. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

FRANCISCVS Epiſcopus Ambianenſis.

Illuſtriſſimi Epiſcopi Laſcarienſis.

HIc Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE tam præclarè de Sacramentorum Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ vſu diſputat, vt autore ſententiam de illo meam requirente teneri non potuerim, quin debitam ſcripto approbationem ſcriptoris commendatione cumularem. Tantis diuinæ lucis & gratiæ illecebris Sanctorum Patrum de pœnitentium ſatisfactionibus ac ſacrâ Communione doctrinam expromit, vt Spiritus ille ipſe qui Eccleſiam fouet ac regit, ſtylum eius impuliſſe videatur. Frequentiorem communionem non damnat, ſed per iuſtæ pœnitentiæ fructuum viam ad eam contendere hortatur. Non edebatur olim Agnus Paſchalis ſine amaris oleribus. Æquum eſt purificandis animis quàm maximè operam dent, qui eius Sacramenti participes fieri cupiunt, cuius comparatione impuri ſunt Angeli. Nec vero timendum, ne hoc Libro expoſita antiquæ pœnitentiæ ratio Eccleſiam conturbet, cuius prudentiam inſtitutaque omnia veneratur autor ac ſuſpicit; ſed ſperandum potius, magno plurimis vſui fore, qui tutiſſimâ ad Deum viâ pergere, & per anguſtam portam in cœlum eniti geſtient. Datum Pariſijs VIII. Id. Sept. A. S. M. DC. XLIII.

I. HENRICVS Epiſcopus Laſcarienſis.

Illuſtriſſimi Epiſcopi Maſſilienſis.

NOs Stephanus Puget Dei gratiâ & S. Sedis Apoſtolicæ Epiſcopus Dardanienſis, à Chriſtianiſſimo Rege Maſſilienſis Epiſcopus nominatus, ſacri Conſiſtorij Comes, Teſtamur, nos Librum legiſſe, cui titulus DE FRE-

QVENTI COMMNIONE, eiuſque de Sacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ deque ſalutifero illorum vſu doctrinam ita Catholicam nobis viſam & ſolidam, vt publicâ luce digniſſimum iudicemus. Cuius rei vt certa ſit fides, hanc animi noſtri ſententiam manu noſtrâ ſubſcripſimus. Pariſijs VII. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

STEPHANVS Epiſcopus Dardanienſis, & Maſſilienſis nominatus.

Illuſtriſsimi Epiſcopi Adurenſis.

ÆGIDIVS Dei gratiâ & S. Sedis Apoſtolicæ Epiſcopus & Dominus Adurenſis, Omnibus has litteras lecturis ſalutem ab eo qui ſalutis eſt principium, vita & finis. In Libro cui titulus DE FREQVENTI COMMVNIONE accuratè à nobis lecto nihil deprehendimus, quod Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ dogmatibus aut pietati aduerſetur, vel non penitus congruat. Quin etiam adeo perſpicuam ac neceſſariam tremendæ Magni Pauli præceptionis, *Probet autem ſeipſum homo*, &c. interpretationem exhibere iudicauimus, vt eum diuiniſſimus Apoſtolus ad tollendum diuiniſſimi Sacramenti abuſum his temporibus excitaſſe videatur, quemadmodum eundem ipſe ſuis olim ſanctiſſimis verbis compreſſit ac ſuſtulit. Quare hunc Librum non approbamus modò, laudamus & magnificamus, ſed fideles omnes hortamur, vt eum propenſis animis accipiant ac legant, tanquam magni Patrisfamilias munus ſingulare, cuius prouidentia quod tempore locoque conueniat Eccleſiæ ſuæ nouit impartiri. Datum Pariſijs XIV. Kal. Sept. A. S. M. DC. XLIII.

ÆGIDIVS Epiſcopus Adurenſis.

Illuſtriſsimi Epiſcopi Madaurenſis, Metenſis Suffraganei.

CVM Chriſtiano à prima innocentia lapſo nihil grauius magiſve neceſſarium ſit, quam plenam veramque pœnitentiam complecti, cuius ope à Dæmonis ſeſe laqueis inferniſque tenebris eripiat, ſecundæ innocentiæ gradum aſſequatur, amiſſamque peccatis gratiam recipiat; atque ita Chriſti corpus dignè ſuſcipere, cuius particeps vnus cum Deo ſpiritus efficitur, æternæque electorum hæreditatis quaſi naturale ius adipiſcitur: Facere non poſſum, quin huic Libro DE FREQVENTI COMMVNIONE iudicij mei approbationem tribuam, cum duabus iſtis Chriſtianæ Religionis præcipuis partibus fructuosè ac ſalubriter implendis leges præſcribat, ex antiqua Eccleſiæ diſciplina depromptas, Sanctorum Patrum, ſacratiſſimorum canonum, ac Summorum Pontificum teſtimonijs ſummâ fide prolatis, veriſſimèque expoſitis ſtabilitas, eximiâ denique diſſerendi vi & acumine firmatas, vt hoc opus ad antiqua diuino lumine ac pietate flagrantiſſimorum ingeniorum monumenta accedere videatur. Datum Pariſijs Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

M. MEVRICE Epiſcopus Madaurenſis.

Illustrissimi Episcopi Aurelianensis.

ECCLESIA disciplinæ ordine ac ratione continetur. Disciplina vera & germana non est, nisi quæ à spiritu gratiæ, vt fructus à radice proficiscitur; neque inde profecta intelligi potest, nisi quæ maiorum traditione firmata perpetuæ successionis serie ad nos permanauit. Ita cum præclari huius Libri autor Patrum vestigia semper insistat, nec quicquam eorum doctrinæ nisi nouam lucem addiderit, eorum quos Deus viua Sancti Spiritus organa esse voluit interpretis munere solo contentus, merito videri potest veri ac probi Theologi laudem assecutus. Nec tantum lucubrationem eius omnium calculo probari oportet, sed & veros omnes Christianos singulari venerationis sensu aduersus disciplinam vniuersorum canonum autoritate consecratam afficere, vt si minus ardoris ac zeli ad eam amplexandam conceperint, sanctissimam quidem certè & ad sanandas animas in primis opportunam agnoscant, certi humilem istam agnitionem ad impetrandas à Deo vires quibus illa aliquando impediatur, vel maxime esse appositam. Datum Parisijs III. Non. Iun. A. S. M. DC. XLIII.

NICOLAVS Episcopus Aurelianensis.

Illustrissimi Episcopi Maclouiensis.

ACHILLES de Harlay de Sancy, Dei gratiâ Episcopus Maclouiensis, Omnibus ad quos spectabit salutem in eo qui est vera salus. Summa cum animi voluptate perlegimus librum cui titulus est DE FREQVENTI COMMVNIONE. In eo autem nihil quod sanæ doctrinæ, vel pijs moribus aduersetur; Omnia autem cum Sacro-sanctorum Conciliorum ac Orthodoxorum Patrum doctrina apprime conuenientia deprehendimus. Quapropter dignissimum censemus qui publici mereatur fauoris applausum. Datum Lutetiæ Parisiorum die XXIV. Iunij, Anno reparatæ salutis M. DC. XLIII.

A. DE HARLAY, Episcopus Maclouiensis.

Illustrissimi Episcopi Vasatensis.

EGO Henricus opus hoc inscriptum, DE FREQVENTI COMMVNIONE legi, & pretium legenti fuit iterandæ lectionis auiditas, quam sensi ipso labore aut potius ipso fructu crescere. Inde votum vt tereretur & amaretur ab omnibus quos religionis amor, quos diuini epuli legitimus ardor agit; qui ab eo audirent de re tanta Scripturarum oracula, Patrum placita, Conciliorum decreta, non adulterata, non torta, non vaga, non alterius fide intrusa; sed à suis petita fontibus, proprijs distincta sedibus, & natiuis descripta coloribus; qui, vt verbo dicam, viderent in illo antiquam Ecclesiam suis aris dignè consulentem, verè sciturі quid illa crediderit, quid factitarit: quam frequenter

suos sponsi sanguine potaret, quos nouerat ardentes & effundendi pro sponso sanguinis auidos; quam raro è contra aris admoueret quos nouerat seipsis nondum penitus exutos, CHRISTVM plene nondum indutos, vt hac morâ, tanti mysterij pretium, & amorem inspiraret; Quam ideo aspere eos insectata, qui non vocati nisi ex otio, aut ab humano die, aut ab homine rerum diuinarum imperito, se se in augusta illa ac ipsis Cœlitibus formidanda mysteria protruderent; quanto denique rigore illa reuoluerit & expenderit nuptialem & candidam eam vestem, quam iubemur immaculatam perferre ante tribunal CHRISTI, aras prohibitura si vestem labes infecisset, nec reseratura nisi longo lacrymarum fluxû ad candorem salutaris vndæ rediisset. Hæc fuere nascentis Ecclesiæ florentissima tempora, hæc fuit illius sapientissima circa cœlestes mensas œconomia, & ea quæ sollicitam sponsam decuit austeritas, quam nimiâ huius nostri æui licentiâ pene exanguem & emortuam optat reuiuiscere hic noster numquam satis laudandus Auctor. Cuius bene precati conatibus, librum hunc typis semper victuris dignum censuimus. Datum Vasati sexto idus Aprilis anno Domini M. DC. XLIII.

HENRICVS, Episcopus Vasatensis.

Illustrißimi Episcopi Coadjutoris Montalbanensis.

HIC Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE quem legimus, ad debitam sacro-sanctæ atque adorandæ Eucharistiæ venerationem excitandam renouandamque aptissimus est visus. Nimium quippe deplorandâ experientiâ compertum est Christum hoc mysterio oculis nostris subductum iisdem passim contumelijs affici, quas quondam apud Caïpham velo faciem obtegente perpessus est. Et quemadmodum in Pilati prætorio multi flexo genu ante ipsum procumbunt, paucis aut nullis diuinæ ipsius maiestati corde subjectis; sicut quem vniuersa cohors ioculari adoratione illudit, vnus Centurio venerabundus agnoscit: ita plurimis ad eius corporis communionem aduolantibus paucissimi gratiæ illius spiritum assequuntur. Sed quamcumque Christus in hoc mysterio dum sese communis cibi specie offert benignitatem præferat, nihilo minori nobis studio humilitas esse debet, quâ propriæ indignitatis conscij ab eo recedamus, quàm pœnitentia quâ deletis peccatorum maculis ad eum reuocemur. An hoc vitæ fructu vetus Adam vesci mereatur, cui fructus illius qui huius symbolum & vmbra mera fuit; degustandi ne ipsa quidem innocentia potestatem fecit, nisi singularis Dei voluntas concessioque accederet? Vt qui peccato nefariâ criminum consuetudine implicitus manet, ab omni prorsus communione repellendus est: ita cuius voluntas nondum peccati studium gustumque penitus abjecit, à Communionis frequentiâ continere se debet. Verum ita in hoc genere Ecclesiæ disciplina extremis hisce temporibus deferbuit, vt rursus cœlestes Cherubini qui à veriore hoc terrestri paradiso prophanos mysteriorum violatores excluderent, postulandi à Deo viderentur, nisi spes esset Theologos

antiquâ Ecclesiæ scientiâ illustratos, pristinæque ipsius gloriæ zelo ardentes stylo effecturos, quod igneus ille gladius ad iustissimam vltionem olim à Deo adhibitus, effecturus fuit. Quo in numero quoniam huius Libri autorem reponimus, vtilissimum Ecclesiæ fore arbitramur, eius opus publicâ luce donari. Datum Parisijs IV. Non. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

PETRVS Episcopus, Coadjutor Montalbanensis.

Illustrissimi Episcopi Sancti Papuli.

EXIMIVM hunc DE FREQVENTI COMMVNIONE Librum orthodoxum censeo. Ad huius ætatis languorem & corruptelam vtilissimum imo necessarium fuit hoc argumentum altius penitusque tractari. Quicumque integrè ac Christianè sentiunt, absolutissimi operis huius euulgati gratiam autori debent. Sanctorum Patrum, Conciliorum, Ecclesiæque antiquam doctrinam summâ fide profert, summo consilio euoluit, summâ perspicuitate pietateque illustrat: ad eius denique cultum & vsum tanto rationum pondere trahit, vt ei non obsequi nihil aliud esse videatur, quam pertinaciæ contumaciæque litare. Non minus tuta salus animas eò reuocari, vnde blanditia indulgentiaque nimia eas detorsit, quam periculosa mollities cuius miserrimam licentiam turpis & fœda assentatio induxit. Sic censeo. Mediolani Santonum VIII. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

BERNARDVS Episcopus Sancti Papuli.

Illustrissimi Episcopi Catalaunensis.

DOCTRINA hoc Libro DE FREQVENTI COMMVNIONE tradita meo iudicio perquam sana est, Ecclesiæ menti ac disciplinæ consentanea, atque omnibus qui eam penitus percipere voluerint, plurimùm vtilitatis allatura. Hoc ei post accuratam lectionem animi nostri testimonium deberi censuimus. Parisijs XV. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

FELIX Episcopus & Comes Catalaunensis.

Illustrissimi Episcopi Briocensis.

ECCLESIA feliciter reualescit, cum ad antiquam sese refert virtutem: disciplina eius nouum colligit robur, cum pristinum feruorem recipit: vera eius & solida doctrina enitescit, cum noua falsaque dogmata Christianæ Religionis decretis validè oppugnantur. Quamobrem hic Liber, qui DE FREQVENTI COMMVNIONE titulum præfert, summâ omnium voluntate accipiendus, omnibusque probandus videtur. Antiquum in eo Ecclesiæ primitiuæ spiritum agnoscimus; antiquamque illius disciplinam verè candidèque deductam perpetuâ seculorum serie, canonum institutis, Conciliorum decretis, Patrum sententijs, quorum testimonia fide integrâ repræ-

ſentat, accuratè interpretatur, verè exponit. Autor, Ioannis Præcurſoris inſtar, aduenienti Agno peccata mundi tollenti vias pœnitentiæ parat & demonſtrat. Docet cum Apoſtolo probare noſmetipſos priuſquam ſacris epulis accumbamus, atque vt Chriſti corpus dignè accipiatur, ſi prioris baptiſmatis innocentiam amiſimus, nouam poſteriori lachrymarum ac veræ pœnitentiæ baptiſmate comparandam. Denique omnium Eccleſiæ ſeculorum vſu, qualis etiamnum eſſe debeat, ſatisfactionis vſus oſtendit. Ita in integrum reſtituendo vtiliter ſtudet ei Sacramento cuius omnes partes hac ætate conuulſas videmus: Contritionem nimiâ leuiorum attritionum tenuiumque pœnitentiæ ſignorum fiduciâ: Confeſsionem innumeris verſutijs ac fucis quibus vulgus imbuitur: Satisfactionem laxiori aduerſus peccatorum duritiem indulgentiâ, promiſcuâque præmaturè abſoluendi facilitate. Quibus rationibus adducor, vt autoris huius zelum ac pietatem prædicem, operi eius libentiſſimè calculum meum apponam, palamque profitear, parum mihi fore videri, niſi hoc meum chirographum Diœceſeos meæ vſu & praxi comprobetur. Pariſijs die ipſo natali S. Ioannis Baptiſtæ M. DC. XLIII.

DIONYSIVS Epiſcopus Briocenſis.

Iudicium Synodi Prouincialis Auſcenſis Anni M. DC. XLV.

VNIVERSA Auſcenſis Prouincia in Prouinciali Cœtu anni 1645. cui adfuerunt Illuſtriſſ. Archiepiſcopus Auſcenſis, ac decem Epiſcopi Suffraganei, plurimique inferioris ordinis Eccleſiaſtici vna voce & conſentientibus ſuffragijs hunc Librum DE FREQVENTI COMMVNIONE approbauit: vt conſtat certiſsimo trium ex eo numero Epiſcoporum teſtimonio, qui ad generalem totius Prouinciæ approbationem peculiares ſuas adjungere voluerunt, quas è gallico in latinum conuerſas hîc exhibemus.

Approbatio Illuſtriſſimi Epiſcopi Oloronenſis.

CHRISTIANI appellationem immerito ſuſtinet, qui reipſa & factis implere non contendit, quod tam auguſto nomine profitetur. Chriſti vero mors ac reſurrectio Chriſtiani fidem omnem continent & complectuntur. Mortuus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Propter nos mortuus eſt, vt nobiſmetipſis moriamur. Propter nos reſurrexit, vt ipſi ac propter ipſum viuamus. Baptiſmate, qui Chriſtianæ Religionis aditus & ianua eſt, cum ipſo conſepulti ſumus. Euchariſtiæ myſterio, carne illius alimur, & in ipſo manemus. Quod ſi quis exitiali ignauia tantæ dignitatis immemor, receptam ſemel innocentiam nouo crimine decoxerit, ad priſtinæ integritatis honorem veræ pœnitentiæ ope redire, & decurrentibus lachrymarum riuulis velut altero baptiſmate ſeſe expurgare contendat neceſſe eſt. Hoc enim ſi priuſquam perfecerit diuinis altaribus ma-

num afferre non dubitet, nihilo minoris temeritatis culpam suscipiet, quam si non regenitus diuinis epulis sese obtrudat. Mundo ac sibi moriendum, si quis mortis Christi fructum percipere velit: noua induenda vita, vt eiusdem resurrectionis beneficijs perfruatur. Excutiendæ penitus animi latebræ ac recessus, idonéaque perfectæ cordis ad Deum conuersionis indicia bonorum operum fructu, virtutum exercitatione, defæcatæ charitatis officijs comparanda. Denique, vt verbo dicam, moriatur oportet vt reuiuiscat: Christi tumulum subeat, vt ipsius gloriæ vim efficientiamque capere possit, seriaque sui ipsius probatione se iam non se dicere queat, priusquam ad mysterium aspiret, quo vna cum Christo caro vnusque spiritus efficiatur. Hæc Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE non minus neruosè quam copiosè demonstrat. Quare faciendum mihi existimaui, vt doctrinæ sanctissimæ, omnibusque qui salutis æternæ desiderio ingemiscunt vtilissimæ cum vniuersa nostra Prouincia suffragarer. Porrò quo altiorem in gregis mihi crediti animos eius amorem reuerentiamque insererem, hoc singulari etiam testimonio declaratum volui quanti eam faciam, quantoque affectu disciplinam adeo salutiferam, totque ac tantis Patrum, Pontificum, & Conciliorum autoritatibus hoc Libro egregiè constabilitam vbique obseruari exoptem. Datum in vrbe Palensi Nauarræi Parlamenti sede XI. Kal. Maij M. DC. XLV.

ARNALDVS DE MAYTIE Episcopus Oloronensis.

Illustrissimi Episcopi Lectoratensis.

CVM doctrinæ iudicium ad Episcoporum munus præcipuo iure pertineat, & Pastorali eorum sollicitudini commissi fideles ex ipsorum labijs simul cum scientia eiusdem doctrinæ decreta exquirere possint ac debeant: culpæ me obnoxium arbitrarer, si posteaquam Librum DE FREQVENTI COMMVNIONE spirituale pabulum agnoui gregi curæ meæ diuinitus credito quam maximè salutiferum, non illud ei porrigerem, & hoc nomine in primis commendarem. Quod vero complures simulata pastorum & agnorum specie Librum hunc noxium ac pestiferum fingere iactareque in vulgus ausi sunt: ad Episcopos vt veros Pastores, legitimosque iudices, quibus ius est sanitatem à lepra, verumque à falso secernere, adeoque ad nos spectat testimonium veritati quam integerrimum & ab omni reprehensione alienum apud populum Christianum tribuere, cuius est nos audire ac pastores sequi, si verarum ouium locum tueri velint. Quare est cur summoperè miremur miserrimis hisce temporibus Pastorum voci minus quàm mercenariorum præberi aures, filiosque alienis maiorem quàm parentibus fidem habere. Cæterum, quisquis mei suffragij futurus sit exitus, id diutius debere non potui, cum & animi mei conscientiæ obsequi, & Euangelicæ veritati totius Ecclesiæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum autoritate firmatæ id honoris habere iubeat, vt eam vbicumque emicuerit, vltrò agnoscam & venerer, & ad eius præsidium omnem acceptæ ab ea potestatis vim

atque amplitudinem conferam. Hanc vero vniuersam illi in hoc Libro DE FREQVENTI COMMVNIONE asserendæ vindicandæque sanè quam libens impendo, iudicijque istius mei calculum vnanimi & consentienti Illustrisimorum Collegarum meorum decreto, quo sanam eiusdem Libri doctrinam in postremis Prouincialibus comitijs comprobarunt, reuerenter & amanter adjungo. Quod vt omnibus constet, has litteras scripsi, & chirographo ac sigillo meo obsignaui. Lectorates IV. Kal. Maij M. DC. XLV.

I. DESTRESSES Episcopus Lectoratensis.

Illustrissimi Episcopi Tarbensis.

ETSI Christus vehementiori seipsum Apostolis in sacratissimo Eucharistiæ mysterio tradendi cupiditate teneretur, vt ipse est testis: ineffabilis tamen consilij huius euentum vsque ad pridie quàm è vita excederet distulit, & quantumcumque vis amoris vrgeret, immensa sapientia eam velut compressit, quoad illorum corda diuinis institutionibus ac præceptionibus suis exculta ad sacratissimum istud epulum, quo vt ipsius amoris summa, ita mysteriorum omnium cumulus continetur, comparasset. Hoc vero Dei humanam naturam induti, vt factis ac verbis ineundæ nobis vitæ formam proponeret, exemplo docemur, quamlibet acri ad Communionem studio impelli videamur, præcipiti tamen festinatione animo nostro nunquam indulgendum. Laudanda quidem vel maximè animi affectio est, cœlestem illum animarum cibum flagrantius expetere, quandoquidem sanctam hanc esuriem Euangelium cœlo & felicitati ascribit, dum beatos pronuntiat, qui ea vrgeantur, sed tamen vt vera sit, non fallax & fucosa esuries, creatarum rerum cupiditate suique ipsius amore vacuum animum præstet necesse est. Quàm maximam vim calorisque abundantiam animæ nostræ sinu ac velut stomacho collectam esse oportet, vt tantam escam concoquat ac conficiat, si tamen de eo cibo ita loqui fas est, qui eximio miraculo non in edentis naturam vertitur, sed eum transformat, in seque conuertit. Est vtique votum Christiana mente dignissimum oris sui osculum à Christo postulare, sed expurganda prius ignito Prophetæ calculo labia, quàm tantæ felicitatis apicem appetere liceat. Solius Sponsæ est hanc gratiam præsumere. Quare antequam sacro-sancta subeamus altaria, videndum etiam atque etiam quam bellè nobis appellatio ac dignitas ista conueniat, quæ flagranti in Deum amore, non verbo ac lingua, sed re ac veritate expresso, perspicitur. Alioquin magnoperè metuendum, ne Christo Iudæ osculum offeramus, non ab ipso Sponsi ac Patris osculum assequamur. Denique piè & sanctè Christum æmulatur, qui ita se illi conjunctum vult, vt ipse se nobis conjunctum voluit. Ac quemadmodum ille præformandis discipulorum animis, atque ad hanc sacratissimam conjunctionem imbuendis, temporis spatium adhibuit, ita in hoc ipso premenda eius vestigia, vt per otium ac sensim nosmetipsos probemus, & diuinissimo Emmanueli, qui vna nobiscum habitare, & in cordibus nostris

regiam sedem collocare cupit, viam aditumque comparemus. Nunquam igitur vel supra meritum laudabitur autoris DE FREQVENTI COMMVNIONE zelus, vel pro merito Liber eius probabitur, dum mira portenta refellit, à nouitijs quibusdam animarum rectoribus excogitata, qui quosuis promiscuè quamlibet criminibus oneratos, dummodò prius ea confessi & resipiscendi voluntatem, quam frequentissima peccatorum eorundem vicissitudo cassam inanemque ostendit, professi fuerint, ad diuinam mensam ignauissima quadam indulgentia superbaque temeritate propellunt. Rectè ergo monet longiorem moram interponendam, vt certiora firmioraque emendatæ vitæ argumenta capiamus, & aliquandiu in solitudine fletibus ac suspirijs instandum, priusquam cœlesti manna satiemur. Non mediocriter gauisus sum, cum ab vniuerso Prouinciæ nostræ cœtu doctrinam hanc saluberrimam vna voce probatam vidi, eique lubentissimè cum viris tantis suffragium meum adjeci. Quo autem testatior animi mei sententia foret, placuit hanc etiam tabellam chirographo nostro insignitam & amanuensis nostri manu subnotatam extare. Tarbæ IV. Kal. Maij. A. S. M. DC. XLV.

S. DIHARSE Episcopus Tarbensis.

Approbationes Doctorum.

Approbatio R. D. Castellani in sacra Parisiensi Facultate Theologiæ Doctoris, & Metropolitanæ Ecclesiæ Parisiensis Canonici.

LIBER DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico conscriptus, salutarem institutionem ex SS. Patrum doctrina, atque antiqua Ecclesiæ praxi depromptam exhibet, qua Christianæ animæ in Sanctissimo Eucharistiæ pane, qui Angelorum ac fortium panis, ac solidus, autore Apostolo, perfectorum cibus est, vsurpando, regantur. Quare meritò censet autor in diuina illa esca tribuenda, alio modo tractandos, qui vel baptismatis sanctitatem inuiolatam seruauere, vel peccatorum maculis pœnitentia deletis secundam gratiam studiosè tuentur ac retinent: alio homines à lethali ægritudine tantùm emergentes, ex qua ea illis infirmitas ac languor hæreat, vt è solido alimento, non eum quem sani & valentes fructum capere queant. Interdictio vel dilatio cœlestis illius cibi vitæ spiritualis incolumitati nihil officit, sed perceptio illius tum demum eam auget ac vegetat, cum animus à Christi gratia eas quibus ad frequentem Communionem sanctius componatur, vires ac firmitatem acceperit. Quocirca consilium autoris cum antiquo Christianorum vsu SS. Patrum ab eo laudatorum testimonijs confirmato planè consentit: nec difficilius cuiquam aut seuerius, sed potius longè vtilissimum videri debet, cum peccandi licentiam quasi vinculis quibusdam coerceat, Christianosque ad supremum regem ac dominum diligentius, religiosius, amantiusque accipiendum adducat. Quare Librum eius pietate sanctitateque insignem censeo, nec in eo quicquam

legi vel animaduerti, quod fidei Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ, bonisque moribus omninò non congruat. Quod chirographo meo confirmaui. Idib. Iul. A. S. M. DC. XLIII. CHASTELLAIN.

R. D. Fabri S. Theologiæ Doctoris Sorbonici, Aurelianensis Ecclesiæ Theologi.

IESVS, MARIA.

FAXIT Sanctissima Trinitas IESV-CHRISTI Domini nostri supremi Sacerdotis ac primi Episcopi meritis, vt ego Sacerdos pacificus pacem inter fratres meos conciliem. Librum DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo, Doctore Sorbonico conscriptum intentius legi. Alij putant consilium ei esse, vt à frequenti nos Communione deterreat: alij verentur, ne nos ad rigidam sanctissimorum primitiuæ Ecclesiæ institutorum obseruationem adigere conetur. Non eò spectat eius animus, sed vt Christianis omnibus Conciliorum, Patrum, Ecclesiæque Doctorum mentem ac sententiam aperiat, eos qui Eucharistiam frequentare velint, sanctos esse oportere, innocentes, vitæ secretioris & à detestandis sæculi moribus atque infelicissimis voluptatibus alienæ appetentes, rectorum & angustorum Euangelij callium sectatores, dum vel Baptismatis gratiam singulari Dei benignitate retinent, vel eâ lapsi laboriosæ pœnitentiæ subsidio, per quam à sanctissimo Christi corpore & honoris causâ & congruentioris tanto mysterio præparationis gratia se abstinent, Dei amicitiam sibi magna eius misericordia reconciliare contendunt. Nonne hæc via atque hæc doctrina apostolica est? Nonne hoc ipsum seu rarius, seu crebrius communione vtentibus præcipiendum, vel ad tanti regis honorem, vel ad eorum qui Eucharistiam adeunt vtilitatem & fructum? Neque enim vbi Sacerdoti peccata enarrarunt, continuò reconciliati sunt Deo, nisi serio doleant, & in posterum diuini amoris studio vitam in melius referre, à sæculi moribus se se abducere, carnem vexare, ac sancti Euangelij pœnitentiæ & crucis disciplinam indicentis decretis parere, firmo ac fixo animi motu constituant. A quo statu Eucharistiam frequentantium plerique longè absunt, vt & qui semel tantùm, bis, terve in anno eam accipiunt. Sancta quidem Ecclesia canit: *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus.* Quotus verò quisque est, seu frequentior in Communione, seu infrequentior, qui spiritualem illam voluptatem & delicias capiat? Quotus quisque est, qui Communionis crebritate à publicis ambulationum curriculis, à saltantium choris, à circulis & congressionibus amœnioribus, à conuiuiorum ad luxum & voluptatem comparatorum consuetudine abducatur? Sæpe nos ad cœlestem sanctamque lætitiam christianæ religionis oracula vocant: *Ierusalem, gaude gaudio magno. Lætetur Israël in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo.* Eucharistiam tamen vel frequentius vel rarius percipientium pauci hæc capiunt. *Animalis homo non per-*

cipit ea quæ sunt spiritus Dei. Vnde & moribus atque institutis planè ethnicis mundi gaudia, periculosas voluptates, comœdias, aleam, aliaque sæculi filiorum oblectamenta venantur. An verò tales Christianæ Religionis participes, aut de Baptismi votis ac promissis magnopere sollicitos censeas? Si quid nobis veri atque integri sensus superest, in Christianis plerisque regionibus templa diruta, euersos populos, hæresum lue, bellorum cladibus, nunc etiam annonæ grauitate vexatos videre licet; propterea nimirum quod Baptismi gratiam vel incolumem tueri, vel amissam vera pœnitentia recipere nihili pendunt, sed confessionibus ac communionibus sacrilegis indulgent. Atque hæc recogitat nemo. Numquid excœcauit nos ignauia nostra? Calamitatis nostræ fontem nemo intuetur. O quàm nobis Sacerdotibus, Concionatoribus, Missionarijs, Confessoribus illa Dei per Ieremiam edita reprehensio extimescenda: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax; & non erat pax*. Quam multi tum sæpius, tum rarius Eucharistiam sumunt, qui ne ad Baptismum quidem, si deesset, suscipiendum idonei forent? Neque id tantùm in insigniorum vrbium, oppidorum, vicorumque parœcijs, sed & in præcipuis etiam Religiosorum familijs; siue ea spectes quæ contra fidem, siue quæ contra bonos mores ac vitæ christianæ præcepta peccantur. Hinc illæ lachrymæ, hinc calamitas Christianorum, qui Religioni cui se addixerunt, quà mysterijs, quà Sacramentis, quà consilijs & legibus longè sanctissimæ, integritati vita ac factis minimè respondent. In tot ac tantis difficultatibus, ex celeberrima Sorbonæ domo, splendidum sidus, ad communem fidelium omnium tum spiritualium, tum secularium, dummodo oblatâ luce frui velint, vtilitatem, singularis Dei bonitas excitauit. Libri huius autorem vberrima sapientia illum esse prodit animarum rectorem, quem B. memoriæ Episcopus Geneuensis ex decem millibus seligi iubet. Rectorem, inquam, & Magistrum, non vulgi fidelium modò, sed Concionatorum, Missionariorum, Confessorum. Vnde & cum Israëlitico populo dicere licet: *Eamus ad Videntem*; Verba vitæ, Euangelijque IESV-CRISTI Domini nostri docebit. Ne illorum peruicacitatem æmulemur, qui in Ieremiam Prophetiæ dono & insigni in Deum fide præstantem contumaces, sibi dedecus & ignominiam pepererunt. Hic enim liber præceptis adeò veris, christianis, catholicis, pijs, sanctisque refertus est, vt si vel ipse D. Antonius Arnaldus qui tantam in eo lucem fidelibus effundit, vel quiuis alius, vel etiam Angelus contraria docere aggrederetur, audiendum non putarem. In tam deprauati sæculi caligine hic profectò singulari Dei beneficio eluxit, qui rectam paradisi, veræque animorum quietis ac pacis viam monstraret, qui ad cœleste regnum duceret, qui Sanctorum denique scientiam, non eius tantùm Theologiæ quæ in scholis versatur, aut quæ è SS. Patrum monumentis profertur, sed eximia etiam illius quæ in moribus componendis occupatur, luce ac subsidio subministraret. Huius vltimæ gratia laudo illum potissimum ac probo, quod eam maximè Christus & verbis docuerit, & factis expresserit, quam tamen summo temporum nostrorum

dedecore pauci iam appetunt, pauci exquirunt, pauciores exequuntur. Ita quiuis, opinor, intelliget, quàm præclarè de hoc libro ſentiam, quem ex animo probo, laudo, commendo; nec iis modò qui perfectæ virtutis viam ſectantur fructuoſiſſimum, ſed & vulgò fidelium, qui cum annos complures fallacibus promiſſis Presbyteros malè credulos eluſerint, à moribus planè ethnicis ad christianam pietatem remigrare, eamque ſtudioſiùs tueri nolunt, planè neceſſarium prædico. Quin etiam eundem Confeſſoribus, tum Eccleſiaſticis, tum Regularibus parum à prudentiâ, parum ab vſu atque experientia inſtructis, tum in vrbibus, tum in vicis apprime accommodatum & ſalutiferum fore exiſtimo. Vt hoc ſentiam ac prædicem CRISTI IESV in nos omnes effuſa charitas, amor ſingularis quem tot nominibus Eccleſiæ debeo, tot denique annorum experimento quæſita notitia me compellit. Ac Regum, Principum, Optimatum, Magiſtratuum, vel ad cœleſtem gratiam, vel ad præſentem populorum felicitatem permagni intereſt, vt opem ſuam & præſidium ad Chriſtianæ Religionis collapſum decus ex huius libri doctrina inſtaurandum conferant. Datum Aureliæ. v. Kal. Nouemb. A. S. M. DC. XLIII. LE FEBVRE.

R. D. Flauinij Doctoris ac Socij Sorbonici, Litterarum Hebraïcarum in Pariſienſi Vniuerſitate Profeſſoris Regij, necnon Eccleſiæ Metropolitanæ Rhemenſis Canonici.

NEc ſancta canibus dari, nec maiores omni pretio margaritas porcis proijci decet. Nihil luci commune cum tenebris, nec ſine piaculo Chriſto Belial conſociari poteſt. Denique vt verbo abſoluam, Sancta Sanctis ſeruanda. Cum ergo diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento nihil ſanctius, Chriſti corpore & ſanguine nihil pretioſius, eum qui menſæ dæmoniorum paulo ante aſſederit ad Chriſti menſam continuò adhibere, quæ tandem ratio eſt? In Euangelio qui Regis aulam filio nuptiale præbentis conuiuium veſte nuptiali carens ingreditur, pedes ac manus ligatus in exteriores tenebras detruditur. Quin etiam autor eſt B. Paulus eam ob cauſam plerosque iactari morbis & repentina morte opprimi, quod ad ſanctiſſimum illud tremendumque myſterium minus parati ornatique ſe conferant. Probet enim, inquit magnus Apoſtolus, ſeipſum homo, animique ſinus & latebras excutiat, quoniam qui panem illum manducat, aut calicem haurit indignè, iudicium manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare cum his temporibus homines mira quadam cœcitate ab Apoſtolorum & Chriſti diſciplina adeo deſciuiſſe perſpicuum ſit, vt illius vel ad extrema vſque veſtigia obliterationem ſtudio habere videantur: ijs gratia pro meritis haberi non poteſt, qui dictis ac factis eandem ad vſum reducere, primorumque Chriſtianorum pietatem ac zelum ab interitu vindicare contendunt. Hoc vero Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico

publici iuris factus, tanta argumentorum perspicuitate, dignitate, ac robore perficit, vt sine assentationis nota præstantissimum opus facile dici queat. Quod ei me testimonium impertiri animi mei sententia & fides iubet, lectorique omni asseueratione confirmare, nihil ab eo non summè orthodoxum sanumque proferri. Datum in Collegio Sorbonæ XVI. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII. VALERIANVS DE FLAVIGNY.

R. D. Feroni, Doctoris ac Socij Sorbonici, in Carnotensi Ecclesia Canonici, & Archidiaconi Dunensis.

LIBRI huius DE FREQVENTI COMMVNIONE doctrinæ, veritatis ac sanctitatis laudem eò securius & fidentius testimonio meo tribuere possum, quod eâ in primarijs regni huius vrbibus è sacro suggestu sæpe propositâ expertus sum, non aliam vel ad fidei Christianæ communem sensum, vel ad animarum emendationem conuersionemque accommodatiorem reperiri. Semper enim tantus eam plausus, tanta omnium gratulatio consecuta est, vt cœlestem quandam vim & efficacitatem hisce diuinæ veritatis oraculis adjunctam penè oculis intuear. Ac iamdiu optaui existere aliquem excellenti facultate, eximijs ingenij dotibus, & Christi gratia in primis instructum, qui ea eruditione, & pondere grauitateque orationis quam hic Autor præstitit, Ecclesiæ, Conciliorum, Sanctorumque Patrum veram super his rebus sententiam proferret. Semper enim precibus assiduis à Deo flagitandum putaui, vt maiorem in Ecclesia Pastorum numerum, qui B. Caroli more Santissimam istam regendarum animarum rationem tenere vellent, excitaret. Quippe publicis & illustribus exemplis constat, Christianum populum ad disciplinæ huius praxim facile accessurum, vbi aderit dux, à quo in regiam hanc & Euangelicam viam constantis zeli ac veræ pietatis exemplo inducatur. Datum Carnuti XII. Kal. Maij. A. S. M. DC. XLIII.

B. FERON.

R. D. Munieri, Doctoris ac Socij Sorbonici, Ecclesiæ Aurelianensis Canonici & Archidiaconi, ac Illustrißimi Aurelianensis Episcopi Officialis ac Vicarij generalis.

EGO Doctor ac Socius Sorbonicus, omnibus, quibus opus erit, testificor, legisse me, ac diligenter excussisse Librum DE FREQVENTI COMMVNIONE inscriptum, qui adeò nihil à fide bonisque moribus dissentaneum habet, vt eximia præcepta è Sacris Scripturis, atque antiquorum Patrum monimentis repetita passim effundat, quibus sanctissimi Sacramenti reuerentia in Christianorum animis augeatur, priscæque disciplinæ quam temporum corruptela deleuit, renouandæ reformandæque cupiditas inseratur. Datum Aureliæ IV. Id. Iul. A. S. M. DC. XLIII. MEVSNIER.

R. D. Bardæi, Metropolitanæ Parisiensis Ecclesiæ Canonici.

HIc Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE Ecclesiasticæ disciplinæ ipsissimâ integritate fundatus satis per se laudis & commendationis habet, vt aliorum nec testimonia requirat, nec criminationes reformidet: *Qui enim abijcit disciplinam, infelix est*, inquit Sapiens. Quod autor alium in primitiua Ecclesia frequentandæ communionis vsum innocentibus, alium lapsis fuisse; aliud pœnitentiæ fungendæ tempus; aliud reconciliationis assequendæ; alia crimina, alia peccata habita docet; SS. Patrum doctrinæ atque institutis plane consentit. Quod vero ijs qui de vita emendanda serio cogitant ad tempus ab Eucharistia discedendum suadet, vt dilata absolutione veræ pœnitentiæ seueritate animos sanent & expurgent, non est ipsius ingenij commentum, consiliumve hesternæ alicuius doctrinæ nouitate inductum, sed vt Ecclesiæ Romanæ ad Cyprianum scribentis autoritatem & voces adhibeam: *Antiqua hæc apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua.* Sanctæ huius disciplinæ antiquitas & vsus canonum decretis, Sanctorumque Patrum testimonijs summa fide prolatis, verissimèque expositis, dilucidè ab eo ac solidè comprobatur. Quare cum Libri huius doctrina & Catholica sit, & ad deprauatos extremorum horum temporum mores corrigendos apprimè necessaria, publica eum luce dignissimum censeo, vt qui ad regendas animas sunt vocati, sui muneris leges ac formam ab eo accipiant: pœnitentes veram vitæ emendationem non verbis tantum sed & factis Sacerdoti exhibendam esse doceantur: ipse denique ab vniuersa Ecclesia doctrinæ suæ vsu illius autoritate vbique constituto meritam laudem approbationemque consequatur. Datum Parisijs Prid. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

LEONORIVS DE LA BARDE.

R. D. Rullæi, Doctoris ac Socij Sorbonici, S. Bartholomæi in Parisiensi vrbe Pastoris.

LIBRVM DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico conscriptum legi, in eoque Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ fidei, bonisque moribus omnia planè congruere animaduerti. Stylus verborum nitore pariter & moderatione insignis; eruditio exquisita & operosa; doctrina Ecclesiæ antiquis moribus & praxi prorsus consentiens. Licentiam & vitia communionum æquo frequentiorum iure sic arguit & damnat, vt earum frequentiam laudet, quibus integritas, reuerentia, & religio operis sanctitati, ac Dei qui suscipitur maiestati conueniens insit. Eucharistiæ vel suscipiendæ, vel differendæ tempus non præfinit. Hoc enim statuere, quaque vel seueritate, vel clementiâ fideles accipi par sit, decernere, Ecclesiæ est. Caput autem rei vt probus adsit animæ rector, cuius eas dotes & notas profert, quæ mihi quidem (quis enim aliter possit?) inprimis probantur.

probantur. Ac ne cui dubia sit mea de doctrinæ illius veritate sententia, Approbationem hanc chirographo meo consignaui III. Non. August. A. S. M. DC. XLIII.

ROVLLÉ.

R. D. Burgosij, in S. Theologiæ Facultate Doctoris Parisiensis, insignis Ecclesiæ Virodunensis Canonici & Cantoris.

SI institutoribus vnquam & ducibus lapsi eguere, nunc certè vel maximè indigent. Eo enim calamitatis rectorum quorundam faciliorum ac sua quærentium molli & degeneri obsequentiâ ventum est, vt ad opem ferendam, eruditorum ac piorum omnium zelum exardescere oporteat. Vel vulnerum grauitas ægrorum cognitioni subducitur; vel si maximè illa nota sit, de remediorum, quibus sananda erant, veritate celantur. Pœnitentia vnicum reorum perfugium, iam vel ipsum nomen ægrè tuetur, & è Pœnitentiæ Sacramento in Confessionis Sacramentum abiit. Pœnitentes, vel confitentes potius à Sacerdote absolutionem velut creditores à debitore pecuniam exigunt; sententiam Sacerdos non iam vt iudex pronunciat, sed vt minister recitat & præco. Satisfactiones non minus voluntariæ atque arbitrariæ sunt, quàm peccata, fereque in futuram vitam vniuersæ retruduntur, quasi in præsentia nihil Deo debeatur. Hinc ad tremenda mysteria securè prosiliunt, augustissimique omnium Sacramenti sanctitate calcatâ in criminum omnium atrocissimum imprudentes incurrunt. Tanti mali labes iam peruagata nimium est, quàm vt ferri aut dissimulari sine piaculo possit; Ecclesiæque in Concilijs, Sanctorumque Patrum monimentis eam deplorantis gemitus æquiores ac veriores sunt, quam vt filiorum ipsius pectora misericordiâ quadam pietateque non commoueant. Legum suarum integritatem & sanctitatem à morum corruptelis seculique prauitatum contagione vindicet oportet: nec existimationis ipsius ratio patitur, vt non Theologorum saltem, Doctorumque suorum voce à vitijs illis se abhorrere, neque vllam ijs autoritatem tribuere profiteatur. Nec minus meâ quidem sententiâ eorum qui Ecclesiasticis honoribus funguntur, virtutis & officij est, vt in pœnitentiæ vsu, quem olim ita necessarium Ecclesia censuit, insigniter restituendo omnem operam ac studium conferant, & in multiplici abusu, qui nimiâ Presbyterorum indulgentiâ in Sacramentorum vel maxime necessariorum administrationem irrepsit, tollendo ac refutando, charitate & æquitate temperatam seueritatem adhibeant. Theologus quidem hic Doctor, verè nominis sui vir, ad eam rem perficiendam libro pariter & vitâ commodissimè viam sternit, & quidquid difficultatis ac moræ obijci posset, tantâ luce depellit, vt eam non ab ipso, sed à patre luminum proficisci satis appareat. Tot Conciliorum decreta opportunissimè intexta; tot Patrum testimonia summo delectu exprompta, summo iudicio adhibita; summâ fide & arte conuersa; tot Scripturæ oracula expressa & illustria; tot denique sanctorum etiam ætatis nostræ virorum exempla æquiores omnes ac præjudicijs liberas mentes ad doctrinæ

Ecclesiasticæ ab hoc Autore explanatæ veritatem agnoscendam facile compellant & cogant. Quorum Deus corda tetigerit, fructum illius capient, alij voluntariâ cœcitate excusationem sibi omnem eripient. Vtinam hos illi numero vincant. Ita voueo, & hunc Libri mihi probati calculum esse volo. Parisijs x v. Kal. Iul. A.S. M. DC. XLIII. I. BOVRGEOIS.

R. D. Floridi, Doctoris ac Socij Sorbonici, Virodunensis Ecclesiæ Canonici.

LIBRVM DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo, Doctore Sorbonico conscriptum, in quo omnia Fidei, Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, bonisque moribus consentiunt, publicâ luce dignum iudico. Quoniam vero Patrum & Ecclesiæ Doctorum præcepta, decreta Conciliorum, primorum Christianorum consuetudinem, ac sacræ Antiquitatis de Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis administrandis suscipiendisque sententiam perspicuè in primis distinctèque exponit (vt cum Petro Blesensi dicere queat: *Nihil de spiritu meo propheto, sed micas colligo quæ ceciderunt de mensa dominorum meorum*) ad tantorum luminum splendorem Christianos complures euigilaturos, oculosque aperturos spero, vt deplorandus tandem abusus tollatur, qui nunc inoleuit, plerisque idoneâ & necessariâ animi præparatione omissâ Sacramenta illa consuetudinis potius causâ temerè aut perfunctoriè, quàm considerato studio ex animo & vera voluntate frequentantibus. Ita semiplenæ confessiones, absolutiones præproperæ, vanæ satisfactiones, ac sacrilegæ communiones longè in posterum facessent. Animarum etiam præpositos singularem ex Libri huius lectione fructum percepturos speramus, si modo eum quietis animis, nec præjudicatarum opinionum fumo impeditis legant. Datum in Collegio Sorbonæ IV. Non. Iul. A.S. M. DC. XLIII. FLEVRY.

R. D. Nullij, Doctoris ac Socij Sorbonici, Ecclesiæ Bellouacensis Canonici & magni Pœnitentiarij.

SI quis fidelium veram Mysteriorum nostrorum notitiam assequi, atque in primis duorum grauissimorum Sacramentorum præstantiam, eorumque dignè suscipiendorum rationem exploratam penitusque perceptam habere cupiat, non alio mea quidem sententia, quam Libri huius subsidio voti compos cumulatius efficietur. Antiquæ enim Ecclesiæ super ea re morem & praxim, Sanctorum Patrum doctrinam, ac nonnullos abusus qui sensim obrepserunt, tanta eloquentiæ copia, ingenij vi, dexteritate, ac solertia demonstrat, vt hoc opus legentibus omnibus mirè probatum iri confidam. Me quidem eo perlecto sic affectum fateor, vt veritati deesse mihi viderer, nisi hunc animi sensum palam facerem, & vniuersæ illius doctrinæ suffragarer. Datum Parisijs VII. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII. I. DE NVLLY.

R. D. Thirementij S. Theologiæ Doctoris Parisiensis, ac Bellouacensis Ecclesiæ Canonici.

LIBRVM quem DE FREQVENTI COMMVNIONE D. Antonius Arnaldus S. Theol. Doctor Sorbonicus scripsit, diligentissimè euolui: in quo non tantùm omnia fidei legibus ac decretis penitus congruere, sed doctrinam etiam vbique solidam, veram, sanctam, ac piam spirare sunt visa, eamque Ecclesiæ non vtilem modo, sed plane necessariam, tum fidelibus ad germanam & sinceram Christianæ Religionis pietatem, quam in plerorumque animis vel extinctam prorsus, vel labefactatam ac fractam iacere experientiâ quotidianâ compertum est, reuocandis, tum magno onere leuandis adiuuandisque animarum rectoribus. Nihil in toto opere occurrit quod non omni ratione probatissimum habuerim Autoris verò tum ingenij, tum eruditionis, in illa argumentorum quibus vtitur varietate ac pondere, magnitudinem sum admiratus: arcano denique mentis instinctu hoc veritati testimonium dare compulsus sum, me dum librum hunc legerem ex animo vouisse, vt Deus sensa illius omnia & præcepta in omnium fidelium cordibus atque ante alios in me ipso pro sua benignitate insculperet. Neque enim meo iudicio, vel Christiano populo maior vlla salus, vel effusæ vndique morum corruptelæ præsentior medicina fieri potest, quam earum rerum vsu & praxi quæ hoc libro præscribuntur Quem iccirco Dei respicientis iam plebem suam & de peccatorum cœno eruere parantis singulari prouidentiâ nabum existimo. Ergo publicâ luce iterum iterumque meritissimò donandum censui. Quippe quem fidelis anima sine ingenti fructu & emolumento legere nequeat; atque hanc animi mei sententiam chirographo confirmaui. XI. Kal. Nou. A. S. M. DC. XLIII. THIREMENT.

R. D. Mazurij, Doctoris Sorbonici, Ecclesiæ S. Pauli Parisiensis Parochi.

EGO Presbyter, sacræ Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctor Sorbonicus, & Ecclesiæ S. Pauli Parisiensis Pastor, Librum DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo, Doctore pariter Sorbonico scriptum legisse me profiteor. Quem, quod doctrinam solidam ac verè Christianam vbique exhibeat, publicæ saluti vtilissimum & Ecclesiæ in primis necessarium censeo. Datum Parisijs VIII. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

MAZVRE.

R. D. Loiſelij, Doctoris ac Socij Sorbonici, Eccleſiæ S. Ioannis Pariſienſis Parochi.

LIBER DE FREQVENTI COMMVNIONE inſcriptus Communionis frequentiam minimè damnat. Inter rerum ſanctarum verum vſum & abuſionem rectum diſcrimen ſtatuit. Vt optimis, quibus refertus eſt, Chriſtianæ vitæ præceptis vana illa & adumbrata pietas in frequentandis Sacramentis hærens conuellitur: ita ſanctarum mentium purior religio comprobatur, quæ antequam myſteria adeant, ipſæ ſe probant, atque ab ijs interdum honoris causâ ſecedere, quàm inuerecundius plerumque accedere ſatius arbitrantur. Graui morbo grauius parandum erat remedium. Vocibus de ſacro ſuggeſtu circumſonantibus eruditi ſtyli ſubſidium adjungi oportebat, qui celeritate efficacitateque ſcribendi quis diuini illius panis vitam aut mortem accipientibus afferentis rectus ſit vſus aperiret. Quare & operi & autori ſumma omnia opto & voueo, quem nihil ſcripſiſſe reperi, quod fidei Catholicæ, doctrinæ SS. Patrum, & antiquis Eccleſiæ moribus non prorſus conſentiat. Legendum ergo & euoluendum eò ſtudioſius profiteor, quod exploratum habeo plurimum adjumenti ad dijudicandum corpus Domini omnibus allaturum. Ita teſtor v. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

LOISEL.

R. D. du Bourg-l'Abbé S. Theologiæ Doctoris Sorbonici.

LIBRI DE FREQVENTI COMMVNIONE à D. Antonio Arnaldo, Doctore Sorbonico editi laudem qui taceat, iniuſtitiæ; doctrinam qui improbet, proditæ veritatis meritò arguatur. Boni eum ad vnum omnes intimis ſenſibus probant: periti animarum rectores mente ſimul & ore prædicant: Chriſtum non ſua quærentes quique manantem ex eo fructum laude & gratulatione proſequuntur. Autoris conſilium pium in primis, argumenta validiſſima, ſententiæ graues, ſermo præclarus, omnia planè chriſtiana, planè Catholica. Datum III. Id. Ian. A. S. M. DC. XLIV.

E. DV BOVRG-L'ABBE'.

R. D. Triſtani, Doctoris ac Socij Sorbonici, Eccleſiæ Bellouacenſis Canonici & Archidiaconi.

HIC Liber DE FREQVENTI COMMVNIONE probum ſimul & vitioſum illius vſum, pœnitentiamque fidelibus violatæ Baptiſmi gratiæ reis neceſſariam demonſtrat. Doctrinæ illius capita prorſus Catholica, nec SS. Patrum de illis ſententias ſuauius aut fidelius facile quiſquam exponat. Qui eas ex fontibus ipſis hauſerint, hoc mecum continuò agnoſcent. Qui vero cœli viam ingredi, vel alios in eam deducere ex animo ſtudeat, doctri-

nam eius non bonis duntaxat moribus consentaneam, sed fructuosam, faustam, efficacemque fatebitur. Vt approbationem illi commendationemque adijcerem vix adductus sum, quod eam suâ sponte fronti velut inustam gerat, quod plus fidei & laudis habeat ipse per se, quàm aliundè mutuari possit, nec alio egeat testimonio, quàm quod ei sana mens purumque Christiani cuiusuis pectus, qui ad eum legendum animo à præjudicijs, corde à peruicacia vacuo accesserit, suopte nutu largietur. Datum Bellouaci VI. Id. Iul. A. S. M. DC. XLIII. CL. TRISTAN.

R. D. Fougæi Descurÿ, Doctoris ac Socÿ Sorbonici, & Carnotensis Ecclesiæ Canonici.

ANTIQVVM illum Ecclesiæ nascentis ardorem si quis in pretio habeat, doctrinæque illius decreta probet, abesse non poterit, quin huius DE FREQVENTI COMMVNIONE Libri institutioni meritam laudem impertiat. In legentium animos diuinum illum quo primarij fideles flagrabant, quique in salutari Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentorum vsu potissimùm splendescebat, ignem immittit. Sacram Antiquitatem graphicè exprimit ac repræsentat; Conciliorum ac SS. Patrum testimonia perspicuè exponit; eorumque verba tantâ fide interpretatur; vt pateat eadem vi quâ diuina illa Christianæ veritatis oracula ipsi fuderunt, mentem Autoris huius manumque impulsam, vt eorum orationi sub alienæ linguæ quasi cultu natiuam ac primigeniam dignitatem & vigorem incolumem integrumque præstaret. Siue ergo materiæ grauitatem, siue artificis industriam, hoc est, styli copiam & venustatem, disserendique rationem spectem, facere non possum, quin veritatis conscientiâ ductus tester ac profitear, Autorem excitatum à Deo, tantisque instructum dotibus videri, vt varios, qui in diuinissimorum illorum Sacramentorum administrationem incubuere, abusus fortius eruat, & ab illis temerè indignèque accipiendis maiore quadam religione & grauissimi sacrilegij iusto horrore deterreat. Quocirca publicâ approbatione dignissimum opus haberi necesse est, cum fidelium omnium commodis & saluti consulat, innocentes in sancta frequentandæ Communionis consuetudine confirmet, alienos à pœnitentia & impios propositis criminosæ ignauiæ, quæ cœlestem illum panem aspernetur, supplicijs concutiat, reosque ac pœnitentes sic à mensâ Sanctorum auocet, vt ijs ad veram illius recipiendæ viam facem præferat. Ita censeo. Datum Carnuti Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII. E. FOVGEV.

R. D. Mangleni, Bellouacensis Ecclesiæ Canonici.

HIC DE FREQVENTI COMMVNIONE liber scientiam Sanctorum sanctius edisserit, quàm vt vulgarium approbationum subsidijs egeat. Publicam & communem omnium quibus Dei gloria & Ecclesiæ sa-

lus cordi sunt, laudem & prædicationem meretur. Atque vt hos Christi charitas lugere compellit peruersi sæculi labem, vbi hominum inter prophanam Sacramentorum frequentationem eadem crimina identidem redintegrantium, perpetui lapsus plerosque adduxisse videntur, vt non minus pœnitentia ipsius quàm peccatorum pœnitentiam agere concessum, criminaque criminum ac sacrilegiorum multitudine posse deleri existiment: ita eadem charitas diuinæ prouidentiæ benignitatem agnoscere iubet, quæ tam firmum ac præstantem antiquæ pietati defensorem pararit, cuius eruditio singularis summo animarum zelo coniuncta extremorum horum temporum inscitiæ ac prauitati validum sufflamen objciet. Salutarem enim germanæ pietatis formulam eo orationis pondere & copiâ statuit ac definit, vt magna spes sit fore, vt christianæ veritatis tanta vis ac splendor fidelium illustres mentes & corda permoueat, atque ita à iusto Christi corporis & sanguinis per indignas communiones violandi metu sapientiæ ducentes initia, res sanctas dijudicare, seque ipsos Dei iudiciorum effugiendorum causâ probare ac iudicare condiscant. Datum Bellouaci VIII. Id. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

MANGVELEN.

R. D. de Beauharnois S. Theologiæ Doctoris Sorbonici.

DE operis huius, quod DE FREQVENTI COMMVNIONE inscribitur, veritate ac firmitate dubitare nemo potest, nisi qui duo ipsa fundamenta quibus stat omnis Christiana Religio in dubium reuocet. Vnum, fidei normam, traditione: alterum, traditionem, SS. Patrum, & Conciliorum monumentis contineri. His enim geminis fundamentis vniuersa nititur doctrina libri huius, quæ proinde hominum commendationem non requirit, cum diuina autoritate fulciatur: vt qui firmam eam in perpetuum & inconcussam fore dixerit, nihil vtique nisi petram in qua Christi Ecclesia fundata est moueri ac concuti non posse dicere videatur. Quare non immeritò hic autor verus Theologus haberi hoc in genere debet, cum nihil non acceptum à Patribus tradiderit, & qui pœnitentiæ arcana, præcipuosque eius nodos ac difficultates tam perspicuè simul ac solidè dissoluerit, adhuc in Gallijs inuentus sit nemo. Atque vtinam qui de rebus Theologicis aliquid in posterum elucubraturi sunt, opus istud quasi formam intueantur, & cum autore hoc cœlestium illorum Doctorum discipuli esse contendant, vt aliorum magistri esse possint, diuinarumque rerum præstantiam maiorum traditione, non ingeniorum cogitationumque suarum momentis expendentes, fidelium animis quos antiqua veritate ac publica Ecclesiæ doctrina pascere debuerant, nouarum ac priuatarum opinionum tenebras non offundant. Datum Aureliæ XIV. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

M. DE BEAVHARNOIS.

R. D. Maleudi S. Theologiæ Doctoris Parisiensis, Paræciæ S. Michaelis Ambianensis Pastoris.

VT nihil in Ecclesia luctuosius quam diuinissima Christi mysteria tot improborum Christianorum prauitate assiduè dedecorari & pollui: ita eorum qui ad hanc labem depellendam animum suum eruditionemque conferunt, zelus ac pietas prædicari pro merito non potest. Quod quidem libri huius DE FREQVENTI COMMVNIONE Autor tanta vi simul ac prudentia exequitur, & quæ in Sacramentorum administratione vel fuerit olim, vel nunc etiam sit Ecclesiæ mens ac sententia, tam liquidò aperit, vt muneri mihi à Deo credito deesse me arbitrarer, nisi præclaro eius studio & consilio gratulatus, quanti adeo eximium opus ab omnibus fieri debeat, publicè testatum relinquerem. Datum Ambiani XV. Kal. Aug. A. S. M. DC. XLIII.

I. MALEVDE.

R. D. de l'Isle-Mariuault, S. Theologiæ Doctoris Parisiensis.

POST tot summorum virorum, quos amplissima in Ecclesia dignitas ac pietati iuncta eruditio supra vulgarium Doctorum gradum euehit, illustria testimonia, quid huic libro DE FREQVENTI COMMVNIONE adijci à me honoris potest, nisi vt in illo summa cum delectatione perlecto, nedum vt Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ decretis alienum quicquam offenderim, hoc ei testimonium ex animo à me deberi profitear: Agnoscere me ac toto pectore venerari in tam excellenti lucubratione misericordem Dei prouidentiam, quæ autoris profectò mentem rexerit, & manum, vt his calamitosissimis temporibus, quibus peccatorum numerus immaniter augetur, dum pœnitentium minuitur, antiquum veræ pœnitentiæ sensum aperiret. Omnino enim ea libri huius vis est, vt non modò piorum ac fidelium animis congruentem sanctissimo Eucharistiæ Sacramento honorem ac reuerentiam ingeneret; sed & contumacissimi cuiusque & in flagitijs obdurati pectus veræ ac seriæ pœnitentiæ legibus subijciat. Cuius quidem iam fructum pene omnem amisimus, atque (vt verbo dicam) ipsa vestigia tum obstinata lapsorum peruicacia, tum molli ac degeneri Presbyterorum indulgentia, propemodum deleta lugemus. Ita ex animo sentio. Parisijs x. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

DE L'ISLE-MARIVAVLT.

R. D. Sarazini S. Theologiæ Doctoris Parisiensis.

CVM Ecclesiæ corpori pœnitentia remedium, Eucharistia pabulum sit, videndum in primis, vt neque adulteretur illa, neque hæc polluatur & impietur. Libri huius DE FREQVENTI COMMVNIONE Autor, insignem in vtramque partem operam nauauit. Antiquæ pœnitentiæ ab eo

propositæ vigor nostræ mollitiem ignauiamque coarguit. Dum eam ad peccatorum maculas eluendas, atque ad animos Eucharistiæ parandos aptandosque refert, tanti mysterij veritatem ab hostium oppugnatione, pium religiosumque illius vsum à profanorum audacia vindicat. Ita hoc opus & eruditorum approbatione & populorum fide dignissimum videri necesse est, quod nihil nisi ipsissimam Christianorum seculorum omnium doctrinam, certissima Ecclesiæ oracula, Sanctorumque Doctorum mentem ac sensus exhibeat. Mihi quidem eius lectionem admirationi simul & voluptati fuisse fateor : atque vt veritati honorem debitum, omnibus vtilitatis quæ ex eo percipi queat indicium ac testimonium præbeam, autoris fidem sinceram, zelum scientiâ temperatum, sermonem gratiæ sale conditum, doctrinam denique non ipsius, sed Sanctorum esse confirmo. Datum Parisijs Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII. P. SARAZIN.

R. D. Guilleberti S. Theologiæ Doctoris ac Socij Sorbonici.

DOCTRINAM suam, non suam, sed Patris esse in Euangelio asserit Christus. Libri huius DE FREQVENTI COMMVNIONE Autori doctrinam item suam, non suam, sed Christi esse asserere licet, cum nihil non è perpetuæ Traditionis quâ Christi Spiritus & scientia continetur, monumentis haustum proferat. Quod si hæreticorum commenta omnia falsa erroneaque habemus, propterea quod ab immobili æternaque illa veritatis via discesserint, in id ipsum quo eos premimus crimen incurrere mihi viderer, nisi Sanctissima, summeque Catholica eximij Libri huius, qui diuini illius fontis limpidissimus riuus est, dogmata toto pectore amplecterer. Illud optandum superest, vt Deus illi benignitatis gratiæque suæ vim adijciat, magis etiam corda afficiat quam mentes, & eorum quæ docet ac præcipit amorem instillet : non enim remediorum notitia sed vsus salutem parit. Rouuillæ XIV. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII.

GVILLEBERT.

R. D. Greneti S. Theologiæ Doctoris ac Socij Sorbonici, Paroeciæ S. Benedicti Parisiensis Pastoris.

LIBRORVM ac nummorum eadem propemodum ratio est. Vt enim hi potiores quorum minor materia, pretium maius : ita fructuosiores illi qui paucioribus verbis vberiorem doctrinam exhibent. Hæc Libri DE FREQVENTI COMMVNIONE verissima laus. Cum enim alibi multiloquio implicata veritas plerumque obscuretur, hîc orationis breuitate tam solidè ea stabilitur, materiæ sanctitas tam grauiter deducitur, antiquitas sacra tam perspicuè euoluitur, vt pristina Ecclesiæ facies velut in punctum collecta legentibus appareat. Ex quo facilè intelligas, quàm longè abierimus à pristino illo in frequentandis Eucharistiæ mysterijs ardore, quo fidelium animi agebantur,

bantur, priusquam consuetudinis cuiusdam repentinæ quæ paucis abhinc annis omnia in contemptum adduxit, mollities & socordia sinceram patrum nostrorum pietatem expugnasset, ac de vltimarum illarum ætatum feruentiore zelo, disciplinæ nimia indulgentia vel dissolutæ vel deprauatæ labes quasi triumphum egisset. Quare cum hoc opus, quantum Dei gratiæ munere assequi possum, purissimæ primorum Christianorum in sacram Eucharistiam pietatis diligentiæque singularis qua sese ad illam fruendam seurioris pœnitentiæ contentione formabant, viuam expressamque imaginem habeat, non modò omnia in eo fidei orthodoxæ ac bonis moribus vndequaque consentiunt, sed & eximiæ summæque eruditioni adjunctam verissimam pietatem, accuratissimamque religionem repræsentant, vel eo nomine ab omni suspicione alienam, quod è scripturis sacris, SS. Patribus, Concilijs, atque antiqua Ecclesiæ disciplina omni ex parte deprompta est. Quod si nonnullos huius ætatis abusus perstringit, hoc vnum spectat, vt doctrinam corruptam vindicet, disciplinam dilapsam restituat, pietatem postquam fide temporum fides Euangeliorum depressa est, debilitatem fractamque confirmet. Sic Euangelica doctrina nimium iam infucata libri huius ope natiuo colore splendescens, & pietati pristinum decus, & disciplinæ integritatem obseruationemque pleniorem restituet. Ego quidem sancta hac & cœlesti doctrina reuerenter iuxta & accuratè sanctuarij ponderibus examinata, veritatem inuerecundius in iniustitia detinerem, nisi muneris mihi à Deo crediti ratione adductus, hoc ei apud populum mihi commissum testimonium darem, non tam deformem peruersis fidelium moribus Ecclesiæ faciem, nec tantam animorum in peccatis miserrimè obdurescentium contumaciam, non tantam denique labentium identidem ac relabentium mortalium frequentiam fore, si tradita hoc libro doctrina & disciplina piè religioseque coleretur. Non ita palam atque impunè pœnitentia contemptui, Eucharistia ludibrio esset. Postremò, Sacramenta Dei nec tam contumeliosè acciperentur à fidelibus, nec tam indignè administrarentur ab ijs, qui cum turbidos vitiosæ consuetudinis riuulos consectari soleant, ne ipsos quidem fontes puriores vnquam fuisse possunt suspicari. Quæ omnia libri huius non minus ad Dei gloriam illustris, quàm ad fidelium institutionem necessarij lectio tam dilucida efficiet, vt meam hanc de illo opinionem ac sententiam & operis dignitate, & autoris merito longè inferiorem esse quiuis facilè agnoscat. Parisijs VIII. Kal. Iul. A. S. M. DC. XLIII. GRENET.

R. D. Duhamelij S. Theologiæ Doctoris ac Socij Sorbonici, tunc Parœciæ S. Mauricij, nunc verò S. Mederici Parisiensis Pastoris.

LIBRVM DE FREQVENTI COMMVNIONE perlegi, nec vulgari approbatione sed singulari laude vndique dignum censui. Sermonis in eo magna dignitas, disserendi vis præcipua, argumentorum ineluctabilis firmitas, sensuum ratio prorsus Euangelica, doctrina vsquequaque cœlestis.

Vitæ institutio in eo descripta non humani ingenij commentum, sed disciplina est sancta, quam Spiritus sanctus in Ecclesia fixit, Apostoli & SS. Patres castè inuiolateque seruarunt. Ac pios quidem omnes de hoc opere ita censuros confido : me vero præter cæteros testimonium hoc veritati tribuere priuata quædam ratio compellit, quod experientiâ non longissimâ illâ quidem, sed tamen idoneâ, docere me dignatus est Deus, vix aliam esse eorum qui à Deo discesserint in viam reducendorum veram certamque rationem ; multo leuiores quam quidam putent in ea tenenda exequendaque subesse difficultates; majorique longe ad eam rem impedimento esse segnitiem nostram ac desidiam, quàm populorum auersationem, qui saluti suæ non vsque adeo sunt infesti, vt si modo rectè instituantur, fallaci perniciemque adducenti clementiæ salutarem seueritatem non facilè anteponant. Datum in nostro Mauritiano XXIII. Kal. Apr. A. S. M. DC. XLIII. HENRICVS DV HAMEL.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis au Sieur Arnaud, Prestre, Docteur de Sorbonne, de faire imprimer, vendre, & debiter par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra, vn Liure intitulé. DE LA FREQVENTE COMMVNION. Et defenses sont faites à tous Marchands, Libraires, Imprimeurs, & autres, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, ny debiter ledit Liure, en quelque sorte & maniere que ce soit, sinon du consentement dudit Sieur Arnauld : Et ce durant le temps de vingt ans entiers, à peine de quinze cens liures d'amande, & de confiscation de tous les exemplaires, comme il est plus amplement porté par ledit Priuilege. Donné à Paris, le 29. May 1643. Signé par sa Majesté en son Conseil, LE COQ. Et seellé.

Ledit Sieur Arnauld a transporté son droit de Priuilege à Antoine Vitré, Imprimeur ordinaire du Roy, de la Reyne Regente, & du Clergé de France, pour en joüir par luy le temps y porté, ce 22. Aoust, 1643.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

In Præfatione.

Pagina 27. linea 7. ſtatuat, *lege*, ſtatuit. p. 40. lin. 17. participant, *l.* participat. p. 54. lin. 3. quo, *l.* quod. p. 106. lin. antep. ſplendorem, *l.* ſplendore.

In Libro.

P. 4. lin. 9. oportere, *l.* debere. p. 38. l. 26. tuis ſimillimos, *l.* tui ſimillimos. p. 39. l. 13. hac, *l.* quâ. p. 40. l. 10. fornicationi, *l.* fornicatione. p. 43. l. 18. baptiſmis, *l.* baptiſmi. p. 45. l. 15. vllum eſſe, *l.* vllum eſt. p. 52. l. 16. præcipuè, *l.* perſpicuè. p. 57. l. 4. rationem, *l.* recenſionem. p. 73. l. antep. & p. 84. l. 2. quoquo, *l.* quoque. p. 94. l. 12. docuit, *l.* decuit. p. 95. l. 11. dies diuinâ, *l.* dies ad montem Dei diuinâ. p. 97. l. 8. capere, *l.* cupere. p. 98. l. 4. fidelibus, *l.* ſororibus. p. 99. l. 5. ei qui, *l.* qui ei. p. 118. l. 16. inſtruere, *l.* inſtituere. p. 119. l. 9. auditores, *l.* auditorem. p. 123. l. 9. maximè, & hoc, *l* maximè, hoc. p. 129. l. 2. iniuria, *l.* incuria. p. 137. l. 17. tuæ, *l.* tua. p. 141. l. 3. de mortali, *l.* mortali. p. 146. l. vlt. ſoloque, *l.* in ſolo. p. 149. l. 13. admiſiſſet, *l.* admiſiſſent. p. 159. l. 6. facta, *l.* factam. p. 162 l. 2 quod, *l.* quam. p. 164. l. 25. manſuetudinis, *l* manſuetudine. p. 171. l. 3. addita, *l.* addicta. p. 172. l. 15. cognoſcet, *l.* cognoſceret. p. 173. l. penult. in modici, *l.* immodici. p. 177. l. 21. labe, *l* labore. p. 188. l. 23. quaſi, *l.* quali. p. 196. l. 20. demonſtrauimus, *l.* demonſtrabimus. p. 197. l. 1. adhibendæ, *l.* adhibenda. p. 202. l. 21. blaſphemiæ, *l.* blaſphemias. p. 232. l. 18. mortalia, *l.* moralia. p. 238. l. 22. eorum, *l.* erunt. p. 254. l. 2. ſiue, *l.* ſine. p. 256. l. 26. neceſſarium inſulſiſſima, *l.* neceſſarium. Inſulſiſſima. p. 257. in marg l. 21. Ambros, l. 1. *l.* Ambros l. 2. p. 269. l. 12. Eccleſia, *l.* Eccleſiæ. p. 278. l. 21. Si quò, *l.* Si quomodo. Ibid. in marg. *lege*, Clerus Rom. Ep. 3. ad Clerum Carth. p. 302. l. 24. iudicia, *l.* indicia. p. 309. l. 7. cerimonia, *l.* ceremonia. Ibid. l. 18. trahuntur, *l.* trahantur. p. 316. l. 12. commentationibus, *l.* commendationibus. p. 327. l. 9. cauendum, *l.* cauendus. p. 332. l. 13. inſcititia. *l.* inſcitia. p. 336. l. 4. eum, *l.* cum. p. 363. l. penult. ſententiæ, *l.* ſententia. p. 366. l. 18. quoad, *l.* quo ad ea p. 368. l. 27. exitium, *l.* exitum. p. 373. tit. Eccleſia, *l.* Eccleſiam. p. 398. l. antep. pœnitentium, *l.* pœnitentiam. p. 404. l. 20. latebras, *l.* latebris. p. 405. l. 26. peccati, *l.* peccatis. p. 415. l. 4. actionem dent, *l.* actionem pœnitentiæ dent. p. 425. l. 26. ſeruare, *l.* ſeruari. p. 447. l. 15. hæc, *l.* hæ. p. 448. l. 13. plerique, *l.* pleriſque. p. 453. l. pen. eſt, *l.* eſſe. p. 477. l. 6. duritiæ, *l.* duritie. p. 490. l. 20. delictis, *l.* dilectis. p. 497. l. 12. idoneas, *l.* idoneæ. p. 510. l. 20. ſingularis, *l.* ſingulari. p. 512. l. 24. peccatorum, *l.* de peccatorum. p. 537. l. antep. extinctam, *l.* extinctum. p. 570. l. 4. particeps, *l.* participes.



INDEX CAPITVM.

PARS PRIMA.

IN QVA LOCORVM SCRIPTVRÆ Sacræ, & Sanctorum Patrum in Commentario isto ad astruendam Communionis frequentiam prolatorum vera sententia exquiritur. De virtutibus probo animæ Moderatori necessarijs ad constituenda Communionis tempora. Num quosuis promiscuè homines ad Communionem intra octauum quemque diem impellere oporteat. Quidnam frequenti Communioni venialia peccata officiant.

X iij



PARS ALTERA.

IN QVA EXCVTITVR HÆC QVÆSTIO,

An præstet, atque Animarum saluti expediat, homines peccatorum mortalium conscios, mox à Confessione ad Communionem se conferre, an tempus aliquod spatiumque sumere, quo priusquam sacris se sistant altaribus, peccatorum maculis pœnitentia diluendis incumbant.



PARS TERTIA.

DE INTERIORIBVS ALIIS QVIBVSDAM ad Communionem fructuosè obeundam adjumentis. An quisque quamuis se tepidum, torpentem, à diuinarum rerum studio & gustu remotum, gratiæ diuinæ inanem, sui ipsius amore plenum, ac seculo immaniter addictum sentiat, ad Eucharistiam tamen intrepidè accedere debeat, vt Aduersarius autor est. An dilatio Communionis ad eam sanctius & religiosius percipiendam vsui esse non possit.

Indicis Capitum Finis.



DE FREQVENTI COMMVNIONE, ADVERSVS COMMENTARIVM,

cui titulus: *Quæstio, Vtrum præstet sacra Communione frequentiùs vti, an rariùs.*

PARS PRIMA.

IN QVA LOCORVM SCRIPTVRÆ Sacræ, & Sanctorum Patrum in Commentario isto ad astruendam Communionis frequentiam prolatorum vera sententia exquiritur. De virtutibus probo animæ Moderatori necessariis ad constituenda Communionis tempora. Num quosuis promiscuè homines ad Communionem intra octauum quemque diem impellere oporteat. Quidnam frequenti Communioni venialia peccata officiant.

CAPVT PRIMVM.

RECTISSIME POSITVM A QVAESTIONIS autore, nullam esse potiorem certiorémque regulam, quam vt ad omnia Antiquitatis autoritatem, Sanctorum Traditionem, veteres Ecclesiæ mores audiamus ac teneamus.

Aduersarius.

NVlla est certior regula, quâque facilius vel in hac re, vel in aliis omnibus errorem effugere possimus, quam si studiosè attendamus, quid Antiquitati, Sanctorum Traditionibus, & priscis Ecclesiæ moribus atque institutis conueniat. Hæc regula deprompta est ex prima Epistola S. Ioannis cap. 2.

RESPONSIO.

RIMA hæc ſententia cui veluti fundamento vniuerſam orationem tuam ſuperſtruere cupis, adeò ſolida, ſanctáque eſt, vt ego me Catholicum non deputem, niſi eam toto pectore complectar & præcipua quadam animi religione accipiam atque audiam tuas illas voces, *Nullam eſſe certiorem regulam, quâque facilius vel in hac re, vel in alijs omnibus errorem effugere poßimus, quam ſi ſtudioſè attendamus, quid Antiquitati, Sanctorum Traditionibus, & priſcis Eccleſiæ moribus atque inſtitutis conueniat.*

Quid enim tandem eſt vnde exploratum eſſe poſſit, mentem noſtram quæ ſuapte natura erroribus ac tenebris vndique circumfuſa eſt, in animarum dirigendarum ratione non aberrare, niſi ſeſe ad lumen illud applicuerit, quod à Chriſto Eccleſiæ collatum perpetua eiuſdem Eccleſiæ Traditione continetur.

Si enim ipſe Dei Filius ab æterno Patre ad docendum atque illuminandum orbem miſſus, nihil aliud dixit quam quod ab æterno Patre audiuit, vt ipſe de ſe in Euangelio teſtis eſt: Si Spiritus Sanctus à Filio poſtmodum miſſus, nihil aliud quam quod ab ipſo audiuit eſt locutus, vt idem Filius de ipſo teſtatus eſt: Si Apoſtoli in omnem terram à Spiritu ſancto miſſi nihil aliud docuerunt quam quod ab ipſo didicerunt: Si Epiſcopi denique & Sancti Patres ab Apoſtolis miſſi, nihil aliud tradiderunt aliis

quàm quod ſibi ab Apoſtolis traditum fuerat: abſurdum omninò ſit, vt tute meritò exiſtimas, nos imperitos ac cœcutientes homunculos rerum diuinarum inſtitutiones quas à nobis fideles expetunt, ad propriæ mentis nutum arbitriumque comminiſci, aliaſque eis doctrinæ ac pietatis Chriſtianæ leges ac regulas imponere, quàm quas à Sanctis Patribus quaſi manu traditas per tot ætatum decurſus Eccleſia accepit, ſicut eas Patrum antiquiſſimi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus à Filio, Filius à Patre acceperat.

Noli enim exiſtimare, ita me Eccleſiaſticæ doctrinæ rudem eſſe & imperitum, vt tuam excellentem iſtam regulam, ſolis fidei ac dogmatum finibus circumſcribere velim. Agnoſco tecum eam ad omnia virtutis & pietatis Chriſtianæ officia, in quibus eſt quæſtio quam tractas, pertinere, atque in omnibus & vbique, vt ais, tenendam eſſe, hoc eſt, in cunctis fidei ac morum præceptionibus obſeruandam.

Et vero quis tandem Catholicus à te hac in re diſſentiat? Quis diuinæ Traditionis autoritate fidem dirigendam, non mores exiſtimet? Quis Patrum doctrinæ approbationem nobis imperatam, vitæ autem inſtitutorumque imitationem vetitam eſſe arbitretur? Quis ne ab iis quæ docuerunt diſcedamus interdictum putet; vt autem ſalutis vias iis quas ingreſſi ſunt vel diſſimiles, vel etiam contrarias exquiramus, conceſſum? Poſtremò quis improbè dici fateatur, *Fidem temporum & non Euange-*

liorum: probè autem dici, *Mores temporum & non Euangeliorum*, contendat?

Gregor. l. 30. Moral. c. 7. Certe quidem Sancti Patres declarant, atque in primis Gregorius Magnus in libris Moralium virtutem, pietatemque Christianam, non minus quam doctrinam & fidem in Apostolica successione fultam fundatamque esse oportere; adeoque *Episcopos etsi subsequentium populorum Patres sint, præcedentium tamen Patrum se filios meminisse oportere.* Quod etiam

Greg. Pastor. part. 2. c. 2. Et Epist. l. 1. Epist. 24. in libro de Cura Pastorali post Moralium Opus scripto ab eodem confirmatur, vbi notat, *in Sacerdotis magni Rationali vigilanter adjungi, vt duodecim Patriarcharum nomina describantur. Ascriptos etenim Patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc Sacerdos* IRREPREHENSIBILITER *graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat.*

Hæ sunt partes, Magno Gregorio autore, hoc officium Pastoris Euangelici, fidelisque animarum ductoris. Hæc regiminis administrationisque ipsius forma: hæc via quâ sibi & ab hominibus laudem & à Deo præmium paret. Hoc præsidio & ab imperitorum conatibus tutus est, & ad obtrectatorum calumnias septus, & eruditis ac piis iudicibus semper insons, culpâque omni ac reprehensione superior.

Adrian. II. in libello per legatos lecto in Synod. 8. act. 1. Hanc eandem legem fidelibus omnibus præscribit Summus Pontifex Adrianus II. *Prima salus*, inquit, *est, rectæ fidei regulam custodire, deinde à*

constitutis Dei & Patrum nullatenus deuiare, vnum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum. Sicut enim scriptum est, Sine fide impossibile est placere Deo, sic rursus legitur, Fides sine operibus mortua est.

Quid vero splendidis illis vnius è Galliæ nostræ Conciliis vocibus addi potest, quibus declarat, *Obseruandum nobis magnoperè esse ante omnia & super omnia, vti mandatum Dei & non nostras Traditiones populo obseruandas tradamus: & nihil nisi Scripturarum diuinarum auctoritate fultum statuamus agendum, nihilque de cordibus nostris, nihil extra præceptum Domini & Sanctorum Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumamus.* *Concil. Lemouic. ex M.S. Bibliothecæ Thuanæ.*

Si igitur ita Patres, ita Concilia loquuntur, nos homunciones tantum audaciæ assumemus, vt sacras Christianæ pietatis leges, tot Sanctorum monumentis factisque traditas pro nihilo habeamus, tutiusque arbitremur vias quasdam nouas, priscis illis veræ virtutis magistris plane ignotas insistere, quam antiquum iter persequi, quod eos ad cœlestem patriam felicitatemque perduxit.

Hoc vero tu quidem merito non ferendum censes: quippe cum ab ipso Christianæ Religionis sensu ita alienum sit, vt præclarus alius Pontifex scribat, non minus coercendos qui Sanctorum Patrum decreta de moribus conuellant, quam qui eorum fidem expugnent. Hoc enim iudicium fuit Gregorij VII. in Apologia quam pro Concilio Romæ à se habito edendam curauit. *Quamuis, inquit, modo quidam non tam apertè cum Ario & reliquis Hæresiarchis* *In Apologia Decretorum Gregorij VII.*

fidem Sanctorum Patrum impugnent, tamen eorum moralibus statutis cum ipsa quidem fide per eosdem Sanctos Patres eodem tempore, eadem subscriptione roboratis obstinatè resistunt, quæ & cum eadem fide ex sacratissimo fonte scripturarum emanauerunt. Sed & in eorum nefandissima rebellione, etiam ipsam fidem Sanctorum Patrum probantur annullare, cum in authenticis sanctionibus autoritatem illorum pro nihilo ducunt, qui & fidem sua autoritate confirmauerunt. Nullatenus sanè alicui fides Sanctorum Patrum proderit, qui eorum Canonicis atque Moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit. Nam, vt Iacobus frater Domini testatur, Fides sine operibus mortua est, qualem & Dæmones habere fatetur. Non ergo minus est resistendum pertinacibus authenticarum institutionum impugnatoribus, quam sacræ fidei violatoribus, cum & Dæmonibus assimilentur, quicumque institutionem Sanctorum Patrum in fide tantum, & non etiam in conuersatione pro viribus assectantur.

Quod si trium clarissimorum Pontificum, cæterorumque Patrum autoritas abundè est, ad constabiliendam tuam illam certissimam constantissimamque regulam; ipsum quod attulisti Scripturæ ac Sancti Spiritus oraculum satis valere possit ad eos comprimendos qui illam non vt par est, colere ac venerari velint.

Ioan.2.v.24. Cum enim B. Ioannes verbis à te descriptis Christianis omnibus præcipiat vt in eo quod ab initio audierunt, firmi permaneant, quò & ipsi in Patre & Pater in ipsis maneat: nonne Dei ipsius vocem aspernari videbitur, qui tanti Apostoli, vel potius

qui communem Apoſtolorum Prophetarumque omnium vocem repudiet, qui in Veteri paſſim ac Nouo Teſtamento nihil ſeuerius ſanciunt, quam ne ab antiquis viis recedamus, tranſcenſiſque Patrum limitibus patiamur nos doctrinis variis & peregrinis abduci ac prophanis vocum nouitatibus captari.

Itaque ex altera quidem parte hoc aſſecutus es, vt fundamentum diſputationis tuæ ieceris prorſus inuictum atque inconcuſſum: vt nemo te niſi armis impugnare tuis, nemo de tuis concluſionibus niſi ex principij à te poſiti veritate exiſtimare queat. Ex altera vero valde metuendum tibi eſt, ne diuino illi fundamento, non aurum, argentum, lapides pretioſos, ſed ligna, fœnum ac ſtipulam ſuperſtruxeris, ſicque Dei Verbum quod Scripturæ ſacræ *ignem* vocant, totam ædificij tui molem in cinerem Hierem. 32.
fumumque diſſoluat. Valde, inquam, metuendum tibi, ne tela quæ in alios torſiſti in teipſum redeant, ne doctrina tua eius potiſſimum veritatis quâ eam ſtabiliendam ſperaſti, firmitate labefactetur; tremendaque illa ex Euangelio voce te Chriſtus ipſe percutiat, *Ex ore tuo te iudico.* Hoc nempe Reſponſione mea demonſtraturum me tibi confido, teque ipſum vltro id agniturum, ſi modo minus apud te valeat priuatæ opinionis defendendæ cupiditas, quam ſtudium percipiendæ veritatis. *Quando animoſitatem quâ teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere quâ vinceris.* August. l. 6. contra Iulian. c. vlt.

Capvt II.

Qva ratione freqventem primorum Christianorum Communionem imitari oporteat.

Aduersarius.

Videamus ergo quis olim Communionis vsus in Ecclesia fuerit, quidque nobis à Sanctis Patribus de illa traditum sit.

Responsio.



Rem explicare meditaris longè intellectu dignissimam. Sed quoniam orationis perturbatio non minus ad occultandum errorem quam distinctio ad illustrandam veritatem facit, vt in ea ad quam nos vocas quæstione ordine progrediamur, considerandum ante omnia est, quod vniuersi Patres docuere, Ecclesiam ex duplici hominum genere constare, *Innocentium & Peccatorum*, hoc est illorum qui baptismi gratiam incolumem, inuiolatamque tenuerunt, & eorum qui eandem lethali aliquo peccato violarunt & extinxerunt.

Ex huius distinctionis, diuersæque in duo ista hominum genera disciplinæ ignoratione (pace tua dixerim) omnes argumentationum tuarum errores prodierunt. Vniuersa enim ista testimoniorum congeries, quorum fontes ipsos, vt æstimare facile est, nunquam fortassis adiisti, nihil aliud demonstrat,

ſtrat, niſi quid Eccleſia aduerſus priores obſeruaret, hoc eſt, aduerſus *juſtos & innocentes*; atque item aduerſus illos è poſterioribus, hoc eſt ex *peccatoribus*, qui poſtquam criminum maculas longa & accurata pœnitentia eluiſſent, ad laudabilis & Chriſtianæ vitæ inſtitutum ſeſe retulerant.

De iis verò, qui è lethalis peccati cœno primùm emergerent, infrà oſtendam, tantùm abeſſe vt frequentem ſacræ Communionis vſum Patrum vllus eis vnquam ſuaſerit, vt ex perpetuo vſu ac diſciplina Eccleſiæ, à pane illo cœleſti, velut à ſolidiori cibo, & eorum imbecillitati minus accommodato in aliquod tempus ſubmoti fuerint. Quare qui normam & doctrinam de præbenda *peccatoribus & pœnitentibus* Euchariſtia (quod præcipuum eſt quæſtionis noſtræ caput) ex veteri Eccleſiæ aduerſus *innocentes ac juſtos* diſciplina metiri velit, is profectò nihilo minus abſurdè faciat, quam qui Hippocratis & Galeni præcepta omnia de ſanorum cibis & victu in vnum congeſſerit, vt eoſdem cibos ægrotis, aut tantum conualeſcentibus adhibendos eſſe conficiat.

Verum vt intelligas hac in re nihil me de meo afferre velle, accipe quid doceat D. Bonauentura de ipſa quæ à te propoſita eſt Quæſtione, *Vtrum præſtet ſacra Communione frequentiùs vti, an rariùs*, ac de eodem quod apponis exemplo frequentioris Communionis Eccleſiæ primitiuæ. Summus enim ille vir cuius doctrina cœterorum omnium Scholaſticorum doctrinæ à Gerſone antefertur, Com-

mentario in Magiſtrum Sententiarum, poſtquam expoſuit quæ de frequenti Communione in vtramque partem dici poſſe videbantur, his tandem verbis ſuam ſententiam promit: *Si quæritur vtrum expediat frequentare alicui: dicendum, quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ* (hoc eſt, vt paulò antè ſignificat in baptiſmatis ſanctitate, in vitæ innocentia, in Charitatis ac ſancti Spiritus ardore) *laudandum eſt quotidie communicare. Si autem in ſtatu Eccleſiæ finalis vtpote frigidum & tardum, laudandum eſt quod rarò. Si autem in medio modo, medio modo debet ſe habere; & aliquando debet ceſſare* VT ADDISCAT REVERERI, *aliquando accedere vt inflammetur amore; quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundùm illam partem ſecundùm quàm viderit ſe magis proficere, ad illam magis declinet: qaod homo ſolum experientia diſcit.* Vnde concludit, *Omnes ergo rationes intelliguntur ſalua debita præparatione, quæ eſt in pauciſſimis vt ſemper.*

D. Bonauent. in 4 ſentent. diſt. 12. part. 2. art. 1. q. 2.

Hic vnus locus integræ ad Scriptum tuum reſponſionis vice eſſe poſſit, cum opinionum tuarum omnia commenta paucis verbis diſſoluat. Tu enim omnes promiſcuè homines, quantumuis imbecillos atque imperfectos propoſito primorum fidelium exemplo ad Euchariſtiam frequentandam impellis. At S. Bonauentura exempli huius imitationem ad eos tantùm pertinere aſſerit, qui eorumdem naſcentis Eccleſiæ Chriſtianorum ſanctitatem, ac diuinæ pietatis ardorem imitentur, quique eorum inſtar cœleſtis regenerationis gratiam, ac

ſancti Spiritus plenitudinem Baptiſmo & Confirmatione acceptam inuiolata puritate conſeruent.

Tu hominem quemlibet vtcumque tepidum ſe ac frigidum experiatur, frequenter atque intrepidè Communionem ſacram adire debere cenſes : Ille contra aſſerit animas tardas ac frigidas, & in Eccleſiæ finalis ſtatu conſtitutas, de quo à Chriſto ipſo prædictum eſt fore, vt multorum charitas refrigeſceret, diuino illo pane raro tantum refici oportere.

Tu honoris ac reuerentiæ in Chriſti corpus eſſe negas, ab eo nonnunquam humilitatis cauſa ſeſe abſtinere : Ille contra aſſeuerat eos ipſos qui ad altiorem perfectionis gradum, quam ſeneſcentis Eccleſiæ ſtatus & conditio ferat aſcenderint, quaſdam amoris ac venerationis vices alternare debere, myſteriumque iſtud tum religioſa abſtinentia, tum ſancta auiditate ex æquo honeſtandum atque adorandum eſſe.

Tu Communionis dilationem ad Euchariſtiam religioſius accipiendam quicquam conferre audacter inficiaris : At D. Bonauentura ita errorem iſtum refellit, vt conceptis verbis aſſerat, ei qui iam aliquid in Chriſtiana virtute profecerit interdum à Communione deſiſtendum, *Vt addiſcat reuereri.*

Poſtremò tu aliam pietatis viam quam Communionum crebritatem ac multiplicationem non noſti : At vir ille ſanctiſſimus cum ſpiritu longè alio ageretur, minimè neſcius quam variis ac multiplicibus modis Chriſtus ſuos regere ſoleat, ſuo quemque experimento definire iubet, ſibine ad incre-

mentum virtutis magis expediat Euchariſtiam frequentiùs adhibere an rariùs, & quam viam conſuetudinemque Deo acceptiorem ſenſerit, quamque vberiori gratiæ ſuæ munere Chriſtus proſequetur, eam deinceps tenere ac perſequi.

Iam vide amabo te, quæ & qualis doctrina tua habenda ſit, quæ cum tam inſignis Theologi doctrina velut aduerſa fronte confligat. Vide etiam atque etiam vtrum ea demum ſit *maxima calamitas, quæ Eccleſiæ incidere poſſit* (vt in extremo tuo ſcripto loqueris) ſuadere nonnullis ex tanti Doctoris mente, vt ab Euchariſtia interdum humilitatis ac reuerentiæ cauſa ſecedant, & animas flagitiis ac peccatis commaculatas à frequenti eius vſu deterrere, an vero omnes prorſus homines indiſcriminatim (vt in ſcedula tua contendis,) ad crebram Communionem impellere.

Poſtremò vide obſecro tua ne an illius doctrina *dæmonis ſtratagemati*, vt tuo verbo vtar, aſcribi debeat, & concede vt Sancti Bonauenturæ diuino antiquorum Patrum ſpiritu inſtructi, lumine incenſi, iudicium pluris faciamus, quam eius hominis qui ea demum tenere ſe prodit, quæ Patres ignorarunt, ea ignorare, quæ Patres tenuerunt. Concede vt ſapientiam quâ naſcentis Eccleſiæ firmiſſimam ac velut heroïcam ætatem ab eiuſdem inclinatione ac ſenio, decimi tertij ſeculi Chriſtianos à primi ſeculi Chriſtianis, poſtremò cœleſtis ignis tenues ſcintillas, ab acerrimis illis flammis quæ orbem vniuerſum olim peruaſerunt, ſecernit & diuidit, perindè

ſuſpiciamus, vt incogitantiam improbamus quâ tam diſiunctas ætates, tam diuerſas res atque diſſitas temerè confundis. Concede denique vt inſtitutionem antiquam à tantæ ſanctitatis Religioſo, tanti nominis Doctore, tantæ dignitatis Præſule traditam exequi ac ſeruare malimus, quam noua Doctoris ignoti conſilia, cui virtus fortaſſe mediocris, eruditio certè exigua, auctoritas verò in Eccleſia nulla.

CAPVT III.

DE FREQVENTI COMMVNIONE quàm memorat liber Actuum Apoſtolorum.

Aduerſarius.

APoſtoli qui à Chriſto ipſo edocti eius mentem ignorare non potuerunt, vulgarem fidelium omnium Communionem inſtituerunt, vt patet 2. Actuum, vbi fideles dicuntur perſeueraſſe in doctrina Apoſtolorum in orationibus, & in communicatione fractionis panis: quæ fractio ab omnibus Catholicis interpretibus de ſacra Communione intelligitur.

RESPONSIO.


ECTE tu quidem iſtud, nec rectiùs poteras, ſi quæ modo expoſita ſunt à nobis illuſtrare ac confirmare decreuiſſes. Apoſtoli vulgarem fidelium omnium Communionem inſtituerunt. Quorum tandem fidelium? nempe eorum

qui à Baptiſmi fonte recentes, veteri ac terreno homine cum factis ſuis omnibus nuper exuto, nouum ac cœleſtem induerant: qui Apoſtolicarum manuum impoſitione Spiritus ſancti plenitudinem paulò antè acceperant: quorum fides innumeris quotidie miraculis effulgeſcebat: quorum ſpes ſublimia ſemper ac cœleſtia conſectans, terrenas omnes diuitias velut infra ſe poſitas jacenteſque calcabat: quorum charitas (quæ Chriſtianæ perfectionis apex eſt) ita abſoluta erat, vt eorum omnium Scriptura teſte, *cor eſſet vnum & anima vna.* Eorum denique fidelium, quos vt Chriſtianæ ſanctitatis religioſarumque omnium ſocietatum formam quandam & effigiem cumulatiſſimam vniuerſa ſemper Eccleſia contemplata eſt.

Attende, obſecro, vim & acumen argumentationis tuæ. Priſci fideles diuino illo igne, quem ad inflammanda hominum corda Chriſtus è cœlo effuderat cum maximè ardentes, diuino ac cœleſti pane frequenter reficiebantur: Igitur *quantumlibet torpentem ſe ac tepidum quis experiatur*, ſiue id humana infirmitas, ſiue contractus ex anteactæ vitæ corruptela languor efficiat, iſtud exemplum confidenter exequi debet. Hæc tua nempe doctrina eſt.

Primi illi Chriſtiani, quos ferueſcens adhuc & quaſi ebulliens Chriſti ſanguis flagranti illius amore nuper impleuerat, tremendis ſæpè ſe ſiſtebant altaribus: Igitur *qui immenſo ſui ipſorum amore pleni ſunt*, optimè faciunt, ſi Euchariſtiam ſæpiùs ſumant. Hæc tua eſt diſciplina.

Qui ab omnibus humanis rebus ita expediti ac disiuncti erant, vt suas omnes facultates ad Apostolorum pedes læti proijcerent, per frequentem sacræ Eucharistiæ vsum, intimam cum Christo coniunctionem sæpiùs appetebant: Igitur *qui mirandum in modum seculo addicti sunt, si sæpiùs itidem Christi corpore pasci voluerint, magno eum honore affecerint.* En verba, en consilia tua.

Qui abundantia gratiæ proximè cumulati fuerant, fortium pane sæpiùs vescebantur: Igitur *vt quisque gratiæ inanissimum sese experitur, ita ad sacram Eucharistiam confidentissimè accedere debet.* Agnoscis, opinor, orationem tuam, ac tuas ipsas voces. Per quas tandem argumentandi leges, è talibus principiis tales conclusiones elicere fas est? Equidem si paulò attentiùs Dei verbum expendisses, duo in hoc eodem Actuum loco præcipuâ quadam animaduersione digna reperisses.

Primum enim illos nascentis Ecclesiæ filios Scriptura declarat, in doctrina Apostolorum: deinde in sacra Communione perseuerasse: quorum posterius ex priore consequebatur. *Erant,* inquit, *perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis.* Nonne metuis ne in sacrilegij crimen incurras, dum ordinem à Spiritu sancto præstitutum perturbare audes, perseuerantiam in sacra Communione, perseuerantiæ in doctrina Apostolorum semper hoc in scripto anteuertens; cum perseuerantia in doctrina Apostolorum, hoc est obseruatio diuinarum institutionum quas Apostoli à

Chriſto didicerant, quaſque alios edocere ab eodem juſſi fuerant, Scriptura teſte, illam in ſacra Communione perſeuerantiam antecedat?

Alterum animaduerſione dignum illud eſt, ex quo facilè perſpicias quanta animi puritate ad Dei menſam accedi oporteat. Cum enim in 2. illo Actuum capite de fidelibus recens conuerſis diſertè ſcriptum ſit, eos in doctrina Apoſtolorum, & in ſacra Communione perſeuerantes fuiſſe; in primo capite vbi accuratiùs deſcribitur quid interim agerent centum illi & viginti homines, qui à Chriſti Aſcenſione promiſſum ab eo munus expectabant, nihil aliud ſcribitur, niſi omnes perſeuerantes fuiſſe vnanimiter in oratione, tacitâ penitus Euchariſtiâ. Ex quo facile intelligitur Apoſtolos, cum poſt Saluatoris reſurrectionem tantis ab eo gratiæ muneribus donati eſſent: cum Spiritum ſanctum diuiniſſimo ipſius oris flatu accepiſſent; cum doctrinæ illius per orbem vniuerſum diſſeminandæ, miraculiſque omne genus confirmandæ poteſtatem eſſent adepti: minus tamen idoneos, paratoſque ſibi viſos eſſe ad cœleſtem illum panem attingendum; ac ſancti Spiritus plenitudinem præſtolari voluiſſe, quo dignius ac ſanctius tremenda illa myſteria peragerent. Atque hinc perſpicuum eſt, quo ordine ad Euchariſtiam, ſi verè ac legitimè illâ vti volumus, progrediendum ſit. Quod etiam credibile eſt Eccleſiam ſanctam ſponſi cœleſtis ductu atque impulſu ſecutam fuiſſe, dum diuiniſſimi Sacramenti feſtum diem proximè poſt feſtum Pentecoſtes celebrari

celebrari iussit, vt doceret alterum alterius viam esse ac præparationem, sanctique Spiritus illapsu homines ad illum Angelorum panem edendum idoneos fieri, vt videlicet ille Spiritus qui Virginem Matrem ad mortale Christi Corpus in eius aluo conformandum præuiis gratiæ suæ muneribus abundantissimè instruxit: idem nunc Christianorum animas ad istud ipsum corpus jam passionis expers, immortale ac gloriosum sinu suo excipiendum cœlestibus donis præmuniat atque illustret, ex præclara SS. Patrum sententiâ, Eucharistiam *Incarnationis extensionem*, quandam esse, & quasi propagationem.

Quæ quidem Ecclesiæ cogitatio adeò grauis ac vera est, vt ex Euangelio ipso manifestum sit Christum cum discipulis in Emaüntem proficiscentibus Corporis sui Communionem impertiit, (quod ante Spiritus sancti descensum nonnisi tunc temporis factum esse legitur) priùs in eorum corda diuini illius ignis flammam iniecisse; quod & ipsi profitentur, dum perceptæ gratiæ quasi impetu abrepti exclamant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Sicut ergo eorum causa corporis sui distributionem, ita & sui Spiritus effusionem maturauit & quasi anticipauit, mentes extraordinaria Sacramenti sui communione pascendas extraordinariæ gratiæ largitate præparauit: vt in illis quid post sancti Spiritus aduentum fidelibus omnibus euenturum esset velut typo & imagine quadam delinearet: quemadmodum in Euangelio quæ vniuersæ

Ecclesiæ euentura erant innumerabilibus penè figuris depinxit ac præmonstrauit.

CAPVT IV.

QVINAM A S. DIONYSIO DIGNI habeantur qui Missæ Sacrificio intersint.

Aduersarius.

APostolorum Canone nono decernitur, vt fideles omnes qui ingrediuntur in Ecclesiam, quique in ea Sacras Scripturas audiunt, aut Eucharistiam itidem sumant, aut à cæteris secernantur. In S. Jacobi Liturgia idem constitutum habetur. Beati Apostolorum discipuli Clemens & Dionysius testes sunt, hanc olim fuisse Ecclesiæ consuetudinem, vt Euangelio pronuntiato, lectisque Scripturis Sacris, qui ad percipiendam Eucharistiam idonei non erant, foras pellerentur, ac demum Sacerdos diuina Communione omnibus impertita tremenda mysteria cum gratiarum actione perageret. Anacletus à Beato Petro Pontifex V. decernit, vt ex consuetudine ab Apostolis instituta, & ad illa vsque tempora conseruata qui in Missæ Sacrificio Communionis particeps esse noluerit in Ecclesiam ne intromittatur, adeoque post confectam consecrationem ad Communionem omnes accedant.

RESPONSIO.


SI sanctioris illius disciplinæ quæ inter Ecclesiæ primordia tenuit, vim & quasi mentem perspectam animo & cognitam haberes, non commisisses vnquam, vt eam ad sententiæ tuæ præsidium accer-

ſendam putares; facillimèque intellexiſſes nihil fingi aut cogitari poſſe, quod cum dogmate tuo capitalius pugnet, quodque deſtruat magis & euertat quicquid adſtruere meditaris. Quorſum enim attinet commemorari hîc à te, omnes qui ad Euchariſtiam percipiendam minus idonei videbantur ante myſteriorum celebrationem pelli ſolitos, niſi eadem operâ doceas, quinam tales Eccleſiæ iudicio haberentur? Nam ſi in iſtum numerum tum referebantur, non ij modo qui virtutis ſtudium non profitentur (quibus tamen vt infrà patefiet Communionis frequens vſus à te ſuadetur) ſed *etiam qui à ſanctitate Chriſtianæ vitæ ſemel lapſi eſſent, quamuis eam repetere in animo haberent*; non ij ſolum qui cum in Sacerdotis ſinum inolita vitia, criminaque penè flagrantia feſtinanter effuderint, ad Euchariſtiam, ſi fides tibi habenda eſt, continuo recipiendi ſunt, ſed *ij etiam qui cum à deteriore vita diſceſſerint, nondum tamen animos à priſtinæ impuritatis phantaſmatis ſatis expurgarunt*: non ij ſolum *qui ſui ipſorum amore pleni ſunt*, ſed ij etiam *qui diuinum amorem ab omni alieno affectu purum ac liberum nondum aſſecuti ſunt*: non ij ſolum *qui ſtupendum in modum ſeculo addicti ſunt*, ſed etiam ij *qui nondum ſoli Deo vnicè adhærent, nondumque omnino irreprehenſibiles & immaculati ſunt*. Si, inquam, pateat iſtos omnes tunc temporis à ſacrificij aditu fuiſſe prohibitos, quid aliud religioſâ diſciplinæ huius obſeruantiâ declarabitur, niſi ex mente beatiſſimorum illorum virorum, quorum ſenſum initio diſputationis tuæ pro lege &

norma ſequendum nobis cum Catholicis omnibus es profeſſus, eos quos ad creberrimum ſacræ Euchariſtiæ vſum propellis potiùs quam admittis, ne ſolâ quidem tantorum myſteriorum inſpectione fore dignandos? Nec verò hac in re vt me audias poſtulo; ſed ambo, ſi placet, audiamus eos ipſos qui à te laudati ſunt teſtes, & ex illis eum potiſſimum à quo de hac materiâ quam penè vnus ſpeciatim explanauit, optimè poſſumus edoceri.

Autor eſt magnus ille Dionyſius, ſicut à te commemoratur, hunc olim fuiſſe Eccleſiæ morem, vt Euangelio, ſacriſque literis publicè pronuntiatis qui ad percipiendam Euchariſtiam idonei non erant, foras pellerentur. Sed quoniam quinam illi eſſent, dicere prætermiſiſti, id te Dionyſius ſuis ipſe verbis commonefaciat oportet. Fac igitur vt mentis & oculos & aures aperias, ac vide num fulgurum iſtorum ſplendorem, diuinique huius tonitrui ſonitum perferre queas. *Excluduntur*, ait, *à templo Dei, & ſacrificio à cuius ſublimi & diuina excelſitate nimium abſunt, primùm qui myſterijs nondum initiati eorum omninò expertes ſunt*, nempe Catechumeni: *Deinde qui à ſanctitate vitæ Chriſtianæ deſciuerunt*, quorum ſcilicet baptiſmalis integritas lethali aliquo vulnere corrupta eſt: *Poſtea, qui ea ſunt animi infirmitate, vt ad hoſtis terriculamenta & viſa facile commoueantur*, hoc eſt, Energumeni, *quippe qui ad diuini ac deifici habitus immobilitatem, vt ita dicam, vimque actuoſam conſtanti & inuicta animi ad res diuinas applicatione nondum peruenere: Præterea qui à deteriore qui-*

Ἐπειδὴ τοῦ
θείου γεγόνα-
σιν ἔξω ναοῦ,
καὶ τῆς ὑπερ-
κειμένης αὐ-
τοῦ ἱερουρ-
γίας, καὶ τῶν
τελετῶν ἀ-
μύητοι, καὶ
ἀτέλεστοι,
καὶ πρὸς αὐ-
τοῖς οἱ τῆς ἱε-
ρᾶς ἀποστά-
ται ζωῆς.
ἑπομένως τε
τούτοις οἱ πρὸς
τὰ τῶν ἐναν-
τίων δείματα
τε καὶ φάσ-
ματα δι' ἀν-
ανδρείαν εὐ-

dem vita jam discesserunt, nimirum Pœnitentes, *sed animos à pristinæ impuritatis phantasmatis nondum satis expurgatos gerunt habitu amoreque Dei purissimo ac simplici. Denique qui nondum soli Deo vnicè adhærent, quique, vt Scripturæ more loquar, nondum omnino irreprehensibiles sunt atque immaculati.*

An hæc doctrina cum tua consentit? An vero si eximius ille Doctor aberrationes & corruptelas quas inducere moliris prospexisset (quas spiritus certè quo agebatur facilè prospexit) fortiùs eas atque expressiùs opprimere potuit?

παθεῖς, ὡς οὐκ ἀφικομένοι διὰ τὸ πρὸς τὰ θεῖα συντόνου καὶ ἀνενδότου συννεύσεως ἐπὶ τὸ τῆς θεοειδοῦς ἕξεως ἀκλινὲς καὶ δραστήριον. εἶτα πρὸς αὐτοῖς, οἱ τῆς ἐναντίας μὲν ἀποστάντες ζωῆς, οὔπω δὲ καὶ τῶν φαντασιῶν αὐτῆς ἔξω, καὶ ἔρωτι θείῳ καὶ ἀμιγεῖ καθαρθέντες, καὶ μετ' αὐτοὺς, οἱ μὴ καθάπαξ ἑνοειδεῖς, καὶ νομικῶς· εἰπεῖν ἄμωμοι καὶ ἀλλώβητοι παντελῶς. Dionys. Hierarc. Ecclef. c. 3.

CAPVT V.

DE QVOTIDIANAE COMMVNIONIS consuetudine.

Aduersarius.

D. Hieronymus in Epistola contra Iouinianum & S. Augustinus pluribus in locis asserunt suis temporibus quotidianæ Communionis morem in Romanis & Hispaniensibus Ecclesijs adhuc perseuerasse.

RESPONSIO.

PERGRATVM feceris, si loca illa in quibus hæc de Romanis & Hispaniensibus Ecclesiis ab Augustino scripta prædicas, nobis indicaris. Nisi enim me vehementer fallit opinio, nullus omninò à te dabitur.

Hieronymus quidem Romanarum duntaxat

Ecclesiarum meminit in Apologia pro Libris suis contra Iouinianum ad Pammachium missa; quibus in Epistola demum ad Lucinium Hispanienses adjungit. Sed nusquam omninò ait consuetudinem illam ab Apostolorum temporibus ortam in ipsis perseuerasse, vt innuere ac persuadere velle videris. Prætereà tacitum à te ac prætermissum non oportuit, quod eodem illo loco acrioribus verbis Hieronymus inuehitur in eos qui per consuetudinis istius causam tanti Sacramenti majestatem animo non satis composito atque expurgato contingere auderent. Ex quo manifestum est, quicumque tandem Eucharistiæ frequentandæ mos in Ecclesia viguerit, eatenus tamen id concessum fuisse, vt ea quæ pro cœlestis huius mysterij dignitate necessariò priùs adhibenda essent, adhiberentur. Quare cum jam non quæratur inter nos sitne vtile Eucharistiam adire frequentiùs, sed quî se ante componere debeat is à quo frequentiùs adeatur, satis erit in præsentia, vt ad Dionysium à quo quid Apostoli, quid Apostolorum discipuli hac de re senserint edoceare, te remittamus.

Capvt VI.

De Commvnionis Praecepto in primitiua Ecclesia obseruato.

Aduersarius.

Qvotidianam Communionem in primitiua Ecclesia præcepto sancitam fuiße censet D. Thomas, &

alij Scholæ Theologi. Fateor tamen præceptum illud satis firmis rationibus adstructum non videri. Sed veriùs dixeris eum tum fuisse Ecclesiæ morem, vt qui quotidie templum adirent ac sacrificio interessent, sacra item Eucharistia impartirentur.

RESPONSIO.



MERITO agnoscis nullum esse satis firmum argumentum, quo Communionem quotidianam in primæua Ecclesia præcepto sancitam fuisse conficiatur. De illa autem primorum fidelium consuetudine, quâ quotiescumque sacrificio intererant, diuinissimâ etiam hostiâ vescebantur, jam suprà ostensum est, nihil aliud inde consequi, quam sanctissimos illos Apostolorum discipulos parem pietatem à fidelibus qui sacro interessent, atque ab iis qui Sacramentis cœlestibus impartirentur postulasse; adeoque mirum non esse, si eorum qui sacrificio intererant pars maxima, sacrâ Communione donaretur.

Cum igitur ab Ecclesia repuleris eos omnes qui tum ab ea Sancto Dionysio autore arceri soliti erant, eos nimirum *qui à sanctitate vitæ Christianæ lapsi sunt, qui deteriore quidem vita jam dimissa animum tamen ab impuritatis pristinæ phantasmatis nondum satis expurgarunt habitu amoreque Dei purissimo ac prorsus simplici. Denique, qui nondum soli Deo vnicè adhærent, quique, vt Scripturæ more loquamur, nondum omninò irreprehensibiles sunt atque immaculati.* Cum igitur hos

omnes primorum illorum fidelium exemplo ab Ecclesia eieceris, atque à sacrificio remoueris, tanquam *ab eius sublimi & diuina excelsitate nimium disiunctos*, quin reliquos omnes quibus Mysteriorum celebrationi interesse concessum fuerit ad cœlestem mensam accersas atque adhibeas, nemo impediet.

Vt autem sanctissima hac disciplina abutare, ad eos quos illi nec templi ingressu dignati essent altaribus ipsis passim admouendos, hoc nimirum illud est quod sine gemitu, sine dolore ferre non possumus. Atque, vt hîc obiter tibi ostendam, quod fusiùs alio in loco explanaturi sumus, morem illum, vel si mauis præceptum frequentandæ Communionis in primitiua Ecclesia ad *Innocentes* demum & *Iustos*, non autem ad *Peccatores, Pœnitentesque* pertinuisse, consule interim, quæso, diuini Officij Librum, vbi docebere Sanctum Soterem Romanum Pontificem dum Cœnæ Domini die fidelibus vniuersis sacram Communionem indicit, nominatim excipere eos qui ob susceptum in se aliquod lethale peccatum à diuina Eucharistia submoti fuissent. *Statuit* enim *vt Christi corpus in Cœnæ Domini sumeretur ab omnibus, ijs exceptis, qui propter graue peccatum id facere prohiberentur.*

CAPVT

CAPVT VII.

QVO SENSV FREQVENTIOREM Communionem SS. Patres ſuadeant.

Aduerſarius.

PAtres omnes frequentem Communionem ſuadent.

RESPONSIO.



QVIS tandem eam pariter cum ipſis non ſuadet? At tu controuerſiæ noſtræ mediam tantum partem ſemper attingis. Non enim ſolum oſtendi oportuit SS. Patres frequentem ſuaſiſſe Communionem, ſed etiam quibuſnam ſuaſerint exponi. Omnes Medici panem & carnes ad alendum corpus ſaluberrimè adhiberi cenſent. An inde efficias eoſdem id alimenti genus promiſcuè & indiſcriminatim ad quoſlibet adhibere, eoque ægrotos alere, etiam cum primum febris ab iis diſceſſerit? Quare per ſacrum illius nomen qui proprio ſanguine redemptas oues peſtifera doctrina paſci prohibet te oro atque obteſtor, vt dicas, num exiſtimes crebram illam de qua Patres loquuntur Communionem ad omnes ex æquo pertinuiſſe ſeu nocentes, ſeu innocentes; ſeu juſtos, ſeu pœnitentes. Si in ea opinione es, eorum omnium quos laudas Patrum teſtimoniis ipſis, te in eorum doctrina hoſpitem eſſe & peregrinum planiſſimum faciam.

Sin aliter censes, in re tam graui in qua animarum salus agitur, aliorum ignoratione perperàm abuteris, quos in eam sententiam inducis, vt ex mente SS. Patrum sacram Communionem frequentiùs adire se posse confidant, cum nihilominùs magnam eorum partem ijdem SS. Patres, vel ipso Mysteriorum aspectu, multo tempore prohibendam esse censuissent.

CAPVT VIII.

QVID DE POENITENTIA ET SACRA Communione B. Basilius sentiat.

Aduersarius.

SAnctus Basilius testis est, eum in Diœcesi sua fuisse morem, vt fideles omnes diebus Lunæ, Mercurij, Sabbati, Dominicis, alijsque quibus Sancti alicuius festum celebraretur, sacram Communionem adirent.

RESPONSIO.



QVOD hîc profers de S. Basilio (vnde enim singula quæ profers testimonia eruantur, nobis, vt video, relinquis indagandum) in collectione Epistolarum ipsius operibus adjecta reperitur, quæ magnam partem ipsius non sunt. Quin & admodum credibile est eam ipsam qua de agitur, falsò ei ascriptam fuisse. Vt-vt sit, si modo voculam (*omnes*) quam de tuo addidisti, sustuleris, cœtera declarant tantùm quo pacto cum iis ageretur qui

vitam verè Christianam colerent, non autem quid iis fieret qui ab ea per peccata mortifera prolapsi essent. Et tamen hic est cardo controuersiæ nostræ: cum nemini dubium sit, quin Communio frequentior purioribus animabus fructum afferre possit.

Quod autem pertinet ad illos qui pœnitentiæ remediis egent, si in Basilij lectione paululùm modò versatus esses, non commisisses vnquam vt eum hoc loco velut dogmatum tuorum approbatorem confirmatoremque produceres. Si enim ex operibus illius indubitatis duas modo ad Amphilochium Epistolas legisses, quæ cum ab Ecclesia Græca in ipsum Canonum corpus insertæ fuerint, non jam vnius Basilij mentem & sensum, sed totius Orientalis Ecclesiæ repræsentant; ea ibi offendisses, quæ ad stabiliendam doctrinam tuam ægrè admodum adhiberi queant.

Reperisses videlicet pœnitentia, segregationeque ab Eucharistia in multos annos vulgaria peccata, nonnullaque in mortiferorum genere leuiora vindicata. Vidisses pœnitentiam [a] in vnum, interdum [b] in duos annos furto inflictam; [c] in quatuor, & nonnunquam [d] in septem simplici fornicationi; [e] in annos vndecim perjurio; [f] in quindecim adulterio; [g] in idem tempus matrimonio intra prohibitos cognationis gradus inito, [h] in annos viginti homicidio, [i] totam denique vitam expiandæ voti castitatis violationi Monacho aut sanctimoniali præstitutam.

a *Epist.* 2. *Can.* 61.
b *Ibid.*
c *Ibid. can.* 22.
d *Ibid. can.* 59.
e *Ib. can.* 64.
f *Ib. can.* 58.
g *Ib. can.* 68.
h *Ib. can.* 56.
i *Ib. can.* 60.

k *Epist. 1. can. 4.*

Quin & reperiſſes homines [k] in annum integrum à ſacro altari fuiſſe prohibitos, ob factum per ſe innoxium, propterea quod incontinentiæ ſpeciem quandam & imaginem præſeferret, quodque ab aliqua remiſſione ac mollitie profectum inſignem illam integritatem, quàm iis qui ad Chriſti corpus accederent neceſſariam Eccleſia judicabat, nonnihil imminuere videretur: ob ſecundas, inquam, nuptias quas tamen idem Sanctus pro rato ſe ac legitimo matrimonio habere pronuntiat.

Verum ne te nimiùm fortaſſe exterreat temporum illorum diſciplina ſeuerior, duo te docebit idem Pater, ex quibus intelligas, quem tandem modum adhiberi jubeat ſpiritus Dei, ne deflectatur vnquam vel in acerbam ſeueritatem, vel in remiſſionem diſſolutiorem. Primum eſt, etiamſi tempora iſta Canonum eſſent præſcriptione definita, penes Epiſcopum tamen fuiſſe, vt ſi quis impoſitam ſibi pœnitentiam diligentiùs ac fructuoſiùs obiret, aliquid ei de præſtituto tempore condonaret. Alterum eſt, ſi quando legibus iſtis peccatores parere nollent, Sanctos tamen illos viros in vigore Euangelij retinendo nihilo ſegniores aut verecundiores fuiſſe.

Πάντα δὲ ταῦτα γράφομεν, ὥστε τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας. οὐ γὰρ πάντως τῷ χρόνῳ κρίνομεν τὰ τοιαῦτα· ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τῆς

Vtrumque teſtatur Baſilius his verbis notatu digniſſimis in altera ad Amphilochium Epiſtola: *Hæc autem omnia ſcribimus, vt pœnitentiæ eorum fructus probentur. Neque enim hæc omninò ex temporis ſpatio judicamus, ſed modum pœnitentiæ attendimus. Quod ſi qui à proprijs moribus non facilè auellantur, & carnis volu-*

ptatibus potiùs quàm Deo seruire voluerint, vitamque ex Euangelio institutam non amplectantur, nulla nobis cum illis intercedit communis ratio. Nos enim aduersus populum non credentem & contradicentem illud audisse meminimus, Saluans salua animam tuam. Non ergo cum eis perire consentiamus, sed graue judicium reformidantes, & tremendam illam retributionis Domini diem præ oculis habentes caueamus alienorum peccatorum ruina inuolui. O vocem animarum moderatoribus salubrem perinde ac formidolosam!

Verum vt pleniùs ab eodem maximo sanctissimoque viro discamus quali animi affectione ad Eucharistiam accedere oporteat, legere satis erit, quæ cap. vlt. lib. I. de Baptismo scribit: [a] *Eos scilicet qui per Baptismum regenerati sunt, participatione deinceps diuinorum mysteriorum nutriri debere: Indutos autem nouum hominem & filios Dei declaratos opus esse deinceps vt alantur cibo vitæ æternæ, quam nobis quoque ipse vnigenitus viuentis Dei Filius tradidit. Hunc vero cibum esse verbo Dei obsequi eiusque voluntatem facere (de quo Christus ait, Non in solo pane viuit homo, &c. Et, Cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me Patris) necnon Eucharistiam de qua dixit, Qui manducat carnem meam, &c.*

Ita D. Basilius duplicem illum cibum copulat atque connectit, id veluti certum exploratumque constituens, qui Euangelij legibus per morum corruptelas infractis supremæ Dei voluntati reluctatur, eum à sacra Communione esse submouendum; hoc est eum, qui bonis operibus velut cibo

μετανοίας προσεχόμεθα. ἐὰν δὲ δυσπαραπείστως ἔχωσι τῶν ἰδίων ἐθῶν, καὶ ταῖς ἡδοναῖς τῆς σαρκὸς μᾶλλον δουλεύειν θελήσωσιν, ἢ τῷ κυρίῳ καὶ τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ζωὴν μὴ παραδέχωνται, οὐδεὶς ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς κοινὸς λόγος. ἡμεῖς γὰρ ἐν λαῷ ἀπειθεῖ καὶ ἀντιλέγοντι δεδιδάγμεθα ἀκούειν, ὅτι, Σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν. μὴ τοίνυν καταδεξώμεθα συναπόλλυσθαι τοῖς τοιούτοις, ἀλλὰ φοβηθέντες τὸ βαρὺ κρῖμα καὶ τὴν φοβερὰν ἡμέραν τῆς ἀνταποδόσεως τοῦ κυρίου πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν λαβόντες μὴ θελήσωμεν ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις συναπόλλυσθαι.

Basil. ep. 2. ad Amphil. c. 84. & 85.

a Γεννηθέντες δὲ καὶ ἐν τῷ

ὀνόματι τοῦ υἱοῦ, βαπτισθέντες τὸν Χριστὸν ἐνδυσάμεθα, &c. Basil. l. 1. de Bapt. c. 3.

cœlesti spiritualique non sese primum aluerit, ab altero diuiniori cibo, quæ est Eucharistia, arceri oportere. Nec verò de iis tantùm hæc scribit, qui vitiorum cœno immersi lethalibus peccatis assiduè sese commaculant, sed & de iis quorum est vitæ ratio tolerabilior partim Christo partim seculo mancipata nec quemadmodum spoponderunt in Baptismo vni Christo dedita. Atque hoc dogma stabilitum fixumque asserit D. Pauli verbis quibus ait, *Christum Dominum nobis corpus suum manducandum præcepisse in perpetuam mortis suæ commemorationem: quia scilicet nunquam veriùs mortis Christi memoriam recolimus, quàm cum juxta eundem Apostolum recogitamus illum vnum pro nobis omnibus mortuum, vt qui viuunt jam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est: atque adeò nos erga mortem ipsius religiosos ac memores præstandos vitæ nostræ castitate ac sanctimonia, quam qui non habet, & ad sancta nihilominùs accedit, horrendam sibi damnationem acquirit.* Et inferiùs subdit, *Eum contristare Spiritum sanctum qui charitatem non habens quæ vrget nos vt illi soli viuamus qui pro nobis mortuus est ad Eucharistiam tamen accedere non veretur.* Denique legem hanc certam & ab omnibus seruandam constituit, *oportere* nimirum, *vt quisquis accedit ad Corpus & Sanguinem Domini in commemorationem eius qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, non solum purus sit ab omni inquinamento carnis & spiritus ne judicium sibi manducet & bibat; verumetiam apertè palamque ostendat se memoriam eius recolere, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, exhibendo se mortuum quidem peccato, mundo ac*

Δεῖ οὖν τὸν προσιόντα τῷ σώματι καὶ τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ, εἰς ἀνάμνησιν αὐτοῦ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντος καὶ ἐγερθέντος, μὴ μόνον καθαρεύειν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος,

sibi, viuentem autem Deo in Christo IESV *Domino nostro.*

Expende amabo tanti viri voces, & vide num qui ad Eucharistiam adeundam satis non habet, si quis ab omni carnis & spiritus inquinamento mundatus sit, homines peccatis mortiferis inquinatos, post simplicem ac nudam eorum confessionem, ad cœlestem mensam è vestigio accersendos existimaret. Vide, inquam, num qui statuit quemque peccato se mortuum manifestis indiciis demonstrare oportere, hoc est testimonio bonorum operum, quæ beatæ istius mortis certi & perspicui sunt fructus; octauo quoque die sacris altaribus admoueret eos quorum in animis diu inolitæ & corroboratæ vitiorum ac scelerum radices etiamnum viuunt ac vigent. Vide denique, num qui clara argumenta postulat, quibus nos nobis & huic seculo demortuos vni Deo viuere comprobemus, ad Communionem crebriùs adeundam, more tuo impelleret eos, qui vt planè ac disertè scribis, *sui ipsorum amore tument, ac seculo mirandum in modum addicti sunt.*

ἵνα μὴ εἰς κρίμα φάγῃ, καὶ πίῃ, ἀλλὰ καὶ ἐναργῶς δεικνύειν τὴν μνήμην τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντος καὶ ἐγερθέντος, ἐν τῷ νενεκρῶσθαι μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ τῷ κόσμῳ ἐν ἑαυτῷ, ζῆν δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κυρίῳ ἡμῶν. *Basil. ibid.*

CAPVT IX.

SANCTVM EPIPHANIVM ADVERSARIO nulla in re suffragari.

Aduersarius.

EPiphanius ait fidelibus in Diœcesi sua degentibus mandatum fuisse, vt ter in hebdomada Eucharistiam su-

merent; nec cœteris diebus vetitum; quibus etiam plerique ad eam accederent.

RESPONSIO.

IN eadem ſemper aberratione verſaris, id de quo agitur nuſquam probans. Quin etiam quamuis mos iſte Volumina integra nullo loco ſigillatim annotato proferendi perquam commodus ſit ne Autoribus falſa adſcripſiſſe facile coarguare, auſim tamen confirmare hoc loco, vel te ipſum falli, vel (quod difficiliùs crediderim) alios fallere conari.

Quod affers de S. Epiphanio aliundè eruere non potuiſti quàm ex fidei expoſitione ad calcem operis ipſius contra hæreſes attexta in quâ hæc demum habet *diem dominicam & quartam ſextamque feriam ad συνάξεις, ſiue conuentus Chriſtianorum celebrandos ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutos.* Vbi quod vocem Græcam συνάξεις, quæ pro Euchariſtia ſæpè vſurpatur, Germanus quidam Medicus temerè vertit, *Communiones*, interpretationem iſtam continuò arripuiſti ad conficiendum mandatum ter in hebdomada Communionem adeundi; illud inſuper addens de tuo Sanctum Epiphanium de ſua nominatim Eccleſia hæc ſcribere.

Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαι, εἰσὶν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, τετράδι δὲ, καὶ ἐν προσαββάτῳ, καὶ ἐν κυριακῇ.

Poſſet ſanè inſtitui quæſtio, an quoties conuenirent Chriſtiani ſacra Euchariſtia impartiri ſoliti eſſent. Verum ea non eſt ad rem noſtram, neque hoc loco neceſſariò attingenda. Vt enim ſe res ita

habuerit

habuerit certè pœnitentes exclusi essent, cæterisque fidelibus ne eam acciperent liberum atque integrum fuisset. Vnde patet, quâ fide S. Epiphanium prædicantem inducas fidelibus in Diœcesi sua degentibus mandatum fuisse, vt ter in hebdomade Communionem adirent. Atque vt clareat te verbum illud, *mandatum*, quod præceptum ac necessitatem sonat vrgere potissimum, addis *id cæteris diebus minimè vetitum fuisse, quibus etiam plerique ad Eucharistiam accederent.* Quod quidem ita insignitè est falsum, meumque ita perculit animum, vt tuam vicem erubescere coegerit. Nec enim in Epiphanio verbulum reperire est, vnde hæc vlla ratione exsculpantur, quæ ei nec per somnium in mentem venerunt. Quod si fortè in errore versamur, tuum erit scilicet nos ab eo reuocare, simulque edocere mirificam istam artem in Patrum monimentis legendi, quæ inibi nemo adhuc legerat.

CAPVT X.

EXPLICATVR LOCVS SANCTI Ignatij.

Aduersarius.

SAnctus Ignatius ad frequentem Communionem hortatur hac subjectâ ratione, quod illius ope Sathanæ vires repellantur, qui facta sua transmutat in sagittas ardentes ad peccandum.

Responsio.



Contortæ verborum tuorum obſcuritati lucem ſplendoremque Ignatij verborum oppoſuiſſe ſatis erit, vt liqueat germanum illius ſenſum à cogitatione tua longiſſimè abeſſe. Sic enim loquitur S. Martyr in Epiſtola ad Epheſios, è qua ſola teſtimonium iſtud depromere potuiſti, quanquam vt quidem à te profertur, non ita facilè internoſci queat. *Date igitur operam, vt crebriùs conueniatis, ad gratias Deo reddendas eiuſque gloriam celebrandam. Quando enim ſæpiùs conuenitis, labefactantur vires Sathanæ, & ignita illius ad peccandum jacula irrita reſiliunt. Si quidem veſtra concordia & conſenſus fidei exitium illius & ſatellitum eius ſupplicium eſt. Nihil præſtantius eſt pace Chriſti, quâ frangitur diſſipaturque omnis impugnatio immundorum ſpirituum, tum aëriorum, tum terrenorum. Neque vos vlla lædet diabolica cogitatio, ſi perfectam exhibueritis in Chriſtum fidem, & charitatem, quæ vitæ principium & finis eſt.*

Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν θεοῦ, καὶ δόξαν. ὅταν γὰρ συνεχῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνησθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ σατανᾶ, καὶ ἀπέρχεται αὐτοῦ ἐπιστρεφῆ τὰ πεπυρωμένα βέλη πρὸς ἁμαρτίαν, ἡ γὰρ ἡμετέρα ὁμόνοια καὶ σύμφωνος πίστις, αὐτοῦ μὲν ἐστὶν ὄλεθρος, τῶν δὲ ὑπασπιστῶν αὐτοῦ βάσανος. οὐδὲν ἄμεινον τῆς κατὰ Χριστὸν εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται ἀερίων καὶ ἐπιγείων πνευμάτων ....

Non ſum neſcius Interpretes nonnullos verbis illis Græci contextus σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ, καὶ δόξαν, adductos, initium teſtimonij huius de ſacra Euchariſtiâ intelligendum cenſuiſſe. Verum cum vox Θεοῦ à voce εὐχαριστία, regatur & voci εὐχαριστία, vox δόξα, ſtatim annexa ſit, perſpicuum eſt his verbis aliud nihil ſignificari, niſi eam quæ Deo fit gratiarum actionem & laudem, cuius referendæ nec tantùm Commu-

nionis adeundæ cauſa Chriſtianos temporibus illis conuenire ſolitos eſſe nemo neſcit.

Liquet prætereà vim illam labefactandarum dæmonis virium de quâ loqueris, Euchariſtiæ hoc loco vt eam tibi Græca voce εὐχαριστία deſignari concedam, minimè attribui, ſed fidei ac ſpiritus vnitati, vinculo pacis & concordiæ quæ ſanctis illis inconuentibus alebatur, hymniſque & canticis inflammabatur, quibus quod ab Angelis in cœlo geritur, in terra repræſentare atque æmulari ſatagebant.

οὐκ οὐδὲν οὐλήσετε ἡμᾶς τι τῶν νοημάτων τοῦ διαβόλου, ἐὰν τελείως εἰς Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην.

Hæc enim S. Ignatij ſententia planè congruit cum illis Tertulliani vocibus, *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate & ſpei fœdere. Coimus ad Deum quaſi manu facta precationibus * ambientes: hæc vis Deo grata eſt.* Quis quod Deo gratum acceptumque ſit, Dæmonibus odioſum, vt ait eximius ille Martyr formidoloſumque eſſe non videat? Quis dubitet, quin tenebroſi illi ſpiritus ad Deum maledictis & blaſphemiis impetendum nefariè conſpirantes, peſſimè oderint eos, qui ad eius laudes celebrandas ſumma animarum conſenſione conſpirent?

Apologet. c. 39.

* *al.* ambiamus.

Cæterum interpretatio hæc quamuis veriſſima congruentiſſimaque videatur, nihil prohibet quin generalibus illis actionis gratiarum, laudumque Deo referendarum vocibus Euchariſtia comprehendi queat, quippe quæ gratiarum actio longè omnium perfectiſſima ſit, & ſacrificium laudis propriè nuncupetur. Verum vbi animaduerteris

eos ad quos ſcribit vitæ ſanctitate vſque adeò excellenti fuiſſe, vt paulò ſuperiùs ſummæ gratiæ loco à Deo poſtulet *Chriſtianorum Epheſinorum, qui in Chriſti gratia firmi permanſerunt ſortis ac felicitatis ſocium & participem ſe fieri.* Vbi animaduerteris eum de iiſdem in eadem Epiſtola ſic loqui. *Qui ſim, & quibus ſcribam intelligo. Ego minimus Ignatius, ſimilis eorum qui capitalis iudicij periculo obnoxij ſunt. Vos miſericordiam conſecuti & in Chriſto* IESV *confirmati.* Vbi, inquam, hæc animaduerteris, nihil erit cur teſtimonio illo vt maximè de Communione ſola intelligatur, quod ſecus ſe habet, abuti velis ad Euchariſtiam pariter iis obtrudendam, qui Chriſtianorum illorum Epheſi degentium virtutis ac pietatis ne ſpeciem quidem & vmbram præſeferant, quique, vt verbis vtar tuis, tanto *ſui ipſorum amore pleni,* tamque *ardenti cupiditate ſeculo adſtricti ſunt,* quanto Dei amore priſci illi fideles pleni, quamque inflammato ſtudio Chriſto vni addicti erant.

ἧς (ζωῆς αἰωνίου) γένοιτό μοι ἐπιτυχεῖν, ἵνα ἐν κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν Χριστιανῶν, οἳ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις πάντοτε συνῆσαν ἐν δυνάμει Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οἶδα τίς εἰμι, καὶ τίσι γράφω. ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος Ἰγνάτιος, καὶ τοῖς ὑπὸ κίνδυνον καὶ κρίσιν παρόμοιος· ὑμεῖς δὲ ἠλεημένοι, ἐστηριγμένοι ἐν Χριστῷ. *Ignat. ibid.*

CAPVT XI.

QVID DE POENITENTIA ET FREQVENTI Communione ſenſerit Cyprianus.

Aduerſarius.

SAnctus Cyprianus exponens verba illa Orationis Dominicæ, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, de ſanctiſſimo Sacramento ea interpretatur, diuinumque illum panem nobis vult eſſe quotidianum, vt aſſiduè in Chriſto viuere & manere poſſimus. Idem Sermone de



Cœna Domini frequentem Communionis vſum diligentiſſimè ſuadet.

RESPONSIO.



SI qua tibi Eccleſiaſticæ Antiquitatis notitia ineſſet, Librum illum de Cœna Domini (tametſi nihil habet quo ſententia tua non elidatur) D. Cypriano adſcribendum non cenſeres; imò te de hac materiâ diſputantem, vel ſolum Beati illius Martyris nomen perterreret ac percelleret. Nemo eſt enim è Sanctis Patribus, qui te luculentiùs doceat quantum diſcrimen adhibendum ſit inter Communionem *Juſtorum* ſiue *Innocentium*, & eorum qui cum animas ſuas lethali vulnere confoderint, eaſdem in nouam vitam reuocare ac reſtituere ſtudent, hoc eſt, *Pœnitentium*. Libri illius magnam partem exſcribendi erunt, ſi demonſtrare velim quanta vi, quamque ſancta & cœleſti quadam iracundiâ incitata feratur eius oratio, dum inuehitur in illos qui ſæuiente perſecutione lapſi, antequam Dei miſericordiam longa & ſeuera pœnitentia, aſſiduis gemitibus, inexhauſtis lachrymis, vigiliis, ciliciis, precibus, ieiuniis, eleemoſynis, piis denique omnis generis operibus placare ſtuduiſſent, ad Sacramentorum vſum admitti poſtulabant.

Vnum tantum aut alterum eius locum proferam, quò tibi vel coram hominibus, vel coram Deo agnoſcere liceat, quam improuidè atque inconſideratè prauam doctrinam tuam tanti viri patroci-

nio fulcire ac commendare ausus fueris. Accipe igitur hæc pauca ex Tractatu eius *de Lapsis* decerpta.

Emersit, fratres dilectissimi, nouum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Euangelij vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis Communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. Persecutio est hæc alia & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occultâ populatione grassatur, vt lamentatio conquiescat, vt dolor sileat, vt delicti memoria euanescat, vt comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum grauiter offensum longâ & plenâ pœnitentiâ deprecetur, cum scriptum sit, Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam.

Quod si ne verborum quidem illorum tam manifesta luce conuinci te pateris, iisque auditis per inanem clementiæ speciem animas etiamnum in fraudem illicere pergis, in te etiam feretur illa, quam in tuis simillimos contorquet oratio. *Hoc sunt eiusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas. Solatium spei æternæ adimunt, arborem à radice subuertunt, sermone morbido ad lethale*

Ibid. paulò superius.

contagium serpunt, nauem scopulis ne in portum perueniat, illidunt.

Quod si hæc ipsa minus sufficere videantur, addet idem Sanctus illam Epistolæ suæ decimæ vocem: *Hæc qui subtrahit fratribus nostris decipit miseros, vt qui possunt agentes pœnitentiam veram Deo Patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur vt magis pereant, & qui erigere se possent, plus cadant.*

Ac ne tergiuersando respondeas eum tantum de Idololatris loqui, subijciet ibidem continuò etiam *in minoribus peccatis agere peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad Exomologesim venire* (hac voce significabant totam agendæ coram Ecclesia pœnitentiæ disciplinam) *& per manus Episcopi & Cleri jus communicationis accipere.*

Ne verò verba hæc ipsi excidisse suspiceris, idipsum Epistola duodecima planiùs ac vehementiùs inculcat. *Nam cum in minoribus delictis*, inquit, *quæ non in Dominum committuntur pœnitentia agatur justo tempore & Exomologesis fiat inspecta vita eius qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita, quanto magis in grauissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundùm disciplinam Domini obseruari oportet?* Quin & ipso quem citauimus Tractatu asserit, vel solam criminis admittendi voluntatem huiusmodi pœnitentia & Exomologesi antequam ad altare tremendum accedatur esse expiandam.

Denique quanto & fide majore & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli faci-

Denique omne tibi effugium præcludet in Epi-

stola ad Antonianum, scribens, *Cum corpora nostra membra sint Christi, & singuli simus templum Dei, quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violare, & qui in peccatis committendis voluntatem Diaboli facit, Dæmonijs & Idolis seruire* (quod genus locutionis cœteris etiam Patribus familiare est) adeoque *Libellaticorum* crimen, (hoc est, eorum qui libellos ab Ethnico Magistratu acceperant, quibus sacrificasse dicerentur, cum tamen minimè sacrificassent) multum adulterio ac simplici fornicationi leuius esse. Hæc si attentiùs expenderis, non temerè audebis posthac, nisi me animus fallit, sententiam tuam clarissimi illius Martyris patrocinio atque autoritate defendere.

nore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hocipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes Exomologesim conscientiæ faciunt, &c. *Cyprian. de Lapsis.*

Quod si ostendam in eo ipso loco quem profers, disertis verbis te ab eodem Cypriano damnari, quis tibi relictus esse videbitur defensionis locus? Accipe ergo voces ipsas testimonij à te prolati, imò resectis iis omnibus quæ cogitationes tuas refellebant, mirandum in modum deprauati. *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.*

Cyprian. de Orat. Dom.

Nonne perspicuum est D. Cyprianum his verbis frequentem Communionis vsum nullo pacto suadere, tantumque asserere eos qui sunt, manent ac viuunt in Christo, quique Eucharistiam singulis diebus accipiunt, Deum precari, vt à grauioribus,

hoc

hoc est mortiferis peccatis, per quæ à Christi corpore separarentur tutos atque immunes præstet. Quod quidem paulò pòst clariùs etiam sic explanat: *Ideò panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus, à sanctificatione eius & corpore non recedamus.* Hoc illum Tertullianus docuerat, qui in Tractatu de Oratione idipsum breuiter ita complectitur. *Petendo panem nostrum quotidianum, perpetuitatem postulamus à Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.*

Idem etiam S. Augustinum imitatum videmus, qui Homilia 42. istum ipsum Orationis Dominicæ locum exponens, studio habuisse videtur Cypriani mentem & sententiam pluribus verbis declarare; quod & aliàs sæpiùs ab ipso factitatum norunt, qui in Operibus ipsius euoluendis exercitati sunt. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium.* PRO SE ROGANT VT BONA FACIANT, VT IN BONITATE ET FIDE ET VITA BONA PERSEVERENT: HOC OPTANT, HOC ORANT, QVIA QVI NON PERSEVERANT IN BONA VITA, SEPARABVNTVR AB ILLO PANE. *Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid est? Sic viuamus, vt ab altari tuo non separemur.*

Nonne vides duos illos sanctissimos viros, perpetuam illam in pietate, in virtute, in fide, in recta vita, in bonis operibus permansionem & constan-

tiam, prorſus neceſſariam conſtituere, ne quis à diuina Euchariſtia repellatur. Tu contra cenſes nulla ſcelera, nulla quamlibet horrenda ac deteſtanda facinora officere, quominus qui ea modo confeſſus fuerit, hoc eſt qui poſt plurimos annos diabolo datos ſemihoram Deo dederit, è veſtigio coram ſuo ſe judice ſiſtat intrepidè. Nec verò homines modo ad tantam audaciam impellis, ſed & temeritatis nomine condemnas eos, qui diuinorum judiciorum terrore perculſi tempus ac ſpatium ſumere velint, quo illius miſericordiam piis operibus placabilem ſibi ac propitiam facere poſſint, antequam diuiniſſimo eius corpore animas ſuas paſcere audeant.

Capvt XII.

Sanctvm Athanasivm perperam fuiſſe prolatum.

Aduerſarius.

Sanctus Athanaſius in prioris Epiſtolæ Pauli ad Cor. cap. 11. ait: Quotieſcumque quis animi ſui conſcientiam rectè excuſſerit ne expectato quidem die feſto diuini Sacramenti compotem fieri debere.

Responsio.


Commentarios aut Homilias in Epiſtolas Pauli non ſcripſit Athanaſius, quod tamen ab illo factum eſſe tua verba ſignificant. Qui enim in antiquioribus Operum illius editionibus commentarij



in Paulum eius nomine circumferebantur, rectè ab aliis sublati sunt, vtpote qui certo illum autorem non habeant. Verum quod ab illo profers quis non amplectatur lubens? Illud tantum quærendum est, quid sit animi conscientiam rectè excussisse. Quod dum explicare conaris, quam multa pecces omnibus me planissimè demonstraturum spero.

Capvt XIII.

Qvid B. Ambrosivs de poenitentia senserit.

Aduersarius.

Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. & lib. 4. cap. 6. clarè loquitur de quotidiana Communione. Valdè notanda illius verba. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Responsio.



Atvriori alius iudicio facilè animaduertisset Libros de Sacramentis ab Ambrosio (si tamen Ambrosij sunt) Neophytis fuisse conscriptos, qui cum è Baptismis aquis innocentia & puritate, imò Christo ipso induti emersissent, moxque S. Spiritus plenitudine in Confirmationis Sacramento cumulati fuissent, ad percipiendam Eucharistiam eam quâ ne sanctior quidem optari queat,

animi præparationem afferebant. Quod vt liquidiùs percipias, audi obſecro quibus illos verbis compellet. *Veniſti ad altare. Vocat te Dominus* IESVS. *Videt te mundum eſſe ab omni peccato, quia delicta deterſa ſunt. Ideo te Sacramentis cœleſtibus dignum judicat, & ideo inuitat ad cœleſte conuiuium, Oſculetur me oſculo oris ſui. Anima tua videt ſe ab omnibus mundatam eſſe peccatis, & dignam quæ ad altare Chriſti poſſit accedere. Videt Sacramenta mirabilia, & ait, Oſculetur me oſculo oris ſui, hoc eſt, Oſculum mihi Chriſtus infigat.*

Ambroſ. l. 5. de Sacram. cap. 2.

Non igitur ex Opere illo in quo ſolos Innocentes affatur, leges peccatorum ad Euchariſtiæ vſum reuocandorum nobis ab Eccleſia præſcriptæ eruendæ ſunt, ſed ex duobus de Pœnitentia Libris qui ſine controuerſia ipſius ſunt, & in quibus de materia illa plenè ac cumulatè diſſeritur. Audi ergo ſuper hac re verba ipſius pauca illa quidem, ſed Chriſtiani vigoris, veritatiſque pleniſſima. *Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi reddi Communionem velint.* (Potuitne planiùs ſententiam tuam efferre?) *Hi non tam ſe ſoluere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

Ambroſ. l. 2. de Pœnit. c. 9.

An huic judicio quidquam addi poteſt? Idipſum tamen, ſi ita poſtulas, Apoſtoli exemplo confirmabit. *Venit in virga* (Paulus) *quia à Communione ſacrâ conuictum remouit. Et benè dicitur tradi Sathanæ qui ſeparatur à Chriſti corpore. Venit etiam in Charitate ſpirituque manſuetudinis: vel quia ſic tradidit vt ſpiritum eius ſaluum faceret, vel quia eum quem antè ſequeſtrauerat, poſteà Sacramentis reddidit.*

Idem l. 1. c. 14.

Audis priuationem Eucharistiæ ab Apostolis inter præcipuas Pœnitentiæ partes fuisse institutam. Tu vero *diabolicum commentum ac stratagema* appellare audes, quod sancti Spiritus discipuli, quod omnium Doctores ac Magistri nationum Ecclesiæ vniuersæ tradidere.

Audis etiam B. Ambrosium non minoris lenitatis ac clementiæ existimare, istam peccatori in animæ salutem pœnam infligere quam eundem postmodum Sacramentorum, vbi per Pœnitentiæ opera à Deo dignus effectus est, Communioni restituere. Adeò illa demum germana ac verè Christiani spiritus propria lenitas est, animarum saluti variis pro varia ipsarum affectione viis, rationibusque consulere: nec vllum esse veriùs crudelitatis genus, quam cum praua indulgentia certa ipsis labes ac pernicies importatur, fitque *blanditijs & palpationibus*, quod ait S. Cyprianus, *vt patiatur lapsorum saucia & ægra mens quod corporaliter quoque ægri & infirmi sæpè patiuntur, vt dum salubres cibos & vtiles potus quasi amaros & abhorrentes respuunt, & illa quæ oblectare, & ad præsens suauia videntur esse, appetunt, perniciem sibi & mortem per inaudientiam & intemperantiam prouocent.* Cyprian. Ep. 28.

Quod si insuper animaduertamus illos Ambrosij de Pœnitentia Libros aduersus hæresim Nouatianorum, qui hominibus post baptismum in peccatum lethale prolapsis recuperandi Eucharistiæ vsus spem omnem dura quadam inhumanitate intercludebant, fuisse conscriptos: facilè judicabimus,

ſi tantum Doctorem opere in illo à veritatis norma vſpiam deflexiſſe ſuſpicari fas eſſet, ipſum nimia indulgentia potiùs quam nimia ſeueritate fuiſſe peccaturum. Et tamen audi obſecro, qua ratione immoderatam hæreticorum iſtorum ſeueritatem acerbitatemque coerceat, qualemque delictorum etiam latentium, vt in Eccleſiæ Communionem reſtitui quis poſſit, pœnitentiam exigat. *Si quis igitur* OCCVLTA CRIMINA HABENS, *propter Chriſtum tamen ſtudiosè pœnitentiam egerit, quomodo iſtic recipit, ſi ei Communio non refunditur? Volo veniam reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; vt ignoſcatur obſecret, & cum ſecundo & tertio fuerit dilata eius Communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe, fletus augeat, miſerabilior poſteà reuertatur, teneat pedes brachijs, oſculetur oſculis, lauet fletibus nec dimittat, vt de ipſo dicat Dominus* IESVS: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum. Cognoui quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lachrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtrauiſſe corpus ſuum calcandum omnibus, ieiuno ore ſemper & pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore præbuiſſe.*

Ambroſ. de Pœnit. l. 1. c. 16.

En vera ac germana Ambroſij ſententia, de præparatione quam qui mortiferis peccatis cœleſtem, vt in eodem Libro loquitur, gemmam, hoc eſt, baptiſmi innocentiam perdiderunt, ad Communionem ſacram afferre debent. Verum quo tua tibi incogitantia planior fiat, addo etiam eodem illo, quem Libri 5. de Sacram. cap. 3. producis loco, te ipſum apertè confici ac jugulari. *Accipe quotidie,*

quod quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie merearis accipere. Nonne hæc postrema verba animum stylumque præcipitantem sustinere atque inhibere debuerunt, cum generatim sine vlla exceptione asseuerare non dubitasti, peccata mortalia nihil officere quominus qui ea confessus fuerit, diuina Eucharistiâ continuo impartiatur, vt jam tibi hominem his Ambrosio planè contrariis vocibus affari liceat, Qualemcumque vitam viuas, qualiacumque crimina admittas, dummodò frequenter confitearis, frequenti etiam Christi corporis communione dignus eris.

Capvt XIV.

Explanatvr eximivs B. Avgvstini locus S. Hilario ab aduersario perperam attributus.

Aduersarius.

Sanctus Hilarius hæc ait: Si peccata tanta non sunt vt excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare confessione scilicet aut peccati contritione priùs adhibita.

Responsio.



Hallvcinaris. Sanctus Hilarius quem Gratiani autoritate ac fide citas, nusquam dicit quod hîc ab illo dictum profers. Hic locus nonnisi apud Augustinum reperitur. Verum si illum è fonte ipso non è fallacibus commentariis prom-

psisses, ac tanti viri cœlestem doctrinam degustasses, non commisisses vnquam vt eo potissimum testimonio vterere, quo pleraque inanis doctrinæ tuæ capita funditus euertuntur. Hoc vero perspicuè demonstrare operæ pretium est, ad leuandos errore fidelium animos, quibus sanctissimorum virorum nomine quasi aureo calice venena propinas.

Extat locus ille apud Augustinum Epistola 118. in qua ad amicum scribens duorum hominum piè viuentium diuersam de adeunda Eucharistia sententiam profert, controuersiamque illam verissima & planè Christiana definitione componit. *Dixerit aliquis, non quotidiè accipiendam Eucharistiam: Quæsieris, quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque viuat, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat: Qui enim manducauerit indignè judicium sibi manducat & bibit. Alius contrà, Imò, inquit, si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint, autoritate Antistitis debet quisque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam & eadem autoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio suo cum libet vel auferat se Communioni vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectiùs inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit*

esse

esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum: Alter dixerit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes diuerso & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quod in primo populo vnicuique Manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat. Sic in ore cuiusque Christiani Sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut Manna fastidium.

Ex tam præclaro testimonio quinque maximi ponderis obseruationes elici possunt.

Prima est, verba quæ ex hoc loco à te producuntur, Augustini suo nomine loquentis non esse, sed alterius è duabus ab ipsa prolatis sententiis rationes continere, quas quidem ita proponit, vt non magis probet, atque haud scio an minùs, quam eas quæ in contrariam partem afferuntur. Sicut inferiùs, vbi testimonio illo iterùm abuti conaberis, planum me facturum spero.

Altera est, Controuersiam quæ illic instituitur non attingere Semichristianos illos qui Euangelij leges cum animorum suorum prauitatibus & corruptelis conciliare nituntur. Qui sempiternam ita

fœlicitatem consequi vellent, vt nihil eorum quibus illa paratur, efficiendum ipsis ac præstandum foret: qui seipsos quodammodo diuidere student, vt partim Deo, partim seculo seruientes æternæ veritati mendacium impingant, quæ apertè denuntiat, *Neminem duobus dominis seruire posse:* quorum omnis vita peccatorum etiam mortalium, Confessionumque inanium atque infructuosarum perpetuâ vicissitudine continetur. Denique, vt vno verbo, eoque tuo, primam illorum mali labem aperiam, *qui sui ipsorum amore tument,* quo fit vt in æternum perire nolint; *& huic seculo stupendum in modum addicti sunt,* quo fit vt quod æternæ perditioni auertendæ necessarium est, amplecti nolint. Non ergo inter eiusmodi homines ab excellenti illo Doctore controuersia talis instituitur, quibus quidem quotidianæ ius Communionis adeò non concessisset, vt vix siuisset ipsos sacris dumtaxat mysteriis interesse. Verum tota eius oratio ad eos pertinet, quorum vita & factis Christianæ religionis sanctitas non dedecoratur, quorum fides spe roboratur, spes charitate alitur atque animatur; qui quotidie peccant quia homines sunt, sed grauiter & lethaliter non peccant quia filij Dei sunt; quibus jus est pasci corpore Christi quòd *ipsi sint,* vt rectè Augustinus, *corpus Christi.* Denique, vt omnia complectamur, disceptatio illa inter duos homines inducitur, quorum alterum sancta quædam teneat auiditas cum illo Zachæi zelo & ardore, quo ad dimidiam bonorum suorum partem pauperibus elargiendam ad-

De Ciu. Dei l.22. cap. 10.

ductus est, meritò conferenda: alterum religiosus quidam pauor cum altissima Centurionis humilitate cuius fidem Christus ipse vniuersi Israelis fidei prætulit, merito comparandus.

Tertia obseruatio est, quæ è secunda fluit & consequitur, D. Augustinum tametsi duas de percipienda Eucharistia dissidentes sententias in medium adducat, Num scilicet præstet eam quotidie sumere, an ab eadem interdum reuerentiæ causâ abstinere, disertis tamen verbis veluti rem inter fideles omnes exploratissimam, quamque in dubium nemo reuocare posset, asserere, vsum cœlestis illius cibi ob mortales culpas esse differendum, peccatoremque ad agendam pœnitentiam ab altari remoueri, nec ad ipsum nisi Sacerdotis autoritate perfunctum pœnitentia reuocari oportere. Neque enim dubium esse potest, quin ab Augustino *plagæ peccati* nomine & *impetus morbi propter quem medicamenta talia* solis valentioribus animis congruentia *differenda sint*, intelligantur peccata quæuis mortalia, quæ, vt alibi loquitur, *vno ictu perimunt*, cum id ipse vltrò agnoscas, hoc eodem testimonio inferiùs probans leuiores & quotidianas culpas ad sacram Communionem impedimento esse non debere. Sin aliter, Augustinus detestabilem atque ab ipsius sensibus longè disiunctissimam opinionem probauerit, eum qui se flagitiis mortalibus inquinet, sacram tamen Eucharistiam sumere quotidie oportere.

Non sum nescius cum homines earum demum

rerum imaginibus animos impreſſos habere ſoleant, quas oculis videre conſueuerunt, cumque his temporibus Excommunicatio certis tantùm peccatis, grauibus illis quidem, ſed non ſemper Deo judice grauiſſimis, per longas formularum, obſeruationumque variarum moras vulgò infligitur, vbi apud SS. Patres in Excommunicationis nomen incidunt, ad eam Excommunicationis imaginem quam in animis informatam habent, continuò illud referre; Et quoniam peccatorum pleraque mortalium, nunc quidem ab Eccleſia Excommunicatione plecti minimè vident, facilè adduci, vt ſuſpicentur ea longè diſſimilia eſſe peccatorum illorum quæ à Patribus Excommunicatione digna memorantur. Verum demonſtrare facilè eſt (quod ſuo loco nos ita præcipuè facturos ſperamus, vt nulla cuiquam de eo dubitandi cauſa relinquatur) in ſacræ Antiquitatis, ac potiſſimum in B. Auguſtini doctrina, has voces, *Excommunicare, A Communione prohibere, Ab altari remouere, A cœleſti pane prohibere*, ſonare vnum & idem, tametſi in hac vna eademque pœna pro perſonarum vel pœnitentium vel impœnitentium varietate, quædam etiam varietas ineſſet, vt alibi dicturi ſumus: Deinde pœnam illam peccatis omnibus lethalibus irrogari ſolitam, hoc eſt, iis quæ appellantur ab ipſo *crimina, ſcelera, flagitia, peccata mortalia, mortifera, lethifera, quæ vno vulnere perimunt, quæ contra ſe claudi faciunt regnum Dei*. quæque opponit ſemper peccatis venialibus, quæ etiam vocat *peccata venialia, leuia, minuta,*

parua, quotidiana, delicta justorum. Illud satis erit indicasse in præsentia quam absurdè in eo quem exponimus loco sanctissimi Doctoris oratio alium in sensum detorqueretur, cum inde consequens esset, quotidianæ Communionis potestatem eum permisisse hominibus, qui peccata mortalia in se suscipèrent, quæ tamen Christiani boni minimè admittunt, sicut alibi disertis verbis ab ipso asseritur, *Quæ non facit bonæ fidei & bonæ spei Christianus.* *August. de verb. Apost. serm. 29.*

Quarta, & quidem ad eam quam tanta audacia violasti veritatem, propugnandam grauissima obseruatio est, ex doctrina Ecclesiastica à sanctissimo illo Doctore exposita Christi Corpus indignè sumi, non solum cum sumitur ab eo cuius mens peccati alicuius mortiferi labe corrupta sit, sed etiam cum eo tempore quo peccatorum esset agenda pœnitentia suscipitur. *Hoc est enim*, inquit, *indignè accipere, si eo tempore accipiat quo debet agere pœnitentiam.* Potuitne clariùs propositionis illius coarguere falsitatem qua asseris, *nunquam Ecclesiæ morem fuisse, vt peccatorum mortalium reis pœnitentia ante Communionem certò tempore peragenda indiceretur.* An non metuis ne præclarissimus ille Ecclesiæ Magister, quem in iis qui sanctissimis illius decretis parere velint, confidenter damnas, in te coram Deo judice insurgat aliquando, contendatque non se sed Ecclesiam vniuersam, cuius ipse hac in causa nonnisi testis & quasi vox fuit, tua sententia fuisse damnatam.

Hoc tibi quietiùs expendendum relinquo, vt

jam quintam postremamque obseruationem adijciam, ex quâ agnoscas quam inconsultè jubeas, ad sacram Eucharistiam sine vlla prorsus formidine accedi, vniuersèque arguas eos qui religiosi timoris ac reuerentiæ causa se ad quoddam tempus ab ea submouent. Modò enim demonstrauimus illum virum, cuius mentem Deus eximia & singulari luce cumularat, duorum hominum quorum alter Communionem frequentissimè adeundam, alter ab ea interdum modestiæ causa secedendum arbitratur, propositis vicissim rationibus in gratiam alterutrius judicium ferre minimè ausum, sed hortari tantum vt pacem concordiamque teneant, & suæ quisque fidei impulsum sequantur. Centurio enim ille, vt idem inquit, qui Saluatori ait, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum*, & Zachæus qui gaudens eum in domum suam suscepit, *ambo quidem Saluatorem honorificarunt, sed nec litigauerunt inter se, nec quisquam eorum se alteri præposuit. Neuter enim,* inquit, *duorum illorum hominum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, sed certatim potiùs honorare contendunt, solumque fastidium & contemptum cibus iste non patitur.*

Agnosce, obsecro, quam eximiæ hæ voces æquissima moderatione temperatæ à judiciorum tuorum præcipiti confidentia discrepent, nec posthac ita labora, in Patrum multorum qui tibi nomine tantum noti sunt, congerendis testimoniis, quò rudibus & imperitis ex eorum mente & sensibus disputare videare.

CAPVT XV.

QVANTVM B. AVGVSTINVS AB HVIVS Autoris opinione diſſentiat.

Aduerſarius.

AVguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini. Quotidianus panis eſt, accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.

RESPONSIO.

ERVDITIOR quiſpiam & ſolidi iudicij, reſpondendi ad hunc articulum onere me leuaſſet. Modò enim Auguſtini locum Hilarij nomine producebas; nunc quaſi tantundem reſtituens ipſi quantum abſtuleras, alterum illi ab eo prorſus alienum adſcribis quem alterius nomine ipſe paulò antè protuliſti. Diſce igitur (quando id neſcire te probas) Sermonem illum 28. de verb. Domini, nihil aliud eſſe quam Ambroſij de Sacramentis lib. quinti caput quartum, vt à Doctoribus Louanienſibus jampridem obſeruatum eſt. Hoc nimirum ſpecimen eſt eruditionis tuæ: Iudicij verò, quod teſtimonium iſtud iterum profers, cui aſſentire nequeas, vt ſuperiùs à nobis oſtenſum eſt, quin eadem operâ in te ipſe ſententiam feras.

Æquum tamen haud fuerit nos tua iſta aberratione impediri, quò minùs palàm aperiamus, quid ſuper hac materia ſenſerit vir ille maximus, in quo

exornando natura & gratia certatim quasi conspirasse videntur, vt splendidissimum, quod ab Apostolorum temporibus Ecclesiæ præluxerit, lumen excitarent. Ac verborum quidem quæ in superiori Capite ab illo in te contorta sunt, vis ac splendor, mentis, opinor, tuæ oculos etiamnum perstrictos tenet. Quod si quid contra mutire audeas, aliis etiam alio loco à se prolatis vocibus continuò te obruet, quarum propriæ autoritati Ecclesiæ insuper quæ illas in diuinum officium inseri dignas censuit, accessit autoritas. Extant illæ in Sermone 252. de Tempore, & habes eas in solennibus Ecclesiæ Dedicationis Lectionibus. Quò libentiùs eas mihi proferendas censui, quod ignotæ tibi esse non possunt. Lege illas, obsecro, quieta & sedata mente, atque vtrum cum doctrina tua consentiant, vel ipse judex esto.

Ideò, fratres charissimi, vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine (hoc est peccato mortali, quemadmodum Pater ille passim loquitur) *vulneratum esse cognouerit*, PRIVS ORATIONIBVS, IEIVNIIS, VEL ELEEMOSYNIS STVDEAT MVNDARE CONSCIENTIAM SVAM, ET SIC EVCHARISTIAM PRÆSVMAT ACCIPERE. *Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à diuino altari subtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ misericordiæ perueniet. Quia sicut qui se exaltat humiliabitur, ita è contrario qui se humiliat exaltabitur. Qui enim sicut dixi, cognoscens reatum suum ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit,*

ab

ab æterno illo & cœlesti conuiuio excommunicari penitùs non timebit.

Quam incommodè cum Ecclesia actum est, quod ad postremam Breuiarij rationem à Summo Pontifice accersitus haud fueris. Admonuisses scilicet, vt Lectiones illas quibus adeò perniciosum & *Ecclesiæ præsentis vsui*, vt ais, adeò aduersarium dogma contineretur, resecandas curaret. Docuisses etiam *temerarium* quempiam per eas moueri posse, vt à ratione & praxi tua, hoc est, à praxi generali Ecclesiæ, quandoquidem totam Ecclesiam ex nutu tuo suspendis, discedere audeat. Denique eam de te opinionem præbes, vt credere liceat, si quando ad Lectiones illas recitandas accesseris, daturum operam, vt *artificium istud ac stratagema Dæmonis*, quo nomine doctrinam quam exhibent appellas, abomineris & exsuffles: aut si fortè tanti zeli æstum Augustini autoritas comprimet, aliquid saltem tecum excogitaturum, quo tanquam antidoto venenum depellas, ne cui fortè rudiori ac minimè malo ea cogitatio, *quæ à S. Spiritu oriri nequeat*, suboriatur, vt à diuino altari per modestiam recedendum putet, vbi se peccato mortali vulneratum esse cognouerit, nec eodem redeundum, nisi posteaquam orationibus, ieiuniis & eleemosynis conscientiam aliquamdiu mundare studuerit.

Capvt XVI.

Testimonivm Gennadii perperam vsurpatum quod alio loco fusiùs explanabitur.

Aduersarius.

Verum quidem est in Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, quem multi S. Augustino, alij Gennadio Presbytero eius æquali attribuunt, quotidianam Communionem nec probari, nec improbari. Sed id generatim ac vniuersè accipiendum est, non singulatim de ijs qui piè & cum virtute viuere instituunt.

Responsio.



Mitto quod nihil dum explorati habes de vero Autore Libri Dogmatum Ecclesiasticorum, quem eruditorum consensus jampridem Gennadio restituit, vel quod ipsum Augustino æqualem facis, qui sexaginta ampliùs annis, antequam Gennadius ad scribendum se contulisset, obierat. Vtinam grauiora nusquam peccasses.

Verum glossematis tui absurditas vix ferenda est. Censes enim cum Augustinus, vel Gennadius quotidianam Communionem nec probat nec improbat, de iis qui piè viuere volunt intelligendum id minimè esse. Restat ergo vt id de aliis intelligatur, quam de iis qui piè viuere volunt. Ita iuxta mirabilem istam interpretationem Augustinus vel Gennadius decernere ac pronuntiare noluerit,

num iis quos in illorum numero reponere non possis qui piè viuere volunt, fructuosa sit quotidiana Communio. Et quoniam idem Autor Communionem diei cuiusque Dominicæ suadet iis quibus quotidianam suadere non audet, efficietur eos qui pium viuendi genus non profiteantur, ab ipso ad Eucharistiam die quaque Dominica percipiendam impelli. Intelligis, opinor, è tuis verbis propositiones istas necessariò fluere, quibus tamen ita pietas Christiana violatur, vt iis vel teipsum percelli crediderim. Hæc tantum in præsentia de Gennadij testimonio de quo plura addituri sumus alio loco, vbi ad adulterinæ doctrinæ tuæ subsidium illo iterum rursus abuteris.

Infrà cap. 20. 21. & 22.

Capvt XVII.

S. HIERONIMVS IMPROVIDE CITATVS.

Aduersarius.

Sanctus item Hieronymus quotidianam Communionem nec probat, nec improbat: tantum conjuges cum Eucharistiam sumere parant conjugij vsu optat abstinere. Quod consilium optimum est, cum illo vti licet, saluis matrimonij legibus.

Responsio.



Nihil erat cur hoc Hieronymi testimonium proferendum tibi arbitrarere, tum quod attingat argumentum de quo prudenter admodum sobriè que dicendum est; tum quod nihil afferat quod tibi

planiſſimè non repugnet. Si enim Sanctus Doctor cenſet ob rem per ſe innoxiam, quæ tamen aliqua generalis illius labis, quâ humana natura per peccatum infecta eſt, contagione implicetur, Communionem differendam; quid eum tandem de flagitioſis eiuſdem generis criminoſiſque actionibus æquum eſt cenſuiſſe? An ille impudicitiam mitius & clementius quam matrimonium tractaret? An qui fideles ſacro illo vinculo copulatos antequam ad ſacram Euchariſtiam adeant, Apoſtoli conſilio exiſtimat vti debere, homines quorum mens tota libidinum atq; impuritatum ſuarum fœdis etiamnum imaginibus obducitur, ſtatim vt confeſſi eſſent, quemadmodum jubes, ad altare tremendum mitteret? Pluribus tecum hoc loco non agam. Erit fortaſſe vbi quid Hieronymus de præparationibus ad cœleſtes illas epulas adhibendis cenſuerit, opportuniùs ediſſeratur.


CAPVT XVIII.

QVA AFFECTIONE ANIMI EX IOANNIS Chryſoſtomi ſententia, ſacra ſit adeunda Communio.

Aduerſarius.

Diuus Chryſoſtomus varijs in locis mira loquitur, vt fideles omnes ad Communionem frequentandam inducat. Ex quibus duo in primis notanda ſunt: alterum, non eſſe cur qui Euchariſtiâ abſtineat, ampliorem ſe ei honorem ac reuerentiam exhibere putet: Alterum ipſa Communionis dilatione nos ad eandem paratiores atque inſtructiores non effici.

RESPONSIO.



NÆ tu homines leues admodum & credulos existimas, si postquam tot in proferendis autoribus hallucinationum manifestè conuictus fuisti, nunc cum vndecim volumina verbulo citas, fidem tibi tantum affirmanti habendam censes. Et tamen ingens illa Operum Chrysostomi moles ac varietas nihil prohibebit, quin te non minùs illius quam cæterorum Patrum autoritate abuti doceam, nec quicquam ex eo quo veritas quam assero non adstruatur, fallacesque quas propugnas regulæ non destruantur, afferre te posse defendam.

Oppones forsitan ex quadam eius homilia, *famem esse ac mortem, mystici illius conuiuij communicatione non frui, mensam illam esse animæ nostræ robur, mentis cum Deo vinculum, fiduciæ nostræ firmamentum, spem, salutem, lucem denique ac vitam nostram. Nos si sacrificij huius participes è vita excesserimus, magna cum fiducia cœli atria sacra ingressuros, quasi quibusdam aureis armis septos vndequaque ac communitos. Quin tanti mysterij virtute terram in cœlum conuerti: si quidem quod in cœlis pretiosissimum est, maximèque venerandum Angelorum scilicet omnium Regis ac Domini corpus nobis videndum exhibeat, neque videndum modo, sed etiam contrectandum ac degustandum.*

ὥσπερ τὸ ὡς ἔτυχε προσιέναι κίνδυνος· οὕτω τὸ μὴ κοινωνεῖν τῶν μυστικῶν δείπνων ἐκείνων λιμὸς καὶ θάνατος. αὕτη γὰρ ἡ τράπεζα τῆς ψυχῆς ἡμῶν τὰ νεῦρα, τῆς διανοίας ὁ σύνδεσμος, τῆς παῤῥησίας ἡ ὑπόθεσις, ἡ ἐλπὶς, ἡ σωτηρία, τὸ φῶς, ἡ ζωή. μετὰ ταύτης ἀπελθόντες ἐκεῖ τῆς θυσίας, ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ τῶν ἱερῶν ἐπιβησόμεθα προθύρων,

His omnibus prorsus ac libenter assentimur, eaque si opus erit, vel sanguine nostro obsignabimus. At ne forsitan illis abutare, quod subijcit ibidem,

hîc attexemus. Tu vide quî tandem cum tuis componi possint.

Tua sententia est, *quantumcumque languorem & quasi frigus in seipso quis experiatur, modo absit lethale peccatum, sacram eum Eucharistiam adire debere*: At vir ille sanctissimus [a] *non sine feruore & inflammata atque ignita charitate adeundam illam censet, ne in supplicium incurramus.*

Tua sententia est, etiam *cum exiguus in anima inest pietatis sensus, conuolandum nihilominus intrepidè ad altare, & quicquid à Christo 6. Joannis capite de hoc mysterio dicitur, ad omnem quæ ab illo deterrere nos posset depellendam formidinem dictum videri*: Ille contrà iubet, [b] *vt sacro quodam horrore perfundamur, & reuerentiam multò majorem hîc exhibeamus, quam cum Magi procidentes Christum adorauerunt: ne si temerè & inconsideratè accesserimus, carbones ignis super caput nostrum congeramus.*

Tua sententia est, *quo quis à gratia desertior est, eo ad percipiendam Eucharistiam confidentiorem esse debere.* Contra Patriarcha beatissimus nos admonet, [c] *Ne nobis ipsis per impudentiam mortem consciscamus, atque vt nonnisi tremebundi ac purissimi cœlesti illi mensæ accumbamus.*

Tua sententia est, eos *qui sui amore tument, ac stupendum in modum seculo addicti sunt, si Eucharistiam frequentent, optimè facturos, & magno Christum honore affecturos*: Ille contrà asserit, [d] *Christum aquilas vocare eos qui ad corpus suum conueniunt, iuxta illud Euangelij oraculum, Vbi corpus, ibi congregabuntur & aquilæ,*

ὥσπερ ποῖν ἔπαλοις χρυσοῖς περιπεφραγμένοι πάντοθεν. καὶ τί λέγω τὰ μέλλοντα; ἐνταῦτα γὰρ σοι τὴν γῆν οὐρανὸν ποιεῖ τοῦτο τὸ μυστήριον, &c. *Chrysost. homil.* 24. *in c.* 10. 1. *ad Cor.*

a προσίωμεν τοίνυν μετὰ θερμότητος αὐτῷ καὶ πεπυρωμένης ἀγάπης, μὴ ὑπομείνωμεν τιμωρίαν. *Ib.*

b διαναστήσωμεν τοίνυν ἑαυτοὺς, καὶ φρίξωμεν, καὶ πολλῷ τῶν βαρβάρων ἐκείνων πλείονα ἐπιδειξώμεθα τὴν εὐλάβειαν, ἵνα μὴ ἁπλῶς μηδὲ ὡς ἔτυχε προσελθόντες πῦρ ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν σωρεύσωμεν κεφαλήν. *Ibid. infrà.*

c μὴ, παρακαλῶ, μὴ κατασφάξωμεν ἑαυτοὺς διὰ τῆς ἀναισχυντίας, ἀλλὰ μετὰ φρίκης καὶ καθαρότητος ἁπάσης αὐτῷ προσίωμεν. *Ibid.*

d ἀετοὺς γὰρ

vt oſtendatur, inquit, *eiuſmodi animas ſublimes & in cœlum erectas eſſe oportere, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorſum trahantur aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, ſed quæ indeſinenter ſurſum euolent, ipſumque juſtitiæ ſolem acutis ac perſpicacibus mentis oculis intueantur. Hæc enim menſa aquilarum eſt non gracculorum.*

Quod ſi hæc homilia tuis minùs ſenſibus accommodata videtur, ad alteram fortaſſe confugies, in qua eorum qui ad Euchariſtiam non accedebant, negligentiam coarguens, [a] *Fruſtrà*, inquit, *eſt quotidianum ſacrificium: fruſtrà adſtamus altari: nemo eſt qui participet.* At vide ne prætermittas quæ ſequuntur. *Hæc non eo dico, vt participetis quocumque modo, ſed vt vos dignos præſtetis. Non es dignus ſacrificio neque participatione? Ergo nec precum communione. Audis Diaconum ſtantem & proclamantem:* EXEANT QVOTQVOT SVNT IN POENITENTIA. *Si ex ijs es, non debes participare.* Vnde poſteà infert, *Illos ab Eccleſiæ limine eſſe arcendos quemadmodum nec famulis qui Domini iram in ſe concitarint eidem ad menſam ſedenti adſtare conceditur.*

Atqui hîc duo quædam obſeruatu digna attentiùs mecum expendas velim; ſicut & duo illa quæ tu obſeruanda exiſtimaſti, mox ego viciſſim expendo.

Primum, vocem quam modo audiſti, EXEANT POENITENTES, quæ non Chryſoſtomi, ſed Eccleſiæ per miniſtros in diuinorum celebratione myſteriorum loquentis, vox eſt, non eos tantum

καλεῖ, δεικνὺς ὅτι καὶ ὑψηλὸν εἶναι δεῖ τὴν προσιοῦσαν τῷ σώματι τούτῳ, καὶ μηδὲν πρὸς τὴν γῆν κοινὸν ἔχειν, μηδὲ κάτω σύρεσθαι, καὶ ἕρπειν, ἀλλ' ἀνίπτασθαι διηνεκῶς, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης ὁρᾶν, καὶ ὀξυδερκὲς τὸ ὄμμα τῆς διανοίας ἔχειν, ἀετῶν γὰρ οὐ κολοιῶν αὕτη ἡ τράπεζα. Chryſ. ibid.

a Homil. 3. in c. 1. Epiſt. ad Epheſ. εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων. ταῦτα, οὐχ ἵνα ἁπλῶς μετέχητε, λέγω, ἀλλ' ἵνα ἀξίους ἑαυτοὺς κατασκευάζητε. οὐκ εἶ τῆς θυσίας ἄξιος, οὐδὲ τῆς μεταλήψεως; οὐκοῦν οὐδὲ τῆς εὐχῆς. ἀκούεις ἑστῶτος τοῦ κήρυκος καὶ λέγοντος, ὅσοι ἐν μετανοίᾳ ἀπέλθετε πάν-

τες ὅσοι μὴ μετέχουσιν, ἐν μετανοία εἰσίν. εἰ τῶν ἐν μετανοία εἶ, μετέχειν οὐκ ὀφείλεις.

qui in peccatorum ſordibus etiamnum demerſi volutantur, ſed & eos qui fungendæ pœnitentiæ ſtudent, à templi liminibus arcere. Quapropter quamdiu vox iſta in ſacris Eccleſiæ conſeruata monimentis auribus noſtris inſonabit, tuam qua peccatores ex more & praxi Eccleſiæ pœnitentiam vnquam ante Communionem pluribus diebus egiſſe negas, audire atque accipere omnino difficile erit.

Alterum eſt, D. Chryſoſtomum tametſi hoc loco prauam ac peruerſam eorum negligentiam, qui per contemptum vel ſalutis iniuriam, perrarò ad Euchariſtiam ſacram accederent, inſectari ſtatuiſſet, tamen intra fines ac limites in huius adminiſtratione Sacramenti ab ipſo Spiritu ſancto præfixos ſtudioſè ſe continuiſſe, nec inconſultis aberrationibus tuis vllum vel in ſpeciem locum reliquiſſe. Fideles omnes promiſcuè ac ſine delectu (quod ei falsò adſcribis) ad Communionem non impellit. Monet atque hortatur ante omnia vt ſe dignos qui eâ frequenter impartiantur, præbeant. Obteſtatur & obſecrat ne ſacris interſint myſteriis ſi eorum perceptione digni non ſint. Qui in Pœnitentiæ actione verſantur, indignos Communione pronuntiat. Eos denique vehementiùs increpat, qui Communionis tempora inſigniorum ſolennitatum occurſu non animæ integritate metiuntur. Sed jam diuinas ipſius voces ex eadem Homilia depromptas audiamus.

Πολλοὺς ὁρῶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ

Multos video, inquit, *qui Corpus Chriſti accipiunt temerè & perfunctoriè, idque eo potiùs quod in vſum ac*

legem

legem quandam videatur abiisse, quam quod judicio & ratione ducantur. Si Quadragesimæ tempus instet, aut Epiphaniæ celebritas, qualescumque tandem illi fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt. At certè temporis ratio tempestiuum ad ea accessum non facit. Neque enim Quadragesimæ, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt vt dignè accedamus, sed animæ integritas atque innocentia. Hæc si adsit, semper accedito: si absit, nunquam. Cogita quantam adhibebant diligentiam ac reuerentiam, qui ad veteris sacrificij victimas participandas se accingebant, quanto conatu ac studio omnia agebant, vt omni ex parte puri ac mundi accederent. Tu verò qui hostiam attingis, quam vel ipsi tremebundi ac stupentes Angeli venerantur, nihil aliud curas, nihil aliud obseruas, quam stata temporum festorumque recurrentium interualla. Intuere vasa ipsa lota & tersa quanto nitore fulgeant. Atqui his longè nitidiores oportet esse animas nostras, longè sanctiores & splendidiores. Illa enim nonnisi nostra causa tanto studio adornantur.

Verum vt vel maximè cæcis clareat, magnum Antistitem de fidelibus ad eam quæ cœlestis huius Sacramenti vsui necessaria est morum sanctitatem adducendis, quam de quibuslibet indiscriminatim (vt persuadere niteris) ad frequentandum ipsum propellendis, longè vehementiùs laborare: patere, obsecro, nos aliquas etiam cœlesti eius eloquentia, diuinoque quo feruebat spiritu dignissimas voces afferre. Habentur illæ Homilia eiusdem 17. in Epistolam ad Hebræos, in quâ Eucharistiæ sacrificio diuinitùs explanato, hæreticorumque nostrorum

μετέχοντας ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε, καὶ συνηθείᾳ μᾶλλον καὶ νόμῳ, ἢ λογισμῷ καὶ διανοίᾳ. Ἂν ἐπιστῇ, φησὶν, ὁ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς καιρὸς, οἷος ἐὰν ᾖ τις μετέχει τῶν μυστηρίων. Ἂν ἐπιστῇ τῶν Ἐπιφανίων ἡμέρα. Καίτοι καιρὸς οὐ τοῦτο προσόδου, οὐκ Ἐπιφάνια, οὐδὲ τεσσαρακοστὴ ποιεῖ ἀξίους τοῦ προσιέναι, ἀλλὰ ψυχῆς εἰλικρίνεια καὶ καθαρότης. Μετὰ ταύτης ἀεὶ πρόσιθι, χωρὶς ταύτης μηδέποτε. Ἐννόησον οἱ τῆς θυσίας μετέχοντες τῆς παλαιᾶς, πόσῃ ἐκέχρηντο τῇ φειδοῖ, τί οὐκ ἀπεῖχον, τί οὐκ ἐποίουν, πάντοτε καθαίροντο. Σὺ δὲ θυσίᾳ προσιὼν, ἣν καὶ ἄγγελοι φρίττουσι, καιρῶν περιόδοις τὸ πρᾶγμα ὁρίζεις; Τί δὲ οὐχ ὁρᾷς τὰ σκεύη οὕτω περικλυζό-

impietate multo ante præfocata, hæc deinceps addit. [a] *Sed quoniam ſacrificij mentio incidit, vobis qui initiati eſtis, pauca dicere cupio, pauca quidem ſi verba numerentur, ſed præclara ac maxima ſi vtilitas ac pondus attendatur. Neque enim dicta noſtra, ſed Spiritus ſancti dictata ſunt. Quid igitur illud eſt? Multi ſemel in anno ſacrificij huius participes fiunt, alij bis, alij ſæpiùs. Ad hos ergo omnes mea conuertitur oratio: Nec ſolum ad eos qui hîc adſtant, ſed ad eos etiam qui in Eremo degunt, quippe qui ſemel tantum in anno, plerumque etiam poſt duos annos ſacra Communione impartiuntur.* QVOS IGITVR POTISSIMVM LAVDABIMVS? AN QVI SEMEL? AN QVI FREQVENTIVS? AN QVI RARIVS COMMVNIONEM ADEVNT? NEQVE HOS, NEQVE ILLOS, SED EOS DEMVM QVI CVM PVRÆ MENTIS CONSCIENTIA, QVI MVNDO CORDE, AC VITA INTEGRA ATQVE INCVLPATA, CHRISTI CORPORE REFICIVNTVR. TALES SEMPER ACCEDANT: COETERI NEC SEMEL ACCEDANT. *Quid ita? quia judicium ſibi ſumunt & condemnationem & pœnam & ſupplicium. Quod ſanè mirum videri non debet. Nam quemadmodum alimentum quod natura ſua nutriendi vim obtinet, ſi in ventriculum nauſeantem atque impurum ingeſtum fuerit, ipſum grauat, damnis auget, atque adeò inuecta multiplici corruptela morbos creat, idem quoque ijs accidit, qui malè affecto animo tremenda illa perinde ac veneranda Sacramenta manducat.*

Dic tandem, quæſo, num videatur fideles quoſlibet ad frequentem Communionem ſine vllo diſ-

μένα, οὕτως ἀπολάμποντα· τούτων καθαρωτέρας ἡμῖν εἶναι δεῖ τὰς ψυχάς, τούτων ἀκηρατέρας καὶ λαμπροτέρας. τί δήποτε; ὅτι ἐκεῖνα δι' ἡμᾶς τοιαῦτα γίνεται.

a Ἀλλ' ἐπειδὴ τῆς θυσίας ταύτης ἐμνήσθην, βούλομαι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τοὺς μεμυημένους, μικρὰ μὲν τῷ μέτρῳ, μεγάλην δὲ ἔχοντα τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν ὠφέλειαν. οὐ γὰρ ἡμέτερά ἐστιν, ἀλλὰ τοῦ θείου πνεύματος τὰ λεγόμενα. τί οὖν ἐστι; πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ, ἕτεροι δίς, ἄλλοι πολλάκις. πρὸς οὖν ἅπαντας ἡμῖν ὁ λόγος ἐστίν· οὐ πρὸς τοὺς ἐνταῦθα μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ καθεζομένους. ἐκεῖνοι γὰρ ἅ-

crimine impellere, qui eos omnes qui cordis puritatem atque inculpatæ vitæ integritatem non affetant, à Sacro ſanctis arcet altaribus? Num hæc oratio ad cœleſtem menſam inuitet eos qui ſui amore pleni atque huic ſeculo tenaciſſimè adſtricti ſunt? Num qui in quibuſcumque hominibus nec frequentiam nec raritatem Communionis, ſed adhibitæ tantum affectionis animi integritatem probandam exiſtimat, dogmatis aſſentiatur tuis, qui pari temeritate quotquot Euchariſtiam frequentant vniuersè collaudas, & quotquot ad eam rariùs adeunt, quocumque demum conſilio id faciant, vniuersè ac ſine vlla exceptione condemnas? Denique tremendæ illæ voces quæ vel juſtiſſimo cuique horrori ſunt, tibine dæmonis ſtratagemata homines à frequentanda Euchariſtia deterrentis poterunt eſſe, etiam ſanctiſſimo Epiſcopo palàm apud populum profitente ſe non niſi ſancti Spiritus oracula editurum?

CAPVT XIX.

DE DVOBVS DOGMATIS D. CHRYSOSTOMO ab Aduerſario falsò aſcriptis. Altero, eum qui à Chriſti corpore ſe abſtinet majorem illi reuerentiam non exhibere: Altero, Communionis dilatione & morâ nos eadem digniores minimè effici.



VERVM nimis jam multa de re adeò perſpicua. Sequitur vt ad duo illa veniamus quæ tu animaduerſione digna exiſtimas, & reuera ſunt, ſed longè alio modo ac exiſtimas. Cum enim D. Chryſoſtomum

---

παξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετέχουσι, πολλάκις δὲ καὶ διὰ δύο ἐτῶν· τί οὖν; τίνας ἀποδεξόμεθα, τοὺς ἅπαξ, τοὺς πολλάκις, τοὺς ὀλιγάκις; οὔτε τοὺς ἅπαξ. οὔτε τοὺς πολλάκις. οὔτε τοὺς ὀλιγάκις ἀλλὰ τοὺς μετὰ καθαροῦ συνειδότος, τοὺς μετὰ καθαρᾶς καρδίας, τοὺς μετὰ βίου ἀλήπτου. οἱ τοιοῦτοι ἀεὶ προσίτωσαν· οἱ δὲ μὴ τοιοῦτοι, μηδὲ ἅπαξ. τί δήποτε; ὅτι κρίμα ἑαυτοῖς λαμβάνουσι, καὶ κατάκριμα, καὶ κόλασιν. καὶ τιμωρίαν· καὶ μὴ θαυμάσῃς. ὥσπερ γὰρ ἡ τροφὴ φύσει οὖσα θρεπτική, ἐὰν εἰς κακόσιτον ἐμπέσῃ πάντα ἀπόλλυσι καὶ διαφθείρει, καὶ γίνεται νόσου ἀφορμή, οὕτω δὴ καὶ ταῦτα τὰ φρικτὰ μυστήρια.

docentem facis nihil esse quod qui à Christi corpore secedit, majorem se illi reuerentiam exhibere putet, & Communionis dilatione nos eadem digniores minimè effici: vel de iis loqueris qui per desidiam diuinarumque rerum incuriam à sacra Eucharistiâ se remouent, & ob eam causam dum ab illa absunt de animo ad susceptionem illius præparando ac componendo nihil laborant; & ita vanissimam ac planè superuacaneam obseruationem affers. Quis enim dubitet, quin is qui per supinam illam negligentiam, aut exiguam de tantis mysteriis opinionem, aut superbiam, aut solum timorem omni humilitatis atque amoris sensu destitutum à Communione se abstinet, summam vituperationem mereatur? Hoc quippe illud est commemoratum ab Augustino, quod cœlestis ille cibus non potest ferre fastidium. Quare vniuersum hoc hominum genus SS. Patrum æquissimis ac verissimis reprehensionibus exagitatur. Sin autem generatim istuc intelligis (quemadmodum orationis tuæ series significat) de iis omnibus qui ab Eucharistia secedunt, quacumque tandem voluntate ac consilio id agant, quocumque interim studio ac diligentia ad eam puriùs postmodum ac sanctiùs suscipiendam se componant, prauissimi dogmatis istius ex quo vnam è regulis concinnas tuis falsitatem ex Scripturæ sacræ, SS. Patrum, & Ecclesiæ totius consensu aperiendam opportuniùs in alium locum reseruamus. Nunc quidem satis habebo D. Chrysostomum à calumnia tua vindicare, docereque duo

ista capita quæ illi obtrudis à germanis ipsius sensibus non minùs quam à luce tenebras dissidere.

Tantùm enim abest, vt insignis ille Doctor improbet, si quis Christi sanguinis per peccata mortalia sæpiùs conculcati sibi conscius suo se ipse judicio mysteriorum perceptione indignum judicet, indignitatisque illius causa ab iis tantisper abscedat, dum peccatorum maculas pœnitentiæ laboribus eluerit: tantum, inquam, abest, vt D. Chrysostomus secessionem istam improbandam, dilationemque eiusmodi vanam & inutilem existimet (quę duo illi temerè affingis) vt contra ex communi conspirantique omnium Patrum doctrina veros Pœnitentes eam à qua prolapsi sunt morum integritatem hoc humilitatis genere sensim ac pedetentim redintegrare, & Christi priùs verbo quam Christi corpore pasci debere existimet.

Quod vt planè intelligas, consulenda tibi homilia de filio prodigo, in quo eximium vnum misericordiæ Dei exemplum omniumque verè pœnitentium præclarissimam imaginem constituit. Explanans enim verba illa, *Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis*, ita loquitur: *Ne me abigas ab aula tua, Domine, vt ne rursum me inuentum hostis errantem velut captiuum abducat. Neque me ad tremendam & mysticam mensam tuam accedere compellas. Non enim ausim impuris oculis Sancta Sanctorum intueri. Patere me tantum cum Catechumenis in ima Ecclesiæ parte ad fores consistere: vt mysteria contemplans quæ in ea celebrantur eorum rursus particeps sensim fieri*

μήτε τῆς αὐλῆς σου, ἀποπέμψῃς με, Δέσποτα, ἵνα μὴ πάλιν ὁ πολέμιος εὑρών με πεπλανημένον, ὡς αἰχμάλωτον ἀπαγάγῃ. μήτε πλησίον ἐλ-

concupiſcam, vt ſacris Verbi diuini laticibus perfuſus, ſordes abſtergam, quas aures meæ ſpurcarum cantilenarum auditâ turpitudine contraxerunt, vt cum margaritas tuas à ſanctis viris piè rapi videro, ego quoque tanti muneris ſuſceptione dignas manus habere ſtudeam.

κύσης με τῆς φοβερᾶς σου καὶ μυστικῆς τραπέζης. οὐ γὰρ τολμῶ ὀφθαλμοῖς ἐναγέσιν ὁρᾶν τῶν ἁγίων τὰ ἅγια. ἔασόν με στῆναι μετὰ τῶν κατηχουμένων, τῶν θυρῶν τῆς ἐκκλησίας ἔνδον. ἵνα θεωρῶν τὰ ἐν αὐτῇ τελούμενα μυστήρια, ποθήσω κατὰ μικρὸν ταῦτα πάλιν ἀναλαβεῖν. ἵνα τοῖς θείοις νάμασιν ἐπαντλούμενος ἀποσμήξω τὴν αἰσχύνην τῶν αἰσχρῶν ᾀσμάτων, τὸν ῥύπον τὸν ἐγκείμενον ταῖς ἐμαῖς ἀκοαῖς. ἵνα θεωρῶν τοὺς σοὺς μαργαρίτας ἁρπαζομένους ὑπὸ τῶν εὐσεβῶν ἀνδρῶν, ἐπιθυμήσω κἀγὼ κτήσασθαι χεῖρας ἀξίας τῆς τούτων ὑποδοχῆς. *Chryſ. tom. 6. in Parab. de Prodigo.*

Ita vir ſummus interpretatur ſolennem Eccleſiæ diſciplinam in eos qui per flagitiorum lethalium ſordes baptiſmatis ſanctitate polluta, diuiniſſimoque theſauro dilapidato in cœleſtis Patris ſinum confugere vellent. Talem ſententiam Diaconi voce in eos intorquebat Eccleſia, cum omnes qui in Pœnitentia verſarentur, diſcedere juberet. Sic illa accipiendam docebat Apoſtoli vocem, *Vnumquemque probare ſeipſum* ac dijudicare præcipientis, ne Chriſti corpus in judicium ſuum damnationemque conuertat.

Tali ab Euchariſtiâ ſeceſſione ſumma peccatoris demiſſio ac depreſſio, adeoque ſummus Dei qui à ſolis honoratur humilibus honor ac reuerentia continetur: ſumma denique reſtituendi peccatoris ſpes, quoniam ipſa ſpondente veritate, *Qui ſe humiliat exaltabitur.*

Tali dilatione quæ ex intimo humilitatis ſenſu, non ex amoris inopia manat, peccator boni quo excidit præſtantiam reputans, ad omnes animi maculas piorum operum virtute abſtergendas vehementiùs inflammatur, quo deinde paratior & dignior recipiendæ diuiniſſimæ Communionis exiſtat. Quæ cum ita ſe habeant, pergeſne etiam Chryſoſtomo duo iſta generatim imponere, *Nihil eſſe cur*



is qui à Christi corpore secedit, majorem illi reuerentiam exhibere se putet, Communionisque dilatione nos eadem digniores minimè effici.

CAPVT XX.

INSIGNIS LOCVS GENNADII DE præparatione animi ad frequentem Communionem tum ab Innocentibus & leuium tantum erratorum, tum à Peccatoribus & mortalium post Baptismi susceptionem criminum reis adhibenda.

Aduersarius.

IAm si quæcumque à Patribus in hanc sententiam dicta sunt referre velim, longior fuero. Tantum addam, S. Augustinum Christianos omnes qui peccati mortalis labe non tenentur ad Communionem die quaque Dominica adeundam hortari.

RESPONSIO.



SCHEDIS & Commentariolis tuis jam exhaustis imperitos schemate Rhetorico ad extremum ludificari pergis. Sed cum hactenùs quæcumque attulisti è Patribus, nihil aliud nisi locorum quorumdam fallaciter prolatorum, vel in alienos sensus detortorum congeriem esse demonstratum sit, restat vt postremum hoc additamentum superioribus quasi coronidem ac cumulum accessisse demonstremus.

Equidem loco isto quem modò Augustino,

modò Gennadio vero eius autori aſſignas, toties abuteris, vt integrum, ſicut habetur in fonte ipſo, hoc eſt in Libri de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 53. repræſentare neceſſe ſit. Audi ergo ſemel locum tuum; imò audi damnationem tuam. *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione quam purificari. Et ideò quamuis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis & orationibus & confidens de Domini miſeratione qui peccata piæ confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem* MORTALIA CRIMINA POST BAPTISMVM COMMISSA PREMVNT, HORTOR PRIVS PVBLICA POENITENTIA SATISFACERE, ET ITA SACERDOTIS IVDICIO RECONCILIATVM COMMVNIONI SOCIARI, SI VVLT NON AD IVDICIVM ET CONDEMNATIONEM SVI EVCHARISTIAM PERCIPERE. *Sed & ſecreta ſatisfactione ſolui crimina non negamus, ſed mutato priùs ſeculari habitu, & confeſſo Religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuò luctu miſerante Deo, ita duntaxat vt contraria pro his quæ pœnitet agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex & ſubmiſſus vſque ad mortem percipiat.*

Equidem

Equidem de mente ac judicio tuo iniquius existimem, si auditis hisce verbis te vltrò non intellecturum putem, vel hunc locum vnicum omnibus vitiosæ doctrinæ tuæ capitibus deijciendis satis superque esse. Quin etiam omnibus perspicuam fore arbitror animi tui cœcitatem, quâ factum est, vt cum olim Ethnici Dæmonum energemata in Idolis velut in ascititiis corporibus vim suam exerentium pro diuinis operibus habuerint: tu contra consilia institutaque Christi in Ecclesia velut in vero corpore vim suam exerentis, pro consiliis *spiritus erroris* habeas, & *stratagematis diabolici, grauissimæque, quâ Ecclesia percelli possit, calamitatis nomine afficias.*

Cernis enim quantoperè cauendum sit, ne (quod semper facis) Innocentes cum peccatoribus, Iusti cum pœnitentibus, in societate Christi Baptismo inita constantes & inuicti, cum iis à quibus eadem societas mortalibus flagitiis est violata, confundantur. Nec vero mirum videri debet, si hoc euerso fundamento, sanctissima quæque Christianæ Religionis decreta subuerteris, cum ex vno principiorum errore, vt Philosophi norunt, errores innumeri in conclusionibus pullulent, sicut vitiato semel ac corrupto fonte riuuli etiam corrumpantur necesse est. Sed illud in primis stupendum, quod cum Gennadius ita fideles ad Communionem octauo quoquo die adeundam hortetur, vt de iis qui lethalia post baptismum peccata commiserint, se non loqui disertissimè profiteatur: tu tamen rem tanti

ponderis, in qua potissimum nostræ disceptationis cardo vertitur, egregiè dissimules.

CAPVT XXI.

QVA RATIONE LETHALIVM POST Baptismum peccatorum rei ad sacram Communionem se componere debeant. Vbi & de Religiosæ ac Cœnobiticæ vitæ ad agendam pœnitentiam opportunitate.



T igitur ab eo in quo Gennadius desijt ordiamur, atque Ecclesiæ in Eucharistia hominibus peccatorum mortalium consciis administrandâ mentem & sensum aperiamus, nonne jubet eos (quod tamen zelus tuus quia secundùm scientiam non est, pati non potest) ante Communionem pœnitentiæ pluribus diebus operam dare, gemitibus, supplicationibus, lachrymis, ieiuniis, eleemosynis & orationibus, quæ omnia vel vno pœnitentiæ publicæ nomine continentur, diuinæ justitiæ satisfacere, quo deinceps ad sacram Eucharistiam admitti possint? Nonne istam Communionis dilationem & moram adeò necessariam censet, vt qui aliter agat, eum salutis nostræ pretioso pignore capiendo damnationem suscipere, cibumque diuinissimum in venenum conuertere existimet?

Exceptionem ille quidem vnam agnoscit, quâ quis è vulgari ordine pœnitentium eximi, publicamque illam supplicationem & exomologesim in priuatæ satisfactionis genus commutare queat: sed ea exceptio sanctissimam regulam firmiorem ef-

ficit. Quæ enim pœnitentia Deo acceptior, imò quadam etiam ratione magis publica esse potest, quàm initam cum inimico illius, hoc est, cum seculo amicitiam palàm dirumpere: quàm omnes mundi voluptates vel insanias in perpetuum repudiare: quàm omni præsentium spe abjecta, piæ ac religiosæ vitæ genus amplecti: quàm in solitudinem tot insignium Sanctorum exemplo, vel in Monasterij latebram secedere, continuis gemitibus Dei iram placaturum: quàm in peccatorum suorum expiationem quotidianas *lachrymas, tanquam vulnerati sanguinem cordis*, vt Augustini verbis vtar, *Deo sacrificare*: quàm denique in studiis & exercitationibus quæ culpis propter quas gemas plane aduersentur, reliquum ætatis tempus omne traducere.

Equidem eximiam hanc Gennadij vocem mirari satis non possum, quâ pœnitentiam publicam ad mortalium delictorum veniam impetrandam ita salutarem ac tanti ponderis esse existimat, vt eos solos ab ea liberet, qui alteram, occultiorem quidem, sed laboriosiorem, austeriorem, diuturnioremque delegerint.

Atque hoc loco in mentem venit, quod excellentem pietate virum, reique Ecclesiasticæ diuiniore scientia eximium dicentem audiui, stupendam planè esse Dei ad Ecclesiæ salutem assiduè inuigilantis prouidentiam, dum purissimæ Gennadij doctrinæ veritatem consilio sapientiaque sua ita comprobauit & sanxit, vt futurorum euentuum quasi prophetia & prædictio quædam fuisse videatur:

excitatis nempe circa duodecimum ac decimum tertium ſeculum maximam partem Religioſis Ordinibus, cum antiquæ pœnitentiæ vſus imminui cœptus eſt per duritiam cordis Laïcorum, & Sacerdotum inſcitiam, ſicut à S. Bernardo declaratum videmus ac deploratum.

In Vita S. Malachiæ.

Cum enim Chriſtiani poſt baptiſmi gratiam peccatis mortalibus amiſſam publicâ pœnitentiæ januâ in Eccleſiam regredi neglexerunt, publicas pœnitentiæ domos Deus aperuit, vt quibus pœnitentiæ ſtudium immiſiſſet, & veram ſalutis curam, paratum haberent velut azylum ac perfugium, vbi ab aliorum impœnitentiâ, ab aliorum inſcitiâ tuti eſſe poſſent, faciliuſque & commodiùs, non menſibus aut annis paucis, ſed vniuerſo vitæ ſpatio ieiunijs, orationibus, vigilijs, voluptatum omnium contemptui, cæteriſque pœnitentiæ publicæ officijs operam darent.

Hinc ſplendidiſſima illa Religioſorum Ordinum lumina Bruno, Bernardus, Stephanus Grandimontenſis, Norbertus, Albertus, Dominicus & Franciſcus ætate aut æquales aut ſuppares in Eccleſia extiterunt; in omnibus Chriſtianis regionibus vexillum pœnitentiæ ſuſtulerunt: à *Chriſto Pœnitentiæ principe*, vt præclarè ab Hieronymo dicitur, *eorumque capite qui ſaluantur per pœnitentiam*, miſſi & inſtructi prodierunt; innumeris miraculis ac prodigijs, & penè infinitæ tum hominum, tum fœminarum multitudinis conuerſione miſſionem ſuam obſignarunt & confirmarunt, ſeneſcentiſque Chri-

Hieron. in Iſaiam. c. 3.

ſtianæ Religionis velut noui ac ſecundarij Apoſtoli fideles innumerabiles violatæ prioris baptiſmatis innocentiæ reos, poſteriore lachrymarum ac gemituum baptiſmate in integrum reſtituerunt.

Quo etiam loco illud obſeruare licet, ſicut olim cum ab Ethnicorum Imperatorum perſecutionibus Eccleſia quieſcere inciperet, nec jam publici belli dimicationes publico, cui illuſtriſſima corona deferebatur, martyrio locum darent; Deus antiquiſſimos ſolitarios vltimoſque illos Heremitas in Aſię atque Africæ deſertis excitauit, qui vitæ duritate & voluntario cruciatu penè incredibili, ex quo etiam dubitatio naſceretur homines ne eſſent, in media Eccleſiæ pace nouum martyrij genus induxerunt ac celebrarunt? Ita cum antiquus pœnitentiæ vſus in Eccleſia obſoleſceret, Deus ingentem illam Religioſorum multitudinem, ſacram illam pœnitentium turmam produxit, qui ſacco & cinere quo ſeculares rei vix tegi ſe patiebantur, vltrò ſe contexerunt; morum conuerſionem quæ pœnitentibus omnibus communis eſſe debet, publicè ſpoponderunt; probandis iis qui ad ipſos accederent, certum tempus conſtituerunt, ſicut criminoſiſſimi quique ad pœnitentiam publicam nonniſi diu ac multum excuſſi ac probati olim admittebantur, Auguſtini præſertim ac Gennadij temporibus, quibus ad eam ſemel accedere ferè concedebatur: denique caſtigationibus & ærumnis quas Patrum Conciliorumque decreta ſecularibus in certos menſes vel annos

V. Theodoret. in Hiſtoria Dei amantium, in vita Simeonis Stylitæ.

irrogabant, vitam omnem se contrituros publico voto professi sunt.

Nec minùs Dei suum illud Pœnitentiæ in Ecclesia retinendæ consilium fulcientis singulari nutu factum est, vt ab excessu S. Bernardi, Sanctorumque Dominici ac Francisci exortu, Religiosi ex ipsa Regularum suarum sanctissimarum mente mundo se paulò magis inseruerint, quo faciliùs homines in seculo degentes ad pœnitentiam, quâ, vt ait Gennadius, ad eluenda peccata indigebant, allectarent atque inuitarent, ipsoque vsu & consuetudine sua vitæ illis pœnitentis speciem jucundiorem efficerent, quam in perfectorum solitariorum, quales superiorum temporum Monachi personis ac Monasteriis visa esset. Peccatores enim ferè ac seculares percellit atque absterret ipsa solitudinis facies.

Sed quoniam ex Euangelij oraculo quo longiùs à Solis justitiæ ortu seculorum spatiis discedetur, eo hominum mores deteriores in Ecclesia fient & collabentur, sicut in natura rerum quo Sol longius à nobis mensium spatiis discedit, eo vis frigoris magis ingrauescit: hæc animorum labes & corruptela postremis hisce temporibus multo durior ac vehementior effecta est. Cum enim tot hæresum quasi seminarium fuisset (quæ vno ore pœnitentiæ labores & peccatorum confessionem, Ecclesiâ SS. Patrum consensu vtrumque propugnante repudiauerunt) eo denique rem adduxit, vt Theologi Catholici pœnitentiam non nisi in Scriptis, Concionatores non nisi in suggestibus asserere ac tueri

poſſent, legum autem illius obſeruatione & vſu impetum & quaſi torrentem ſeculi amoriſque mundi huius, qui fons omnium vitiorum eſt, idemque pœnitentiæ infeſtiſſimus hoſtis, faſcinationem rarò admodum vincere ac frangere valerent.

Verum ne ſic quidem deſtitit Deus Religioſorum conditis nouis Ordinibus, antiquis inſtauratis nouas etiam pœnitentiæ familias excitare, maloque multiplicato multiplicatis remediis occurrere; vt peccatores quibus libera eſſet vitæ deligendæ poteſtas, quorumque imbecillitas ad plenam & integram pœnitentiam in ſeculo obeundam imparem ſe ſentiret, Religioſum vitæ genus, ſi Spiritus ſancti motione atque impulſu eò ferrentur, commodiùs amplecti poſſent.

Et verò beatæ memoriæ Epiſcopus Geneuenſis fœminis, ſeu virginibus, ſeu viduis quæ in ſeculo degant, vſque adeò neceſſarium exiſtimauit ad Cœnobia confugere, vt vel pœnitentia non egeant, vel vitæ ſuperbiam ac vanitatem extra ſeculum in quo committuntur deflenda & rarò admodum commiſſa deflentur, lugere poſſint, vt poſt conſtituta tot ſanctimonialium monaſteria, nouum etiam Ordinem, cuius diſciplina omnium mitiſſima videretur, Deo inſtigante fundare compulſus fuerit, ne qua jam virgo aut vidua naturæ teneritudine impediretur, quo minùs ſe à funeſtis mundanæ atque impœnitentis vitæ laqueis explicaret.

Verum cum illam à ſeculo migrandi, vel oneris pœnitentiæ publicæ ſubeundi optionem à Genna-

dio peccatoribus factam, animaduerto, venit mihi in mentem consimilis penè conditionis à Stephano Summo Pontifice, qui nono seculo viuebat, Aistulpho viro illustri oblatæ, qui vxorem suam zelotypiâ percitus interemerat. Consilium enim quam mitissimum dare illi professus, duorum alterum eligere jubet, vt vel in Monasterium sub Abbatis potestate subijciendus, & pœnitentiam quoad vixerit acturus secedat: vel si in seculo pœnitentiam obire maluerit, hanc ei vitæ normam summatim præscribit. *In ieiunijs & vigilijs, & orationibus, & eleemosynis perseuera omni tempore. In conuiuijs lætantium nunquam te misceas. In Ecclesia segregatus ab alijs Christianis post ostium & postes humiliter te repone, ingredientium & egredientium orationibus suppliciter commenda te.* COMMVNIONE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI CVNCTIS DIEBVS VITÆ TVÆ INDIGNVM TE EXISTIMES: *In vltimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris, pro viatico, si sit qui tribuat, tantummodò venialiter vt accipias, tibi concedimus.* Veniæ igitur & indulgentiæ causâ hoc ei concedit. Ac deinceps, *Sunt*, inquit, *& alia multa quæ tibi nimis durius & satis acrius erant, juxta magnum pondus peccati, infelix, adijcienda. Sed si hæc omnia quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde Deo auxiliante feceris & custodieris, confidimus de immensa clementia Dei remissionem peccatorum tuorum te habiturum. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diaboli quo irretitus teneris permanebis,*

Pœnitent. Roman. tit. 1. c. 11. Grat. 33. q. 2. c. 8. Burch. lib. 6. c. 40. Iuo part. 8. c. 126.

nebis, & sanguis tuus super caput tuum. Nos alieni à consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante omni sollicitudine nitimur desudare, & Domini misericordiam attentiùs quotidie implorare.

An & in his Sancti Pontificis vocibus *occultam pessimi Dæmonis fraudem* subesse suspicabere, cum non modo hominem à frequenti Communione deterreat, sed omninò à Communione quoad vixerit excludat, quod idem antè illum à S. Ambrosio Virgini lapsæ constitutum videmus. Tamen qui diuinas leges ac regulas quibus Spiritus Sanctus Ecclesiam regi voluit, collegerunt, hanc illius Pontificis sententiam, adeò Petri successore dignam, zelique illius æquissimi qui Sanctuarij pondere delictorum grauitatem examinans, peccatores solidioribus alimentis tum demum vti sinit, cum pœnitentiæ peccatis æqualis remedio curati fuerint, plenam esse censuerunt, vt illam in Sanctorum Canonum corpus veluti depositum condiderint, vt decretum ad hominis vnius salutem comparatum, ad vniuersam quâ patet Ecclesiam ac seculorum omnium posteritatem instituendam extenderetur. Nec sine prouidentiâ factum est, vt nuper S. Carolus Borromæus eidem decreto nouam etiam lucem splendoremque contulerit, iis Canonibus inserto, quos Christi ministris proposuit, vt ex iis quemadmodum Clerus Romanus ad Cyprianum scribit, discant animas clementi seueritate curandas potiùs quam crudeli indulgentiâ occidendas.

Ambros. ad Virg. lapsam cap. 8.

Capvt XXII.

Qvaenam eorvm qvi in venialia tantum peccata labuntur, ad frequentandam Communionem affectio animi esse debeat. B. Episcopi Geneuensis de Eucharistia octauo quoque die sumenda mens explanatur.



Iam vt ad Gennadium vnde digressi sumus reuertamur, quanam ratione mortalium peccatorum reis, antequam ad Eucharistiam se conferant, animi sordes eluendæ sint, ex ipsius sermone perspeximus. Ex quo cuiuis judicare procliue est, quid de eo sentiendum sit, qui talem vnquam in Ecclesia morem ac disciplinam fuisse neget, vt peccatores pœnitentiæ ante sacram Communionem pluribus diebus operam dare juberentur. Restat vt de peccatis venialibus (quæ Gennadij propositionis altera pars erat) ad præfinienda Communionis tempora quid statuendum sit, dispiciamus.

Cum enim animaduerteret autor ille, quanta integritate animi ac puritate diuinissimi illius mysterij majestas esset adeunda, ne fidelibus quidem piè viuentibus, qui lethalium expertes vulnerum, in leuiores tantum plagas & quasi morsus incurrant earum culparum, ob quas quotidie autore Augustino, sanctissimus quisque pectus tundit, quotidianam Communionem suadere ausus est. Satis habuit illos ad Eucharistiam die quoque Domi-

nico percipiendam hortari, idque duabus maximi momenti conditionibus appositis; altera, vt priusquam sacram illam mensam attingant, culparum maculas leuiores licet, lachrymis & orationibus abstergant: Altera (quæ ad animas probè regendas grauissima est, quâque vnâ doctrina tua omnis funditùs corruit) vt ne ipsorum voluntas peccatis illis leuioribus adhæreat & implicetur.

Longè enim differunt, vt præclarè docet in Philothea sua beatæ memoriæ Episcopus Geneuensis, *peccatum veniale & affectus peccati venialis. Venialia enim*, inquit, *& leuia peccata omninò vitare nunquam possumus, ipsorum vero affectu & amore carere omninò possumus.* Hinc *amorem illum & affectum ex animo penitùs euellendum* docet, *adeo vt nulli quantumuis leui peccato inhærendi voluntatem foueamus. Affectus enim illi* (vt confirmat ibidem) *veræ pietati penitùs contrarij sunt, animamque licet lethali ictu non conficiant, grauissimè tamen sauciant.* Quod etiam illustrat appositione exempli adeò insignis, vt teneri non possim quin ipsas illius voces hîc repræsentem. *Muscæ morientes, inquit Sapiens, perdunt suauitatem vnguenti, hoc est, muscæ si in vnguento minùs hæreant, illudque obiter strictimq; delibent, nihil ferè ex illo nisi quod abstulerunt inficiunt. Si verò in vnguento ipso immoriantur, præstantiam eius & dignitatem extingunt, atque id in contemptum adducunt. Ita leuiores culpæ cum in animam piam inciderint, si in illa diutiùs non hæreant, haud magnoperè lædent, quod si in ea studio quodam & affectu permanserint, vnguenti, hoc est, sacræ deuotionis suauitatem procul dubiò extinguent.* I. Part. c. 22.

Quare tametſi titillantis peccati offenſiunculæ Communionem octauo quoquo die obiri minimè vetent, eam tamen ſi in ipſis voluntas implicetur meritò arcebunt. *Tum enim*, vt ait Gennadius, *Eucharistiæ perceptione mens grauatur magis quam purificatur*, atque intelligere licet, in eiuſmodi animæ, quamuis alioquin ſanæ, quaſi ſtomacho noxij aliquid humoris inſidere, qui quominùs diuinus ille cibus concoquatur, impediat.

Atque idipſum Beatus ille Epiſcopus Geneuenſis cum rectiſſimè perſpexiſſet, adeundæ Communionis quam præſcribit legem, huius Gennadij loci autoritate ſtabiliuit. Quam quidem iis expreſſit verbis quæ hîc palàm exhibere neceſſarium duxi. Multi enim quæ peruersè ac præpoſterè faciunt, Sancti illius viri patrocinio defendere nituntur, conſiliumque de Euchariſtiâ ſingulis hebdomadis vſurpandâ ab ipſo propoſitum à neceſſaria præparatione ab eodem indicta diuellentes tuo more atque diſtrahentes, quacumque tandem ratione ad Communionem frequenter accedant, eximij illius Antiſtitis mentem ac doctrinam præclarè ſe tenere miſeranda quadam cœcitate opinantur: Non ſecus ac Iudæi quondam præceptis aliquibus ex littera quæ occidit, non ex Spiritu qui viuificat, obſeruatis, diuinæ Legis caſti ac religioſi cultores ſibi videbantur.

Accipe ergo veram viri ſanctiſſimi ſententiam. *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus com-*

In Philoth. 1. Part. c. 20.

municandum suadeo & hortor, SI TAMEN MENS SINE AFFECTV PECCANDI SIT. *Vtor ipsis B. Augustini verbis* (depromptis videlicet è Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus Augustini nomine sæpè citato) *quem sequens quotidianam Communionem omninò nec laudo nec vitupero*, &c. *At cernis Philothea, D. Augustinum vehementer suadere atque hortari, vt die quoque Dominico Eucharistia percipiatur. Hoc ergo quoad poteris, facito.* CVM ENIM TE AB OMNI TVM MORTALIS, TVM VENIALIS PECCATI STVDIO AC VOLVNTATE ALIENAM EXISTIMEM, *eam planè quam requirit Augustinus animi affectionem & præparationem es adepta.*

Ijs ergo solis qui talem animi affectionem & cordis puritatem tenent, Eucharistiam octauo quoque die percipiendam B. Episcopus censuit, non omnibus promiscuè & indiscriminatim, vt tu existimas, qui ne Sacerdoti quidem pro variis animarum morbis aliud constituendi potestatem relinquis. Ac ne fortè re non satis cogitatâ & expensâ in hanc illum sententiam abijsse suspiceris, in eiusdem Capitis clausulâ eam denuò inculcat, atque hanc veluti perpetuam & constantem regulam statuit, *Vt quis octauo quoque die Eucharistiæ Communionem percipiat, ab omni eum mortalis peccati labe, ab omni venialium peccatorum studio ac voluntate immunem esse, ac intereà sacræ Eucharistiæ vehementi desiderio flagrare oportere.*

Non igitur, vt cernis, Beatus hic Episcopus satis habet à peccatis lethalibus quempiam abesse, vt eum die quoque Dominico Communione dignetur:

cum tu tanto munere dignos censeas quicumque in eiusmodi crimina passim labuntur, dummodò toties confiteantur quoties peccant. Duas enim prætereà conditiones requirit ac prorsus necessarias putat, quas non adeò vulgares & obuias constat esse, vt Sacerdos qui frequentem adeò Communionem cuiuis minùs suadeat, continuò imprudentiæ (vt tibi visum est) insimulandus videatur.

Prima est, *vt mens nullo prorsus peccati venialis studio & affectu teneatur*. Nec verò hoc animo protinus esse censendus est, quisquis (vt plerique solent) se ipse fallens pietatis remissioris negligentiæque suæ vitia in communem naturæ imbecillitatem conferat; sed vt liquidò constet, mentem à peccati venialis studio liberam reuerà esse & expeditam factis ipsis & operibus quæ interiorum animi studiorum tanquam radicum sunt fructus, declaretur & pateat, oportet nos peccata illa pro viribus fugere, quicquid in ea inducit declinare, quicquid ab ijs auertit studiosè sectari. Quod in eo maximè situm est, vt solitudine ac secessu domus quisque suæ maximè delectetur, minimè vero secularium hominum consuetudine, quâ talis animus nonnisi necessitate compulsus atque inuitus vtetur, vt veris communis vitæ officiis satisfaciat, non vt vanis & inanibus indulgeat. *Fieri enim non potest*, quemadmodum à B. Theresia præclarè est animaduersum, *vt qui secularibus curis implicatur aliquid in virtute proficiat, vel etiam in eodem statu sine periculo maneat, nisi negotijs omnibus non planè necessarijs, quantum ipsius ge-*

B. Theresia in Castello animæ c. 2.

nus vitæ patitur, ſe ſubducat. Nam inter tot venenatas, inquit, *ac peſtilentes feras verſari nemo poteſt, quin earum ſæpè morſibus vulneretur.* Vt igitur à venialium culparum libidine ac viſco ſolutum ſe quis merito exiſtimet, occaſionem & negligentiam fugiat neceſſe eſt. Eiuſdem enim pij Epiſcopi vocis in eodem Libro ſcriptæ, ad omnes pariter lethales & veniales culpas veritas valet, *tacitam eum peccati repetendi voluntatem alere,* (adeoque peccati ſtudium retinere) *qui peccandi declinare occaſionem ac neceſſarias vitæ emendandæ rationes & vias ſequi nolit.* *Introduct. 1. Part. c. 6.*

Altera conditio à Beato illo Antiſtite propoſita hæc eſt, *vt quis percipiendæ Euchariſtiæ vehementi amore flagret.* Quibus verbis duo in primis magna & grauia præcipit. Alterum, vt quis ad Communionem diebus etiam Dominicis commodè impelli poſſit, priuati potiſſimum ſenſus ac ſtudij, quo ad cœleſtem illum cibum appetendum ducitur, habendam eſſe rationem, propterea quod ſingularis ille Dei & gratiæ impulſus propriam fidelis cuiuſque indolem & veluti temperationem continet, ad quam illius quotidiani victus ratio dirigenda eſt. Alterum, ad octaui cuiuſque diei Communionem admodum ſana & valente anima opus eſſe, quia ſcilicet vehemens ille Euchariſtiæ percipiendæ amor de quo loquitur Geneuenſis Antiſtes, quodque appellatur à S. Bonauentura *inuſitatæ deuotionis feruor & intemperata deſiderij ſitis pro illius ſuſceptione qui ſolus ſufficit amantis animæ ardorem refrigerare,* non aliunde quam ab animæ ſanitate ortum *Bonauent. de Profectu Religioſorum c. 77.*

habet, vt edendi appetitus à bona corporis valetudine. Vnde præclarum illud ab Augustino sæpè repetitum, *Animam Deo plenè seruientem beatam vitam qua Deo æternùm fruatur sine intermissione desiderare* (hanc autem sempiternam Dei fruitionem ex Ecclesiæ mente ac voce temporalis Eucharistiæ perceptio præfigurat, eiusque pignus est & primitiæ) *augescentisque pietatis indicium esse maximum cum desiderium istud magis ac magis inflammatur.*

Aug. Ep. 121. & in Psal. 37. & alibi.

Li. 2. Ep. 48.

Sed quoniam vt à Beato illo viro rectè in Epistolis est obseruatum, *Cibi appetentia duplex est, altera quæ proba & legitima concoctione, altera quæ attrahentis virtutis stomachi deprauatione gignitur:* prouidendum magnoperè est, vt vehemens illud Communionis desiderium quod ad Eucharistiam singulis hebdomadis percipiendam necessarium existimat, vera sit alimenti illius spiritualis appetentia, nimirum ex animæ diuino amore succensæ (quem talis desiderij fontem atque originem esse debere docet S. Thomas) feruore profluens; non autem fallax & adumbrata fames, quam externa quæpiam causa aut noxius humor effecerit: cuiusmodi appetentiæ ludibrium in nonnullis hominibus quorum est vita peruersa, quosque mandatorum Dei obseruandorum cura nulla tangit, interdum reperiri testatur Scholæ antiquus Doctor, quodque ab ipso meritò instigationi Diabolicæ, & vt ipsius verbis vtar, *meridiani Dæmonis, non sancti Spiritus calori* adscribitur.

Thomas de Argentina.

Vt autem dijudicetur proba sit necne spiritualis fames,

fames, ſic habendum eſt; quemadmodum corporei cibi cupiditas à noxia aliqua affectione procul dubiò manat, cum corpus ex alimenti vſu nihil virium, nihil firmitatis trahit: Ita vel ardentiſſima Communionis deſideria fallaciæ ſuſpicionem habere, cum anima cœleſti illo pane paſta non vegetatur & quaſi impinguatur, de quo Eccleſia canit, *Pinguis eſt panis Chriſti & præbebit delicias regibus*, hoc eſt, verè regales animas ſublimi quadam delectatione efferet. Hoc enim manifeſtum indicium eſt, calorem animæ cum ſit debilior ac languidior quam vt diuiniſſimo illi cibo concoquendo ſufficiat, alimenti exuberantia obrui potiùs quam foueri. Ex quo facilè intelligitur, quî fiat vt tot Chriſtiani alioquin pietatis non omninò expertes ſacram Euchariſtiam frequentent, in quibus tamen nullum tot Communionibus dignum emolumentum, nullus fructus appareat.

Hæ ſunt leges ab Epiſcopo Geneuenſi ad ſingulorum dierum Dominicorum Communionem præſcriptæ, quæ cum non aliæ ſint quam quas Sancti Eccleſiæ Patres tradidere, fruſtrà tutiores vel ſanctiores quæras. Ad has ſe exigant & excutiant, obſecro, quoſcumque tu ad Communionem tam crebram promiſcuè impellis. Cogitent etiam atque etiam ſitne in ipſis talis affectio animi qualem B. ille Epiſcopus poſtulat. Non alium iis iudicem niſi ipſorum animi conſcientiam offero. Audiant hanc vocem quæ ferè non alium decipit, quam qui ſe ipſe decipere ſtatuit. Speculentur & explorent

Eccleſ. c. 37. ſecundum textum Græcum.

ſe ſe oculo illo, qui Scripturâ teſte, ſeptem ſpeculatoribus oculatior eſt. Imos animi ſui receſſus ſeriò ſcrutentur, quem ſi omnis peccati, etiam venialis amore defunctum perſpexerint, ab omnibus quæ Deo offenſioni eſſe poſſint abhorrentem, ad omnem vitæ ſuæ rationem ex diuinis legibus moderandam toto pectore intentum; denique ſancti Spiritus ardore, ex quo vehemens illud ſacræ Euchariſtiæ deſiderium naſci debet, flagrantem: accedant ſanè frequentiùs ad cœleſtem menſam; minutas labes ac næuos quos ex animo oderunt & deteſtantur in ea deponere atque abſtergere ſtudeant; omnium quibus hæc mortalis vita aſſiduè conflictatur ægritudinum leuationem ac remedium indidem petant; poſtremò ipſa quæ vrget eos Chriſti charitate, ad eundem Chriſtum vt ad vnicum in ærumnis conſolatorem, in miſeriis liberatorem, in infirmitate adjutorem ſæpiùs adducantur.

Sic nimirum ad crebram Communionem Philotheam ſuam, hoc eſt, animam pietatis ſtudioſam, Beatus ille Antiſtes impellit, quod in ea excellentiorem etiam quam Gennadius Auguſtini nomine ab ipſo citatus poſtulet, animi affectionem ineſſe conſtituat, hoc eſt, vitæ verè Chriſtianæ firmam ac ſtabilem voluntatem, nec ab omni tantum mortali delicto, ſed & à quauis peccatorum leuiorum cupiditate & quaſi glutine quam longiſſimè dijunctam. Indignè ergo (iterùm dico & quo altiùs hæreat aſſiduè inculcare velim) doctrinâ illius abutitur, quiſquis ad homines virtute infimos ac debi-



lissimos, ne improbos & inquinatos dicam, consilia ab illo iis qui eximiæ cuiusdam pietatis solida fundamenta jecerint, & diuturnis virtutum exercitationibus ad magnam jam integritatem puritatemque peruenerint, descripta & oblata detorquere moliuntur.

CAPVT XXIII.

D. IVSTINVS PERPERAM PROLATVS.

Aduersarius.

SCribit Justinus Martyr suis temporibus fideles tum ruri, tum in vrbibus degentes in Ecclesias conuenisse; ibi Eucharistiam præsentibus datam, ad absentes missam.

RESPONSIO.



VID vero est causæ cur ea omiseris quæ Sanctus ille Martyr eodem subijcit in loco, nimirum, *nemini licere Eucharistiæ participem fieri, quin priùs Christianæ Fidei susceperit veritatem & regenerationis lauacro in peccatorum remissionem ablutus consentaneam Christi præceptionibus vitam agat.* Quam magni ponderis sint hæ voces, ij facilè intelligunt, qui mentis oculo diuinâ gratiâ illustrato quantum oneris solenni illa baptismatis sponsione nobis impositum sit, quamque perfecta & absoluta Christiani hominis vita esse debeat, intelligunt. Nec eos præterit, quam pauci nunc ad sacram Communio-

Iustin. in Apol. 2.

nem adhiberentur, si ij omnes quorum à legibus & præscriptione Euangelij vita dissentit, ex B. illius Martyris sententiâ, Ecclesiæque cuius hîc tantummodò sensum aperit mente, à diuinis altaribus arcerentur.

Capvt XXIV.

Concilivm Basileense de freqventi Communione.

Aduersarius.

QVid de hac re Ecclesia sentiat ex duobus Concilijs generalibus satis liquet. Hæc enim habet Concilium Basileense: Quod autem sæpè accedere ad Eucharistiam percipiendam dignè & cum discussione debita sit vtile & valdè proficuum, imò summè necessarium cupienti & desideranti in via Domini non regredi sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent & obsecrant incessanter fidelem populum. Cum igitur Concilium ita loquatur, quid de ijs censeas qui homines à frequenti Communione deterrent?

Responsio.



AT ego breuiter respondeo. Cum Concilium ita loquatur, quid de te censeamus qui tales calumnias spargis atque animi cœcitate præceps ruis? Quo enim alio quam calumniæ nomine odiosam istam confictamque criminationem afficere licet, quâ persuadere niteris esse homines pios

ac probos, qui alios generatim & vniuersè à frequenti Communione deterreant; qui à Sacramentorum vſu eos etiam qui neceſſariam ad ea animi præparationem afferunt, retrahant ac ſubmoueant; qui veros Iſraëlitas in diuiniſſimi huius mannæ contemptionem ac faſtidium inducant; qui denique de duobus quæ in Euchariſtiæ vſu incidere poſſunt, extremis vitiis, ſeu ad eam nimium vrgendo homines, ſeu ab ea nimium reuocando, id ipſum in vno peccent, quod tu in altero? De tali criminatione rationem olim à te repoſcet Deus, niſi veræ ac Chriſtianæ ſatisfactionis præſidio juſtitiæ illius ſeueritatem occupare atque anteuertere ſtudeas.

Nec verò minùs in eo cœcutis, quod Concilij orationem à tuis dogmatis haud minùs quam cœlum à terrâ diſtare non videas. Vtiliſſimum eſſe docet, *ſæpè ad Euchariſtiam accedere dignè & deuotè* (quo loco vocem illam, *deuotè*, reſecandam cenſuiſti, quod neceſſe non exiſtimas, vt quis ad Sacramentum illud deuoti animi pietatem afferat, ſed tantùm vt afferre conetur) *& cum diſcuſſione debitâ*. Quis doctrinam iſtam toto pectore non amplectatur? Verum vt antequam ad Communionem accedas, ea *dignus*, vt Concilium loquitur, efficiare; hoc nimirum opus, hic labor eſt. Quod quidem vt aſſequamur, poſtquam per peccata mortalia indigni facti fuimus, docent SS. Patres tantiſper ab altari ſecedendum, vt interim ſolitudine, ieiuniis, precationibus, & eleemoſynis mens expurgetur. Opus

eſt eâ deuoti animi pietate quam tremenda illa myſteria poſtulant; quæque in animas, vt tuis verbis vtar, *quæ ſui amore tument, ac ſtupendum in modum ſeculo addictæ ſunt*, non cadit. Denique intimos animi receſſus ſcrutari anteà & explorare neceſſe eſt *cum diſcuſſione debitâ*, inquit Concilium, atque is ex ſacræ Antiquitatis doctrina à Sancto in primis æui huius Antiſtite confirmata, non à peccatis modò mortalibus, ſed, & ab omni vel leuiſſimarum culparum affectu ac ſtudio liber & purus inueniatur oportet.

Obſeruare prætereà docuit, Concilium non dicere Euchariſtiam frequentandam, vt virtutis ac perfectionis Chriſtianæ viam ingrediamur, ſed vt progrediamur in eâ nec regrediamur. Quibus verbis innuit, nos in ea jam quadantenus verſari, nec aliud ſupereſſe niſi vt permaneamus, atque in dies longiùs prouehamur. Quod & cum SS. Patrum placitis apprimè congruit, qui vno ore docent eos tantum qui per anguſtam hanc viam quæ ad vitam fert, quæque perfectionis perfectorumque via eſt, gradiuntur, victimæ huius ſalutaris deguſtandæ ius habere.

Hic eſt enim verè Paſchalis Agnus ab iis duntaxat comedendus qui ad ambulandum parati, ac rebus omnibus neceſſariis inſtructi ſunt; qui peregrinorum inſtar in terra verſantur, nec cuiquam earum rerum quas in eo itinere obuias habent, immorantur; omnem ſuum amorem ac conuerſationem in cœlum velut in patriam ſuam, paradiſumque è

quo expulsi sunt, transferunt; atque ad beatam illam regionem cum perpetuo illius desiderio, assiduoque gemitu, quem idem ille diuinus Spiritus à quo in intimis eorum mentibus elicitur, solus nouit, toto vitæ suæ tempore feruntur.

Hic est ille subcinericius panis solis Eliæ æmulatoribus concessus, qui Iezabelem, hoc est, mundi corruptelas contagionemque fugientes jam diei vnius iter in solitudine confecerunt. Qui quidem tantum ipsis roboris ac virium addit, vt cibi illius virtute firmati post quadraginta dies diuinâ illius societate fruituri perueniant. Quibus perspicuè significatum est, eos post mortalis huius vitæ, quadragenario numero laboribus ac pœnitentiæ dicato, in Scripturis Patrumque monimentis semper designatæ, curriculum, in domum Domini sanctumque illius montem esse recipiendos, vbi sacro hoc cibo non jam corporeis & sensibilibus velis inuoluto, sed remotis omnibus integumentis eademque prorsus quâ ipsi Angeli ratione reficiantur.

CAPVT XXV.

CONCILII TRIDENTINI DE FREQVENTI Communione sententia.

Aduersarius.

SAncta Synodus Tridentina hortatur atque obsecrat fideles omnes ita viuant, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint. Eademque ait alio loco, optare se vt reuocare sibi liceret antiquam Ecclesiæ

consuetudinem, ita vt fideles omnes quotidie in sacrificio Missæ cui interessent, Communionem sumerent, quo vberiorem ex sanctissimo illo Sacramento fructum caperent.

RESPONSIO.



ONCILIA duo nos consulere iussisti, vt ab iis mentem Ecclesiæ acciperemus. Quorum si in priori nihil quod tibi adstipuletur inesse jam ostendimus, altero perspicuè premi te ac jugulari faciliori etiam negotio ostendemus. *Synodus Tridentina,* inquis, *hortatur atque obsecrat fideles omnes ita viuant, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* Votum id quidem est sacrosancto illo ac Dei spiritu animato cœtu dignissimum, nec illius proprium, sed piorum etiam omnium commune. Tu solus mira animi cœcitate in omni scriptione tua votum tale non facis, imò & vanum ac inutile existimas. Indicat enim vt Eucharistia frequentetur vitæ integritatem præesse oportere, & ad tantum bonum, nisi in cuius moribus pietas eluceat, jure ac meritò aspirare neminem posse. Tu vero qui frequentis Communionis leges ac regulas proponere aggressus es, quique ad decem proposuisti, vbinam tandem rectæ vitæ & cum pietate conjunctæ quasi ad illam Communionis frequentiam necessariæ vel verbo meministi? Ex quo perspicuè intelligitur, vt Christianos ad cœlestem illam mensam sæpiùs accedere optemus, non necessariò per doctrinam tuam optandum esse, vt se

tanto

tanto beneficio vitæ integritate dignos præstent, sed ad summum vt quacumque demum ratione vitam instituant sæpiùs peccata confiteantur.

Alter locus quem è Synodo Tridentina exhibes, nihil aliud quam votum ei quod jam anteà fecerat consimile habet. Haud ignara siquidem Synodus, quam parum mysterij huius sanctitati plerorumque fidelium animi congruant, rem illam capere atque optare satis habuit, ac ne suadendum quidem arbitrata est, quod à perpaucis ritè impleri posse prouidebat.

At singulari equidem audacia sacras Concilij voces contaminasti. Nihil enim aliud ait eo loco, nisi *optare se vt in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos huius sanctissimi Sacrificij fructus vberior proueniret.* Vbi reperias his in verbis *optare Synodum, vt reuocare sibi liceret antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ita vt fideles* OMNES *quotidie in Sacrificio Missæ cui interessent, Communionem sumerent, quo vberiorem ex sanctissimo illo Sacramento fructum caperent?* Vbinam *de fidelibus omnibus* loquitur, & de omnibus passim permittenda quotidiana Communione?

Id verò demùm Synodus reuocare quantum fieri posset, in animo habuit, vt in singulis Missis essent quibus Eucharistiam Sacerdos impertiret, sicut optimè intellexit B. Geneuensis Antistes, qui Synodi mentem hac Constitutionum suarum sanctione subsecutus est. *Concilium Tridentinum*, inquit, *Constitut. c. 21.*

ſignificauit optare ſe, vt ſingulis Miſſis adeſſent, quibus Euchariſtiam Sacerdos miniſtraret, ideoque vt nos quantum poſſumus ſancto huic Eccleſiæ optato reſpondeamus ſacræ Communionis beneficium ita fidelibus omnibus diſpertiri volumus, vt alternis vicibus tres quotidie Euchariſtiam ſumant. Quod ipſum illi qui per inſignem calumniam frequentem Communionem damnare inſimulantur caſtè ac religioſè obſeruant; & eo quidem animo qui non minùs cum vniuerſæ & Catholicæ Eccleſiæ in Concilio illo proloquentis mente conſpiret, quam ab omni diſſenſionis & partium ſtudio abhorreat.

Iam verò ſi voces quas ex hoc Concilij loco reſecaſti attentiùs conſideremus, nonne iis quæ tu illi affingis contrarium planè eliciendum videatur? Cum enim Synodus ait, *optare ſe vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent,* clariſſimè teſtatur ſe eos tantum ad Sacramentalem Euchariſtiæ perceptionem inuitare, qui ita ſe habent, vt ſpirituali affectu Communionis participes eſſe valeant. Quinam verò ita ſe habent ex ipſis Concilij verbis? Ij nempe, *qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viua quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt.* Quid enim eſt aliud Communionem ſpirituali illa ratione percipere, niſi Chriſti Corporis efficacitatem & gratiam per S. Spiritus in nobis inſidentis vim ac virtutem elicere, atque vt verbo dicam, ad Chriſtum ſpiritu ſeſe adjungere.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.

Diſpiciamus iam vtrum ij quos ad Sacramentalem Communionem impellis, vel ad Communionem illam ſpiritualem idonei videantur. Quæramus à Paulo quiſnam adiunctus Chriſto, quis vnus cum eo ſpiritus effectus ſit? Nempe ei qui adhæret. *Qui adhæret*, inquit, *Domino, vnus ſpiritus eſt.* An verò adhæret Domino, qui huic ſeculo mirandum in modum affixus eſt? An cum Deo amore copulatur, qui cum infeſtiſſimo Dei hoſte ſummo amoris ac cupiditatis vinculo colligatur? Manifeſtum eſt igitur eos quos ad Sacrificij fructum ac Communionem vocas, ex Concilij ſententiâ ne dignos quidem eſſe qui Sacrificio interſint. Non enim ita ſunt affecti, vt Communionem ſpiritualiter percipere valeant, quales tamen qui Sacrificio interſint Synodus ſtatuit eſſe debere. 1. Cor. 6.

Capvt XXVI.

De Scriptvrae Sententiis quibus ad ſanctam Communionem inuitamur.

Aduerſarius.

Sanè vt cætera deeſſent, vel ſolæ Chriſti blandè nos inuitantis atque allectantis voces abundè ſufficiant, vt ad ipſum in ſanctiſſimo Sacramento reſidentem crebriùs accedere audeamus. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quis non his verbis vehementer moueatur? Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat hunc panem viuet

in æternum. Si Christum in nobis manere volumus, hunc panem edere nos oportet. Quicquid eo in loco ad sacram Eucharistiam pertinet, eò tantum spectare videtur, vt omnem quæ suboriri posset adeundæ illius formidinem deponamus. Alia occurrunt in Euangelio loca quamplurima, quibus satis innuit Christus, mentem suam esse, vt cœlesti eius Sacramento frequentiùs reficiamur.

Responsio.



CVM omnis error quandam cum hæresi affinitatem & cognationem habeat, ac ferè nihil aliud præstet hæresis, quam vt ea quæ antè illam error inchoauerat, ipsa perficiat atque absoluat; ipsorum Ecclesiæ filiorum si quando doctrinam eius quæ vel ad fidei firmitatem vel ad morum integritatem pertinet, adoriantur, conatus, ad hæreticorum molimina quadantenus non accedere omninò difficile est.

Cuius rei disputatio tua illustre exemplum suppeditat. Sicut enim hæretici repudiati nos ac damnati matrimonij reos peragunt, quod ipsum Ecclesia Sacerdotibus, & iis quos sacri voti Religio puriori atque excellentiori vitæ indissolubilibus vinculis adstrictos tenet, ex Apostolica Traditione minimè indulgeat: Ita tu pios insimulas Communionis frequentiam damnare, ac fideles ab ea deterrere, quod ex SS. Patrum sensu æquo animo ferre non possint diuinorum mysteriorum vsum indignissimè peruerti ac deprauari; frequentandæ

Communionis præcipitem confidentiam ingenerari iis, qui ex Ecclesiæ mente à sacris altaribus diutiùs arcendi essent; fidelibus suggeri, vt quo se à gratiâ nudos magis ac desertos senserint, eò audacius vel impudentius potiùs sacrum Christi corpus inuadant; Ad ineffabile mysterium in quo omnes infiniti sui in humanum genus amoris diuitias Deus effundit, impelli eos qui sui ipsorum amore pleni ac mundi studiis prodigialiter adstricti sunt: *Canibus* denique, qui, vt scribit Augustinus, *conuersi ad vomitum suum oculis Dei horribiles* facti sunt filiorum panem sine vllo delectu ac discrimine prodi.

Atque vt hæretici nos erroris conuicisisse sibi videntur, dum Pseudoprophetas nos eos esse quos Paulus nuptias prohibituros esse prædixit, rudibus atque imperitis persuadere conantur, atque in matrimonij honorem & commendationem plurima Scripturæ testimonia congerunt: Ita eorum qui tua dogmata non probant, confictam à te impietatem funditus euertisse te existimas, vbi aliquas Euangelij sententias quibus Christus nos in ipso per Eucharistiam manere jubet, inscitè atque inconditè protulisti. Itaque sicut hostium Ecclesiæ notissimas artes præclarè æmularis, ita nos iisdem telis ab eadem Ecclesia depromptis easdem laruas ac præstigias facilè dispellemus. Quemadmodum igitur cum nobis objiciunt hæretici quod à Paulo scriptum est, *honorabile connubium in omnibus*, respondemus ipsis post Eusebium Cæsariensem, *Iis dun-* *Hebr. 13.* *Euseb. de demonstratione*

Euãg. l. 1. c. 9. *taxat qui ad Sacerdotium vocati non sunt honorabile connubium à Scriptura prædicari:* & post Chrysostomum, *Iustas quidem & honorabiles esse nuptias, verum non eorum esse qui continentiæ voto se astrinxerint, nuptiarum jure gaudere.* Cum afferunt quod idem docet Apostolus, *Si nupserit virgo, non peccauit,* respondemus post Hieronymum, *Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem quia primam fidem irritam fecit. Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.* Denique cum clamitant, *Melius esse nubere quam vri,* respondemus post Ambrosium, *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, & jam si voluerit nubere, communi lege coniugij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.*

Chrysost. ad Theodorum lapsum paræn. 2.

1. Cor. 7.

Hieron. aduers. Iouinian. l. 1.

1. Cor. 7.

Ambros. ad Virg. lapsam cap. 5.

Simillimè nos paria argumenta pari responsione diluimus, quæque ex locis quibusdam Scripturæ sacræ prauè intellectis elicere laboras, opposita germanæ SS. Patrum explanationis luce deijcimus. Præcipitem adeundæ sæpiùs Communionis audaciam omnibus promiscuè ingenerare conaris, propositis Christi blandè nos inuitantis atque allectantis vocibus. Sed reponent Chrysostomus & Ambrosius, *Christum aquilas eos vocare quos ad Corporis sui Communionem inuitat, animas scilicet sublimes & in cœlum erectas, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ assiduè sursum euolent, ipsumque*

Chrysost. homil. 24. in 1. Cor. Ambr. lib. 8. Comment. in Luc. Et de Sacram. l. 4. c. 2.

justitiæ Solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur. Addent etiam Theodoretus & Psellus, *Sponsum ad hoc mysticum conuiuium nonnisi virginis simul & sponsæ suæ filios inuitare, nonnisi perfectos qui eius imaginem incorruptam & inuiolatam seruant, quique ipsi vniri summoperè exoptant, ijs verò imperare non vt bibant modò, verum etiam vt inebrientur, dum sic illos sed dignos tantum quos & propinquos suos ita esse dixit alloquitur, Comedite propinqui mei, & bibite & inebriamini fratres mei. Quicumque estis, inquit, operibus fratres mei, corpus meum comedite & sanguinem meum bibite.* Theodor. & Psell in c. 5. Cantic.

Neminem esse ais quin hac blandissima Christi voce vehementer moueatur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Blanda est illa verò ac vehemens, sed sancti omnes Scripturæ interpretes te docebunt, nihil aliud eâ nisi generalem ad Euangelij gratiam vocationem contineri, Christumque illâ inuitare omnes qui grauissimis peccatorum premuntur oneribus, quæ à Propheta Zacharia vt Hieronymus in eundem Euangelij locum obseruat *talentum plumbeum* appellantur, quæ supra se velut *graue onus* incubuisse Regius Propheta ingemiscit, quæ eodem Dauide & Iob autoribus hominem sibi ipsi grauem efficiunt. Vnde animaduertunt SS. Patres Christum his verbis designare duos populos quos inter sese anteà dissidentes suo sanguine consociauit, & è quibus æterni Ecclesiæ suæ ædificij geminos parietes coagmentauit. *Omnes vocat* (inquit Theophilactus post S. Hilarium) *non Judæos modò, sed etiam Gentiles. Si quidem per eos* Hilar. Can. 11. in Matth. Theophil. in eundem locum Matth.

qui laborant intelligendi veniunt Judæi, legis difficultatibus laborantes, & legalium præceptorum multiplici obseruatione fatigati. Oneratos verò accipe Gentiles, peccatis seculi impeditos atque onustos. Vtrosque porrò reficit Christus. Quis enim in credendo, quis in confitendo, vel in baptismate recipiendo labor?

Vides igitur has voces ad infideles impios & peccatores potissimum ferri, adeoque ad Communionem sacram eos inuitare non posse, nisi priùs Christi iugum vt inibi jubet, in se sustulerint, quod, teste Augustino, nihil aliud est, quam *piè viuere in Christo*, nisi ab eo quam *mitis sit & humilis corde* didicerint, hoc est, eodem Augustino interprete, *nisi foderint fundamentum humilitatis vt perueniant ad fastigium charitatis*: nisi denique quam jugum illud suaue & sarcina illa leuis sit experti fuerint, hoc est, vt exponit idem insignis Doctor, nisi *Spiritum Sanctum acceperint, quo gustatâ requie spiritali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniuntur aspera, & omnia grauia releuantur.*

Aug. de verb. Dom serm. 9. c. 1.

Ibid. Serm. 10. c. 3.

Minatur, inquis, *Christus nos vitam in nobis non habituros, nisi manducauerimus eius carnem & biberimus eius sanguinem.* Sed respondemus cum Ambrosio hæc eadem Christi verba expendente: *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipsâ corrumpitur quam sanetur; magis occiditur quam viuificetur.*

Ambr. serm Dom. 4 Aduent.

Addis, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sed Augustinum audi hunc ipsum Euangelij locum explanantem. *Aliud est Sacramentum: aliud est*

Aug. Tract. 26. in Ioan.

virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit, & cum accepit in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubiò nec manducat ſpiritaliter panem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti: Sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt, de quibus dicitur, Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.

Pergis porrò & aſſeris, *Si Chriſtum in nobis manere volumus, panem hunc edere nos oportere.* Nihil quidem veriùs à te dici potuit, ſed non minùs verùm quod aſſerit Bernardus, vel quiſquis autor eſt Libri de Modo benè viuendi, *Qui ergo Chriſti Corpus vult accipere, priùs ſtudeat in Chriſti fide & dilectione manere.* Cap. 28. *Hinc eſt quod ait Dominus in Euangelio, Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ac ſi diceret, Ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin niſi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem & ego in eo, carnem meam manducare non poteſt, nec ſanguinem bibere.*

Concludis ad extremum: *Quicquid eo in loco ad sacram Eucharistiam pertinet eo tantum spectare videri, vt omnem quæ suboriri posset adeundæ ipsius formidinem deponamus.* Tam felicis conjecturæ quæ adhuc in cuiusquam Euangelij Interpretis mentem non venerat, tibi scilicet vni laus & palma debetur. Animaduerterunt quidem his in Christi verbis SS. Ecclesiæ Doctores, immensi ipsius in humanum genus amoris inæstimabiles diuitias, singulare illud ac planè ineffabili Sapientia dignum consilium, quo effecit, vt spirituali eius ac diuinæ carni agglutinati, Spiritu ipsius ac diuinitate viuamus: Illam denique infinitam benignitatem quâ subministrato nobis in terra peregrinantibus eodem cibo quo beatos in cœlo regnantes pascit, sempiternam nostram felicitatem repræsentare quodammodo atque anteuertere voluit. Animaduerterunt etiam quanta ad hoc cœleste mysterium adeundum officij obligatione teneremur, quam necessariò eum qui vellet viuere ad ipsum vitæ fontem confugere oporteret, quamque nostrum mortale corpus immortali illo semine indigeret, quo à corruptionis ac mortis labe æternùm vindicaretur. Verum adeò nunquam cogitarunt omnem mysterij huius adeundi formidinem ipsa illius dignitate ac virtute nobis repellendam; vt contra ex ea ipsa collegerint, hominem nonnisi sacro horrore perfusum ad mensam quam nec Angeli sine religioso quodam metu contueantur, accedere fas esse.

Hinc tam excellentem mysteriorum illorum

opinionem ac reuerentiam conceperunt, vt ea semper Ecclesiæ vox consentiens *tremenda mysteria* nominarit. Hinc existimarunt eius qui tanti Sacrificij particeps fit, integritatem, ipsius Victimæ integritati aliquâ ex parte respondere debere; ac *Sancta Sanctis* (vt in omnibus Liturgiis canitur) esse impartienda. Animos ignauos ac desides cœlesti hoc cibo minimè donandos, & qui eum attingant zelo atque ardore succensos esse oportere. Omnium denique qui seu crebriùs, seu rariùs Communione vterentur, eos solos laude dignos censeri, qui ad Communionem sacram, sinceræ mentis conscientiam, cordis puritatem, ac vitæ inculpatæ castimoniam afferrent.

Quorum omnium grauem autorem habemus Chrysostomum, quem meritò Eucharistiæ Doctorem appelles: quippe qui diuinâ prouidentiâ selectus videatur, vt summi huius mysterij ineffabilem præstantiam, quatenus hominum atque humani sermonis captus est, explanaret, eademque operâ, omnia impietatis venena, quæ hæresis extra Ecclesiam fundere, prauitatemque vnà & abusionem, quam vel inscitia vel malitia in Ecclesiam inducere aggrederetur, præcluderet ac præfocaret. Eximius enim Doctor postquam infinitam Christi benignitatem admiratus est, [a] *qui nos secum in vnam veluti massam redigat, nec solum fide, sed & re ipsâ corpus vnum efficiat*, hæc adijcit: *An igitur quicquam tam mundum & nitidum esse potest, quod ab eo vinci non oporteat, qui ad hoc Sacrificium participandum accedit? An non ra-*

a Ἀλλὰ καὶ ἀναφύρει ἑαυτὸν ἡμῖν, καὶ οὐ τῇ πίστει μόνον, ἀλλ' αὐτῷ τῷ πράγματι σῶμα ἡμᾶς αὐτοῦ κατασκ-

dijs Solaribus purior debet esse manus illa quæ hanc carnem frangit, purius os illud quod hoc spiritali impletur igne, purior lingua illa quæ hoc tremendo sanguine cruentatur? Cogita quo sis honore cumulatus, quâ mensâ dignatus? Cuius aspectu Angeli contremiscunt, & in quam præ fulgore ac splendore qui inde coruscat & vibratur penitùs intueri pauent, eâ nutrimur, atque in vnam veluti massam simul commisti efficimur Christi Corpus & vna caro. Nullus itaque Iudas, nullus auarus adsit: Qui discipulus non est procul absit. Homines huiusmodi hæc mensa non admittit. Nimirum cum discipulis meis, ait Dominus, facio Pascha. Nostra hæc mensa eadem cum illa est nihiloque inferior habenda.

κευάζει· πόσου οὐκ ἔδει καθαρώτερον εἶναι τὸν ταύτης ἀπολαύοντα τῆς θυσίας; ποίας ἡλιακῆς ἀκτῖνος τὴν χεῖρα τὴν ταύτην διατέμνουσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα τὸ πληρούμενον πυρὸς πνευματικοῦ, τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ, ἐννόησον ποίαν ἐτιμήθης τιμήν, ποίας ἀπολαύεις τραπέζης; ἧς περ ἄγγελοι βλέποντες φρίττουσι, καὶ οὐδὲ ἀντιβλέψαι τολμῶσιν ἀδεῶς διὰ τὴν ἐκεῖθεν ἐκφερομένην ἀστραπήν, τούτῳ ἡμεῖς τρεφόμεθα, τούτῳ ἀναφυρόμεθα, καὶ γεγόναμεν ἡμεῖς Χριστοῦ σῶμα καὶ σὰρξ μία. *Et infrà*: μηδεὶς τοίνυν Ἰούδας παρέστω, μηδεὶς φυλάργυρος. εἴ τις μὴ μαθητής, ἀναχωρείτω. οὐ δέχεται τοὺς τοιούτους ἡ τράπεζα. μετὰ γὰρ τῶν μαθητῶν μου, φησί, ποιῶ τὸ πάσχα, αὕτη ἐκείνη ἐστὶν ἡ τράπεζα, καὶ οὐδὲν ἔλαττον ἔχει. *Chrysost. Hom. 83. in Matth.*

Quin etiam idem Euangelij Ioannis caput quod prauæ doctrinæ tuæ arcem ac præsidium censes, explanans, posteaquam insigni verborum magnificentiâ sanctissimi huius Sacramenti vim atque admirabilem efficientiam celebrauit, posteaquam asseruit, [b] *Sacrum hunc sanguinem viuam ac spirantem in nobis Regis nostri effigiem reparare: hunc sanguinem perennibus vndis animam irrigare ac fouere, cuius eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marcescere ac degenerare non sinit: hunc sanguinem dignè gustatum dæmones fugare & longè à nobis profligare, Angelos verò & Angelorum Dominum ad nos allicere. Hunc sanguinem animarum nostrarum salutem esse, hoc recreari animum,*

b τοῦτο τὸ αἷμα τὴν εἰκόνα ἡμῖν ἀνθηρὰν ἐργάζεται τὴν βασιλικήν, τοῦτο κάλλος ἀμήχανον, τοῦτο ἀπομαρανθῆναι τῆς ψυχῆς τὴν εὐγένειαν οὐκ ἀφίησιν, ἄρδον αὐτὴν συνε-

hoc ornari, hoc inflammari, atque ipſo igne clariorem reddi, & auro ſplendidiorem. Ab hac menſâ ſalire fontem fluuios ſpiritales diffundentem juxta quem non ſteriles ſalices adnaſcuntur, ſed arbores quæ cœlum ipſum attingunt, ac tempeſtiuos ſemper & nunquam marceſcentes fructus afferunt. Hunc lucis fontem eſſe veritatis radios ſpargentem, cui ſuperni ſpiritus adſtantes aquas eius limpidiſſimas intuentur, quippe qui pleniùs atque apertiùs tantæ pulchritudinis excellentiam & inacceſſum ſplendorem perſpiciunt.

χῶς καὶ τρέφοι ..... τοῦτο τὸ αἷμα ἀξίως λαμβανόμενον, ἐλαύνει μὲν δαίμονας καὶ πόρρωθεν ἡμῶν ποιεῖ, καλεῖ δὲ ἀγγέλους πρὸς ἡμᾶς καὶ τὸν δεσπότην τῶν ἀγγέλων..... τοῦτο ἡ σωτηρία τῶν ἡμετέρων ψυχῶν. τούτῳ ἡ δεῖται ἡ ψυχή. τούτῳ καλλωπίζεται. τούτῳ πυροῦται. τοῦτο πυρὸς λαμπρότερον ἐργάζεται τὸν νοῦν τὸν ἡμέτερον. τοῦτο χρυσίου φαιδροτέραν τὴν ψυχὴν ποιεῖ........ ἀπὸ τῆς τραπέζης ταύτης ἀνέβλυσε πηγή, ποταμοὺς ἀφιεῖσα πνευματικούς, παρὰ ταύτην τὴν πηγὴν πεφυτευμέναι εἰσίν, οὐχ ἰτέαι ἄκαρποι, ἀλλὰ δένδρα πρὸς αὐτὸν φθάνοντα τὸν οὐρανόν, καρπὸν ἔχοντα ὥριμον ἀεὶ καὶ ἀμάραντον........ αὕτη ἡ πηγὴ φωτός ἐστι πηγὴ ἀναβλύζουσα ἀληθείας ἀκτῖνας. ταύτῃ καὶ αἱ ἄνω παρεστήκασι δυνάμεις πρὸς τὸ κάλλος ἐνορῶσαι τῶν ῥείθρων, ἐπειδὴ καὶ σαφέστερον ἐκεῖναι τῶν προκειμένων θεωροῦσι τὴν δύναμιν, καὶ τὰς μαρμαρυγὰς τὰς ἀπροσίτους. *Chryſoſt. Homil. 45. in Ioan.*

Denique poſtquam in explicanda magnitudine ac diuinitate huius myſterij omnes ingenij ſui ac eloquentiæ opes exhauſit, attende obſecro, an illius concluſio cum tuâ conueniat. [c] *Sed ſicut magnum eſt & admirabile hoc Sacramentum, ita ſi purè acceſſeris, ad ſalutem acceſſiſti: Sin verò cum impura conſcientia ad pœnam & ſupplicium. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Nam ſi qui Regiam purpuram coïnquinant, haud ſecus quam qui lacerant puniuntur: quid mirum, ſi qui immunda conſcientia Corpus Chriſti accipiunt, eodem cum illis ſupplicio afficiantur, qui ipſum Cruci affixerunt?*

c ἀλλ' ὥσπερ ἐστι μέγα καὶ θαυμαστόν, οὕτως ἂν μὲν μετὰ καθαρότητος προσέλθῃς, εἰς σωτηρίαν προσῆλθες, ἂν δὲ μετὰ πονηροῦ συνειδότος, εἰς κόλασιν καὶ τιμωρίαν. ὁ γὰρ ἐσθίων φησὶ καὶ πίνων ἀναξίως τοῦ κυρίου, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει. εἰ τοίνυν οἱ ῥυποῦν-

Maneat igitur ac fixum ſit omnium Patrum conſentiente ſententiâ, ſicut Chriſti verbis ad animorum cibum corporis eius ſuſceptione peten-

dum compellimur : ita iiſdem verbis ad idoneam tam ſancto muneri animi affectionem comparandam nos compelli. Adeoque ſicut eorum negligentia qui cœleſtis huius Sacramenti fructum capere pro nihilo duxerint, illis vocibus coarguetur ac percelletur : ita multò acriùs etiam ac vehementiùs iiſdem coarguendos ac percellendos qui ſuperbâ quam in eorum mentes immittere niteris confidentiâ præcipites ad cœleſtem menſam vitæ ac piorum operum puritate quâ ad eam componerentur omiſsâ, aſpirare auſi fuerint.

τες τὴν πορφύραν τὴν βασιλικὴν κολάζονται, ὥσπερ οἱ διαῤῥηγνοῦντες, τὴν ἀπτικὸς καὶ τοὺς ἀκαθάρτῳ διανοίᾳ δεχομένους τὸ σῶμα, τὴν αὐτὴν ὑπομεῖναι τιμωρίαν τοῖς αὐτὸ διαῤῥήξασι διὰ τῶν ἥλων. Ibid. infrà.

Supereſt, vt ad fideles ab vtroque periculo vindicandos aurea hæc S. Bernardi verba eorum animis diuinitùs inſculpi orem ac voueam : Sic vivendvm est, vt panem illvm svpersvbstantialem semper accipere valeamvs, qvia væ ei qvi se alienvm fecerit ab eo, et mvltvm væ illi qvi spvrcvs et immvndvs accesserit. Vtrobiqve grande pericvlvm : Ideoqve magna necessitas instat, ne indigni inveniamvr.

Bern. de Ordine vitæ, vel quiſquis alius eſt autor huius Tract.

Capvt XXVII.

De regvlis ad qvas dirigenda ſit Laïcorum Communio ab Aduerſario propoſitis.

Aduerſarius.

Regulæ à Laïcis ad dirigendam eorum Communionem obſeruandæ.

Catholici Doctores Regulas quasdam præscribunt, quibus doctrina superior velut explorata, & à Catholicis omnibus amplectenda ad vsum prudenter transferatur.

RESPONSIO.



NOLI, quæso, in Ecclesiam ita iniurius esse, vt omnibus generatim eius Doctoribus dogmatum tuorum labes imponas. Christi sponsa immortalis sponsi gloriam ardentiùs æmulatur; quàm vt placita sacræ illi doctrinæ ab ipso è cœlis in terras delatæ, ac sanguine eius obsignatæ, adeò repugnantia probare vnquam ac tueri queat. Certiùs ab ipso Dei spiritu gubernatur ac regitur, quàm vt aberrationum tuarum comitem vnquam & consectatricem se præbeat. Postremò in eam quæ in immobilis petræ stabilitate nititur, non cadit ea inconstantia & leuitas, vt lucem instituendis moderandisque filiis suis diuinitùs acceptam ipsa obscuret atque obducat; exploratissimamque illam *Traditionis Sanctorum regulam* peruertat, quâ *nullam potiorem certioremque esse, vt cum in cæteris rebus tum in hac errorem fugiamus* tute agnoscis, quamque renouare verbis sequentibus, quæ ad præfringendas regulas tuas in primis faciunt, ipsius te vis veritatis compulit.

CAPVT XXVIII.

DE PRIMA REGVLA ADVERSARII: *Probi Moderatoris consilijs parendum esse.*

Aduersarius.

I. *MOderator & Confessarius opus est, scientiâ excultus, Spiritu diuino instructus, vsu & experientiâ doctus, à priuatis opinionibus & SS. Patrum mente alienis abhorrens, cuius consilio Communionis tempora constituantur.*

RESPONSIO.



CVM veritate nihil sanctiùs, nihil inuiolatiùs esse debeat, diligentissimè à mendacio cum quo interdum confunditur atque implicatur, secernenda est, ne dum id quod antè omnia odisse nos conuenit, refellere videmur, eam quam antè omnia colere ac diligere debemus refellamus. Ex quo fit, vt primam quam hîc statuis regulam probandam vehementer ac laudandam existimem, quippe quæ veritati quam vbicumque sese exhibet, toto pectore veneror, planè congruat, idoneamque ad fallaciarum tuarum vmbras omnes discutiendas lucem præferat.

Iure ac meritò censes cum de frequenti Sacramentorum vsu agitur, rem tanti ponderis nonnisi prudentis alicuius viri consilio esse moderandam. Hunc ordinem vel in natura, vel in gratia Deus ipse constituit,

constituit, vt perfectioribus imperfectiora subiaceant. Ex hac causarum inferiorum ac superiorum continuatione colligationeq; admirabilis illa mundi totius harmonia & quasi concentus existit. Hac ipsâ membrorum mutua inter sese subiectione & ordine præcipua penè Christi corporis species ac pulchritudo continetur. Pedes, vt rectè gradiantur, oculorum nutum sequantur oportet: Ita ad virtutem tendentium, nouitiorum præsertim, permagni interest, vt iis quos Dei spiritus vberiori luce cumulauit, regendos sese ac gubernandos committant. Qua de re præclarè D. Bernardus: *Simplicitas*, inquit, *initium aliquod in se ipsâ habens creaturæ Dei, hoc est, voluntatem simplicem & bonam, quasi futuri boni hominis informem materiam, in primordio conuersionis suæ offert autori suo eam formandam. Jam enim cum bona voluntate habens initium sapientiæ, id est, timorem Domini, ex ipso colligit per se eam formari non posse.*

Bernard. ad fratres de Monte Dei, c. 5. seu quisquis alius est autor huius Tract.

Quocirca neminem reperias, qui quibus potissimum rationibus Dei viam fideles ingrediantur accuratiùs docere instituerit, à quo hæc regula veluti grauissima præfixa non fuerit, vt nimirum deligatur vir probus, dux itineris longè difficillimi, iis maximè qui diuinos eius calles & anfractus perspectos non habent.

Ex Recentioribus beatæ memoriæ Episcopus Geneuensis consilium hoc *admonitionem admonitionum* vocat, ac Presbyterum Auilam secutus *istâ humilis obedientiæ ratione viam tutiorem exploratioremque nullam* agnoscit.

Introduct. 1. Part. c. 6.

Ex antiquis verò Basilius Magnus adolescentem instituens, qui se totum Deo tradere cogitabat, *Magnâ curâ,* inquit, *& solicitudine operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in istâ quam amplexus es vitæ institutione certissimum ducem sequaris, qui probè sciat Deum requirentibus viam monstrare, qui virtutibus omnibus ornatus sit, cui facta sua idoneum charitatis erga Deum dederint testimonium, qui Sacrarum literarum scientiam habeat, firmum prætereà ac constantem, neque ijs rebus quæ hominum mentes labefactare solent, loco suo dimouendum, ab auaritia abhorrentem, à negotijs secularibus liberum atque omninò alienum, quietis cupidum, Dei amantem, pauperum & paupertatis studiosum, non iracundum, iniuriarum immemorem, qui lubens incumbat in instituendis atque informandis ijs qui ad ipsum accedant, quem inanis gloria non inflet, nec superbia extollat, qui adulationem & blanditias oderit, qui denique cæt. ris omnibus rebus Deum longè anteponat.*

Basil. in Asceticis. Serm. 1. de abdic. seculi.

Quod si in rebus minimis ducem sequi perutile est; id ipsum in re omnium longè grauissima, in sacra videlicet Communione grauissimum sit necesse est. Nec verò quidquam Christus magis in ministrorum suorum potestate quam diuinorum mysteriorum dispensationem esse voluit, vt hominum vel ad altare admittendorum, vel ab altari remouendorum dijudicatio in eorum officio autoritateque resideret. Atque hæc potestas in ligandi & soluendi potestate continetur. Vnde Patribus eadem sunt, *ligare, ad pœnitentiam cogere, ab altari remouere* : sicut & *soluere, pœnitentibus veniam relaxare, altari reconciliare.*

Atque vt hæc potestas testatior esset, tametsi fideles olim Eucharistiam in manum acciperent, atque adeò domum ad sese & peregrinantes secum deferrent, nunquam tamen eam ab altari ipsi sumebant, sed Sacerdotis manu traditam accipere jubebantur. *Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manu quam præsidentium sumimus*, inquit Tertullianus. (Tertull. de Corona c. 3.) Quod ad exemplum inuiolatæ Traditionis, cuius in Scripturis mentio non extet, ab eo vsurpatur. Sacramentum verò de manu sumere Sacerdotis quid tandem aliud est, quam eius consilio autoritateque accipere? Quare si peccatorum mortalium conscius non eo sit animo vt communionem inconsulto Sacerdote capessendam sibi non putet; si Eucharistiæ veluti cibi solidioris atque infirmitati suæ minùs congruentis dilationem, perfectiori sanitati per pœnitentiæ opera ipsi procurandæ comparatam ferre non possit, præcipuam Sacerdotalis potestatis partem euertit; *Christi Corpori ac Sanguini vim infert*, vt Cypriani verbis vtar. (Cypr. Tract. de lapsis.) Ac si Augustino assentiamus, propter contumaciam quâ ab eo quod in terris est altari tantisper submoueri recusat, dignus est qui ab eo quod in cœlis est altari æternùm excludatur. *Quomodo enim*, inquit, *in interiora veli, & in illa inuisibilia Sancta Sanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens noluit paulisper à visibilibus separari.* (Aug. homil. 50. c. 3.)

Iam verò ductoris necessitate constituta & fixa, superest vt de virtutibus eius dicendum sit. Quamuis enim vtilis ductor videatur, nullum tamen ha-

bere ſatiùs multo eſt, quàm eum qui prudenter regere aut neſciat, aut nolit. Hinc pius Epiſcopus Geneuenſis eum demum neceſſarium ſcribit, *qui charitatis, ſcientiæ ac prudentiæ plenus ſit, periculoſumque ac metuendum quem trium iſtorum aliquid deficiat.* Hinc Preſbyter Auila *ex mille vnum* ad hoc muneris ſeligendum cenſet. Beatus autem ille Antiſtes *ex decem millibus, quoniam,* inquit, *pauciores ſunt quam dici poſſit qui tanto operi ſint pares.*

Introduct. 1. part. c. 6.

Atque hoc quidem pius Epiſcopus ex Euangelio propheticaque illa Chriſti voce deprompſit, *Quis, putas, fidelis, ſeruus & prudens?* Quæ verba ſummam eiuſmodi ductoris reperiendi difficultatem pariter demonſtrant, (Chryſoſtomo enim Gregorio & Bernardo autoribus vocula, *Quis*, maximam penuriam ſonat) & eaſdem quæ ab Epiſcopo illo poſtulantur partes ac dotes ſummatim complectuntur. Nam nec eximiè fidelis, niſi qui eximiè bonus ſit, eſſe quiſquam poteſt. Vnde quem fidelem, eundem & bonum hoc loco dicit Chriſtus, *Euge ſerue bone.* Ex mente autem Euangelij in nemine virtus excellit & bonitas, niſi in quo excellat charitas. Nec minùs patet prudentiâ illâ de qua Chriſtus loquitur ſcientiam ab Epiſcopo Geneuenſi commemoratam contineri. Ipsâ enim communis ſenſus luce ſatis intelligitur, prudentiam ſine ſcientia nullam eſſe. Vt enim in bello nemo prudens, niſi qui rei militaris gnarus atque intelligens fuerit: ita animas hominum prudenter nemo ac ſapienter regat, niſi qui diuinæ illius artis cogni-

tionem & ſcientiam non mediocriter teneat. Itaque trium illarum partium alia ex alia nectitur atq; ſuſpenſa eſt. Ex quo efficitur, vt ſi ex pij illius Antiſtitis ſententiâ in animarum ductore abundantia, &, vt ſic dixerim, plenitudo charitatis ineſſe debet, in eo etiam ſcientiæ ac prudentiæ plenitudo ineſſe debeat. Quod vſque adeò verum eſt, vt qui vnius hominis animam ſapienter regere norit, idem pluribus regendis par merito haberi queat. Sicut qui olim in vnica familia gubernanda probè ac ſapienter verſatus fuerat, Eccleſiæ quæ multos homines multaſque familias continebat, gubernandæ, ordinandæque idoneus ab Apoſtolis habebatur. *1. Ad Tim. 3. v. 4.*

Quare qui animam vnam quam vniuerſum mundum regere difficiliùs eſſe dixit, rem veriſſimam complexus animo eſt, quæ, ſi rationis ac fidei congruentiam conſenſionemque Patrum autoritate firmatam ſpectes, facilè probetur cuiuis homini, qui norit modo quid inter corpus interſit & animas, Chriſtique gratiam quâ vnâ anima viuit, multo magis animæ antecellere, quam anima corpori antecellat. Vnde à duobus ſanctiſſimis Gregoriis meritò ſcriptum eſt, *Artem artium eſſe regimen animarum.* *Cardinalis Berullius.* *Greg. Naz. Or. 1. Et Gregor. Magn. part. 1. Paſtor.*



Capvt XXIX.

Probi animae rectoris dotes rectè ab Aduersário descriptas:

Primam, Vt doctus sit.



EGo vero facere non possum, quin tuam in SS. Patrum sensibus etiam hoc loco consectandis fidem ac religionem agnoscam, dotesque probi animarum rectoris à te breuiter perstrictas, ita æquitati ac rationi consentaneas fatear, vt si modo ritè accipiantur, eximiam quandam illius formam & velut ideam referre possint, quæ, vt Platonis voce vtar, merito appelletur, *Ipse Director.*

Principiò postulas, *vt doctrinâ instructus sit.* Quî enim conuenit, vt lucem tenebræ subministrent, atque vt cœcus aliis se ducem præbeat? Omninò qui animarum regendarum munus suscipere velit, fidei doctrinæ notitiâ abundet ac refertus sit necesse est; & priusquam instruere alios aggrediatur, diu ac multum in seipso instituendo, erudiendoque laborarit. Ex studio simul ac pietate efflorescat & redundet eiusmodi eruditio oportet: nec eâ quæ contentionis vsu comparatur scientiâ contentus sit, sed excelsiorem illam ascisćat, quæ à Scriptura, *Scientia Sanctorum* appellatur, quam solus Dei Spiritus instillat, quam denique gemitus orationesque assiduæ exprimunt atque impetrant.

Quare triplex illi ſcientia opus eſt. Vna, quæ è Scholâ petitur: Altera, quæ ex perpetua Eccleſiæ Traditione: Tertia, quæ ex fonte ipſo hauritur per familiarem vſum & conſuetudinem quâ cum Chriſto pias ac religioſas mentes feruor pietatis & charitatis conglutinat. Prima illum eorum diſciplinæ, qui vulgo Doctores appellantur, alumnum: Altera Eccleſiæ Catholicæ diſcipulum, vt loquuntur Patres: Tertia auditores efficit ipſius Chriſti, qui Paſtorum & Eccleſiæ rectorum animas arcanis illuſtrationibus, quibus, vt Euangelium loquitur, *docibiles Dei* fiant, informat, diuinarumque rerum notitiam mira & ineffabili inſerit ratione, quam *nemo nouit, niſi qui accipit.* Hinc toties ab Auguſtino inculcatum, Verbi Dei præconem, animarumque moderatorem, nihil apud eas niſi quod ipſo illo tempore dum ad docendum accedit, cœlitus ſuggeritur, proferre oportere; nec minùs intentâ cordis aure interiorem Chriſti vocem ſecretaque monita excipere, quam qui ipſum audiunt exteriorem illius orationem & linguæ ſonos accipiant.

V. Aug. l. 4. de Doctr. Chriſt. c. 15. Et Serm. 38. de verb. Domini c. 4. Et alibi. Necnon D. Gregor. l. 3. & 4. in 1. Reg. Et D. Tho. in ſupplem. q. 18. art. 4.

CAPVT XXX.

SECVNDA VIRTVS PROBI ANIMARVM Rectoris, vt ſit ſpiritualis.



CENSES præterea animarum Rectorem ſpiritualem eſſe oportere. Quod quidem ſi abſit, vniuerſa mundi Sapientia inſania eſt, luxque omnis eruditionis ignis quidam fatuus quo ad perniciem

præcipitiumque deducimur. Verumtamen hæc virtus tot alias complectitur, vt ea non tam obuia & prompta cuiuis ſit, vt tu fortaſſe opinere. Quod quidem ſermone proprio è Patribus deprompto ſeorſum demonſtrare perfacilè erit, ſi vel dubitare vel cupere te profiteare. Verum in præſentia ſatis fuerit ad Gregorij Magni Paſtoralem librum te dimittere, in quo videas præter cætera ſpiritualis Rectoris ornamenta, hæc duo excellere in eo atque eminere oportere, prudentiam ſpiritus, generoſamque libertatem, quam Spiritus Sanctus iis quos impleuit ingenerat, teſte Apoſtolo, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Gregor. Paſtor. Part. 1. c. 10. & 11. Et Part. 2. c. 1. 2. 3. & 4.

2. Cor. 17.

Hæc duo dona Apoſtolis contulit Chriſtus, cum eos *ſal terræ*, ac *mundi lucem* conſtituit: vt quemadmodum lucis titulo illuſtrandarum vim animarum; ita ipſo ſalis nomine incorruptam in ſeipſis firmitatem quâ alios à labe & corruptelâ tuerentur, ſuſciperent.

Hac prudentia ſpiritus, quæ prudentiæ carnis ab Apoſtolo ſemper opponitur, verè ſpiritualis animarum Rector ex prauis ac peruerſis hominum ſenſibus ſententiam non feret, ſed quæ ſunt ſpiritus ad ſpiritus regulam exiget, juxta Apoſtoli præceptum, *Spiritualibus ſpiritualia comparantes.* Peccata vel rectè facta non *penſabit*, vt Auguſtini verbis vtar, *in ſtatera doloſa conſuetudinum humanarum, ſed in ſtatera æqua diuinarum Scripturarum.* Semper infixum habebit in animo poſt baptiſmatis fœdus per lethalia peccata infractum ac violatum, juſtitiæ Dei neceſſario

1. Cor. 2. 13.

Auguſt. l. 3. contra Parmenian. c. 2.

cessario satisfieri oportere. Dabit operam quantum licebit, vt ex Patrum & Concilij Tridentini mente, remedium vulneri respondeat; pœnitentia crimini par sit. Sæpiùs hoc Saluatoris mandatum reuoluet animo, *Nolite sanctum dare canibus, neque proijciatis margaritas vestras ante porcos*: Hoc est, Ambrosio interprete, *immundis spiritibus sacræ Communionis non facilè impartienda commercia*. Non subministrabit *pro salutaribus dilationum remedijs exitiosa properatæ Communionis venena*, vt ad Cyprianum scribit Clerus Romanus. Arbores juxta Euangelij præceptum, ex fructibus potiùs quam ex foliis æstimabit, hoc est, internam animorum affectionem factis potiùs quam verbis expendet. Peccatores denique qui vitam in melius referre meditantur, etiam atque etiam admonebit, haud satis esse ad Sacerdotes & Sacramenta confugere, sicut Pharisæi olim & Sadducæi qui summa inter Iudæos virtute habebantur ad Ioannis baptisma confugiebant; sed prætereà sicut Beati illius Christi præcursoris ore Spiritus Sanctus edixit, *dignos pœnitentiæ fructus esse faciendos*, hoc est, si Patres audiamus, vnumquemque verum ac sincerum antè actæ vitæ scelerum dolorem, conspicuarum actionum quasi publicâ voce profiteri debere. Quemadmodum enim peccatores ad veniam delictorum obtinendam satis non est dignos pœnitentiæ fructus edere, nisi etiam à Sacerdotibus absolutionem animis rectè paratis petant: Ita Sacerdotibus recta eorum animi præparatio, interiorque pœnitentia, nunquam satis cognita & ex-

Ambros. de Pœnit. l. 2. c. 9.

Cler. Rom. Ep. 30. ad Cypr.

plorata est, quantum hæc vita patitur, nisi pœnitentiæ illorum opera fructusque perspiciant.

Libertas autem spiritus, huius comes ac socia prudentiæ, nulli eum cupiditati ac præsentium desiderio seruire patietur. Hæc illum supra terrena & caduca omnia elatum solis cœlestibus atque æternis infiget, expeditumque creaturarum seruitio, vni omnium subijciet Creatori. Sæpiùs antè oculos proponet, quod de Apostolis à Chrysostomo dictum est: [a] *Fuisse illos doctores orbis vniuersi, nec simpliciter doctores, sed seueros quosdam ac terribiles*, ἀλλὰ καὶ φοβερούς. [b] *Diabolo peculiare esse blandiri vt noceat, Dei verò maximè proprium, corripere vt prosit.* In memoriam etiam reuocabit, cum in se persecutionum æstus commoueri sentiet, [c] *Christum Dominum in Euangelio singularem pseudoprophetarum notam assignasse, si ab omnibus hominibus benedicantur.* [d] *Diaboli quoque fraude*, quod idem Scriptor obseruat, *non rarò accidere, vt justorum ac bonorum virorum virtuti tenebræ offundantur, quo faciliùs iniurijs contumelijsque varijs exagitari atque affligi possint: fieri nihilominùs frequentissimè, vt si conscientiam eorum conuenias à quibus vexantur*, [e] *occultè admirari, ac suspicere deprehendas quos publicè insectantur: Contraque vt plurimum quibus ijdem palàm adulantur, clàm eorum improbitatem accusare atque odisse.* Denique iterum atque iterum animo versare jubebit, quod sapienter monet idem Autor: *se tanquam sal terræ à Christo datum, cuius ea virtus est, vt laxa quæque ac mollia vrendo ac constringendo diffluere non permittat. Forti igitur atque acri animo*

a Chrysost. hom. 15. in Matth.

b Hom. 13.

c Hom. 15.

d Ibid.

e Ibid.



opus esse, qui probris ac maledictis lacerari non refugiat, cum multo magis timendum sit, ne si adulari ac dissimulare velit, vt hominibus placeat, ipse corrumpatur salis instar infatuati, quod ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras & conculcetur, ac præterea sterilitatis vitium agris vbi sparsum fuerit inserat.

Capvt XXXI.

Tertia virtvs animarvm rectoris. Experientia. Qualem eam esse oporteat. Vbi & de vocationis necessitate.



Ertiam in animarum Rectore postulas, Experientiam & vsum. Verum illud animaduertendum maximè, & hoc inter eam & cœterarum experientiam artium discrimen intercedere, quod non minùs ex interno animi habitu quam ex externo vsu atque exercitatione spectanda sit. Cum enim corporum medicus artis suæ tyrocinium in aliis curandis non sine eorum periculo & damno deponere soleat: Contra animarum medicus antè omnia in seipso quid possit periculum faciat oportet, primumque operis sui rudimentum in suæ ipsius animæ curatione constituere.

Diu Spiritus Sancti discipulus fuerit oportet, qui se aliorum Doctorem ac Magistrum exhibere paret. Diu factis docendi sunt homines, antequam verbis edoceantur. Diu in abdito atque in solitudine consulendus Deus, antequam in publicum

prodeas, & responsa edas, quæ oraculorum vice habeantur.

Postremò quantauis virtute, quantauis eruditione quis polleat, accedat ad eam oportet non externa tantum sed & interna Dei vocatio, quæ non in hominum modo à quibus vocamur opinione, sed & propriæ mentis conscientia nullum majus vitium nobis inesse, Deumque in præsentia nobis administris vti velle, niti debet. Non enim minore quis culpâ munus ad quod à Deo vocari se sentiat detrectet, vbi sincerum quod ab ipso fertur de se ipso judicium, ab eorum à quibus vocatur honorifica existimatione perspicuè non discrepat, quam in idipsum per vim inuolet ac sponte se ingerat, Dei nutum & vocationem præcipiti ac temeraria cupiditate præuertens.

Hæc enim Apostoli ex Euangelio, quod ille semper imitatur atque exprimit, deprompta sententia, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, Ecclesiâ ipsâ cuius fundamentum est, non minùs inconcussa atque immota manet, nec vllis vnquam humanis interpretationibus infringi aut adulterari potest. *Hebr. 5. v. 4.*

Ioannes Baptista, cum longè antequam in lucem ederetur Prophetæ voce Messiæ venturi Præcursor esset designatus: cum non aliam ob causam quam vt oraculum istud impleret, nasciturum eum Angelus asseuerasset: cum vt idem de integro confirmari sibi audiret, impeditam patris linguam ipse soluisset, totum tamen penè vitæ tempus silentio

atque in solitudine traducit, nec priùs ad munus suum ad quod se toties, tamque miris modis à Deo vocatum intelligebat obeundum, prodit è deserto, quàm nouum prætereà mandatum, nouam à Spiritu Sancto missionem acceperit. *Factum est*, inquit Euangelista, *verbum Domini super Ioannem in deserto*. Luc. 3.

Ac multo anteà Moyses Ministrorum Ecclesiæ Synagogâ adumbratæ princeps, cum à Deo terque quaterque vocatus esset, semper tamen Dei palàm sese exhibentis, planiusque etiam cum ipso quam cum Patriarchis colloquentis, manifestæ voci reluctatur. Deum videlicet ab annis quadraginta in deserto colens, delectabatur tali vitæ genere, & eo facilè contentus erat, nec aliud sibi quam pascendarum ouium munus quærebat, quamuis in aula regia educatus, in bellis diu versatus, heres regni designatus fuisset, nec Ægyptiorum modò, sed & Sanctorum Patriarcharum vberrimam scientiam animo complexus esset: quoque magis talem illius cum Deo pugnam stupeas, seipsum vt Iudaïcum populum olim à seruitute liberaret, morti mirabiliter ereptum, & à Pharaonis filia adoptatum fuisse pernouerat.

Ecce autem aliud in eo genere longè admirabilius. Christus ipse è cœlo in terram missus vt mundi lux esset, triginta annos vitam integritatis ac sanctitatis plenissimam, sed abditam penitùs ac vulgò hominum ignotam colit, quasi opus illi fuisset tam diuturna secessio, quo sensim perfectionis apicem, virtutesq; muneri ad quod missus fuerat fungendo

necessarias consequeretur. Quodque summoperè est animaduertendum, diuinæque vocationis in animarum regimine suscipiendo necessitatem confirmat, quamuis Ioannis & æterni Patris testimonium illius vocis tonitru, *Hic est filius meus dilectus*, publicè editum, quo eum Pater & Filium suum & delicias suas esse declarauit, vna cum Sancti Spiritus in eum illapsu vocationem ipsius omnibus hominibus cumulatissimè probaret, eumque vt Dei Patris legatum ad eos instituendos venisse planissimum faceret: tamen in patria atque in ciuitate sua nonnisi missione Isaiæ verbis palàm in Synagoga prælectis omnibus declarata atque asserta Verbum Dei prædicare orsus est, cum idem anteà tot miracula coram Capharnaïtis edidisset, quæ ad ciuium illius aures notitiamque peruenerant, quibus ipsum à Deo ad homines de regni sui veritate edocendos missum facilè certiores efficerentur.

Hic fuit sensus, hæc mens omnium omninò Sanctorum. Cuius illustre exemplum in Gregorio Nazianzeno elucet. Ex familia pietate insigni oriundus erat: patre egregio Antistite natus: ab ineunte pueritia scientiarum virtutumque studiis excultus. Neque tamen tot eximiis dotibus Euangelicæ prædicationis sua sponte aggrediendæ jus aut licentiam sibi arrogare posse putauit: impressam Christi ipsius vestigiis viam studiosè persequi voluit. Ante baptismatis susceptionem, Christi instar, longum tempus sumpsit, quo ad ipsum paratior accederet & sanctior. Suscepto baptismate,

Christi instar, in solitudinem secessit. Plures annos in solitudine commoratus est, vt virtuti suæ robur ac firmitudinem adderet, & acceptam in baptismate gratiam ieiuniorum & orationum exercitationibus, assiduaque Scripturæ sacræ & Ecclesiastici carum doctrinarum meditatione cumularet. Postremò è solitudine nonnisi necessitate coactus discessit, nec ad Clerum & Sacerdotium nisi vi adhibita & imperio compulsus ascendit, vnde se ad regendarum animarum curam à Deo vocari clariùs ac certiùs intelligeret.

Ita Sanctorum suorum Deus in vtroque Testamento vitam & mores rexit. Nos contrà, cum multo maximam vitæ partem in rebus planè secularibus, atque interdum etiam in multis impuritatibus flagitiisque contriuerimus, in Ecclesiæ doctrina, in germana eius disciplina & institutis hospites etiam & peregrini, Sacramentorum dignitatis, castimoniæ denique animi, sine qua nullum Deo gratum opus ne ab infimis quidem Christianis fieri possit, ignari & rudes, vt primum tenui motu Deus animos nostros percellere, & reuocare ad se cœperit, continuò nos Prophetas effectos, dignosque Euangelicæ gratiæ præcones atque administros esse opinabimur? Quod si grauium etiam peccatorum nobis conscij simus, ne insigni quidem illo gratiæ Dei beneficio, quo nobis & vitæ præteritæ odium, & futuræ in melius componendæ voluntas ingenerata est contenti erimus: sed eam demum acceptissimam Deo pœnitentiam fore suspicabimur, si Sa-

cerdotio adiunctisque ei muneribus quorum prædicatio verbi & animarum regimen præcipua sunt, nos vltrò immisceamus atque implicemus.

Bern. Serm. 18. in Cant. Cant.

Quod tuum est, inquit Bernardus, *spargis & perdis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere. Quamobrem si sapis, concham te exhibebis & non canalem. Hic siquidem penè simul & recipit & refundit: Illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta cœlestia emanant, vt antè effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & alijs præesse gestientes, qui se ipsos regere nesciunt. Ego nullam ad salutem gradum pietatis illi gradui anteponendum existimo, quem Sapiens posuit, dicens: Miserere animæ tuæ placens Deo. Quod si non habeo nisi parumper olei quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & omninò nisi ad Prophetæ jussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his qui fortè existimant de me suprà id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et nihilominùs castè imitans illum de cuius plenitudine omnes accepimus, disce & tu nonnisi de pleno effundere: nec manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem.*

At sunt nonnulli qui hunc Bernardi locum memoriter teneant, nec sibi tamen aut aliis accommodent.

modent. Quod aliunde proficiſci non poteſt, niſi vel à degeneri quadam iniuriâ, vel ab inſolenti arrogantiâ, vel à ſecretiore quodam animi præjudicio, quo inducti antiquiora iſta Patrum decreta jam exoleuiſſe, ſermoneſque illos nonniſi S. Bernardi perſonâ dignos, aut æui fortaſſe illius Sacerdotibus animarumque ductoribus vtiles atque appoſitos fuiſſe perſuaſum habent.

CAPVT XXXII.

QVARTA VIRTVS PROBI RECTORIS: Sententiarum priuatarum & à SS. Patrum mente alienarum fuga. Merito atque optimo jure hanc ab Aduerſario poſtulari.



POSTREMAM in animæ Rectore deſcribis, *Sententiarum priuatarum & à SS. Patrum mente alienarum fugam.* Hæc cæterarum velut apex & cumulus, omnium vna fortaſſis grauiſſima merito habeatur. Cum enim omnia Rectoris conſilia ab ipſius ſenſibus manare neceſſe ſit, quis ſe ab eo probè regendum ſperet, qui priuatis opinionibus addictus ſalutares doctrinas ab ipſo Dei Spiritu per SS. Patres quaſi per diuiniora quædam organa jam inde à tot ſeculis promulgatas repudiare atque aſpernari non vereatur.

Hoc enim religionis noſtræ caput & quaſi fundamentum eſt, *Sapientiam Dei*, vt ait Auguſtinus, *miſcuiſſe ſe carni, vt inualidis* hominum mentibus *lacteſceret*, adeoque doctrinam ipſis & inſtitutionem Auguſt. Confeſſ. lib. 7. c. 18.

Idem de diuersis. Serm. 34. & 11.

omnem ab æterno illo fonte esse repetendam. *Omnes condiscipuli sumus*, inquit idem B. Doctor, *vnus in hac Schola magister est.* Iussit Pater vt Filium audiamus. Hic animorum primus est atque vnicus moderator: homines qui idem muneris obeunt, ministri eius & instrumenta. Quod ab eo didicerunt, docere debent: quod acceperunt tradere ac subministrare. Atque hac Christianæ Religionis primaria lege vetantur, nos priuatis ingenij sui præscriptionibus regere, propriasque nobis tenebras pro luce quam sequamur obtrudere.

Quod si hoc fidei nostræ fundamento quid fugere debeant admonentur, *priuatarum nempe opinionum licentiam*: ex altero quod hinc consequitur, facilè intelligent, quid inter præstigias & fucos quibus diuina Veritas à spiritu erroris obducitur, spectare oporteat. Hoc autem illud est, quod à te verissimè præscribitur, vt *animos cum SS. Patrum sensibus consentientissimos gerant*.

Sicut enim hac principe notâ vera religio à fallaci quauis religione secernitur, dum æternum Dei Verbum quod ab illis omittitur, suæ omnis eruditionis fontem atque originem statuit: sic alterâ notâ veriores doctrinas ex illo fonte manantes à figmentis & erroribus, qui verbi Dei nomine in hominum opinionem irrepunt, internosci oportuit. Hæc verò nihil aliud est quàm *Traditio originalis*, vt loquitur Irenæus, quàm sacer aquæductus, per quem è cœlesti illa scaturigine fluenta salutis in nos deriuantur: quàm catena aurea & insolubilis quâ

omnes Ecclesiæ ætates vno eiusdem fidei ac pietatis vinculo aptæ inter sese ac nexæ arctissimè colligantur.

Huius sanctissimæ Traditionis præsidio semper vsa Ecclesia est ad corruptelas omnes erroresque opprimendos, quibus hominum vel improbitas vel inscitia integerrimam sponsi eius doctrinam polluere ac deprauare conata est.

Hac Concilium Oecumenicum Ephesinum Nestorianorum conuincit audaciam, nonnullis superiorum Patrum testimoniis demonstrans, doctrinam ab illis impugnatam ipsam esse quam Sanctissimi illi Patres ab Apostolis acceptam studiosissimè coluerant. *Vincent. Lirin. c. 41.*

Hac S. Augustinus omnes Pelagianorum machinas disturbat, cum aliquot Patribus quibus eorum jugulabantur errores productis, *Quod*, inquit, *in Ecclesia inuenerunt, tenuerunt; quod didicerunt docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.* *Aug. lib. 2. contra Iul. c. 10.*

Hac Aërianos comprimit Epiphanius iisdem propè verbis: *Qui ante nos*, inquit, *testes extiterunt, eandem Traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam & ipsi à parentibus suis acceperant, & ipsorum parentes à majoribus suis didicerant.* *Epiph. hæres. 75.*

Hac Arrianorum impietatem profligat Athanasius: *Sententiam nostram*, inquit, *ostendimus à Patribus ad nos vsque continuata serie quasi per manus esse propagatam: Vos autem noui Iudæi & Caïphæ discipuli, quos dogmatum vestrorum patres, quos autores producetis?* *Athanas. de Decr. Nicen. Synod.*

Hac vini in calice aquâ miſcendi conſuetudinem contra quoſdam æui ſui Nouatores B. Cyprianus aſſeruit.

Cypr. Ep. ad Cæcilium.

Hac idem Sanctus duplex hominum genus rejecit ac fregit, qui diuerſis ac planè contrariis rationibus eandem pœnitentiæ labem exitiumque moliebantur: cum alteri peccatores longâ ac ſalubri pœnitentiâ non peractâ, ad Sacramentorum vſum præproperè reſtitutos falsâ ac peruersâ indulgentiâ corrumperent: Alteri ab omni recuperandæ Communionis ſpe deiectos, durâ & crudeli acerbitate in ſalutis deſperationem adducerent.

Cypr. Tract. de lapſis.

Idem Ep. ad Antonian.

Hac S. Stephanus Summus Pontifex Cypriani ipſius, Epiſcoporumque eius ſectatorum, qui cum ipſo hæreticos iterum baptizandos cenſebant, errorem compeſcuit, cum hanc iis ſolam vocem, *Quod traditum eſt non innouetur*, opponeret.

Vinc. Lirin. in Commun. c. 9.

Hac S. Anicetus ac deinde S. Victor Pontifices Paſchatis celebrandi legitimum tempus contra Aſiæ minoris Epiſcopos aſſeruerunt, cum Epiſcopi illi contraria conſuetudine quæ à S. Ioannis Apoſtoli neceſſaria indulgentia originem ducebat, niterentur. Et tamen nihilo ſeciùs à Sanctis illis Pontificibus antiquæ ac primæ veritatis conſciis, quam à B. Petro acceptam Occidentis Eccleſia perpetuo vſu tenuerat, conſuetudinem illam repudiare atque abdicare compulſi ſunt.

Hac eadem denique facillimè hæreſes omnes mendacij & impoſturæ victricis Antiquitatis teſtimonio conuinci Tertullianus docet, quod *aduerſus*

Tertull. contra Praxeam c. 2.

vniuersas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum quodcumque priùs, id esse adulterum quodcumque posteriùs: & hac vnicâ, vt ipsius verbo vtar, *præscriptione*, *aliud ab ijs doceri, quam quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.* *Idem de Præscript. aduers. hæret. c. 21.*

Nec verò etiamnum Ecclesiæ Catholicæ ad hostes quoslibet frangendos ac debellandos validiora vlla tela suppetunt, quàm hic vniuersorum Patrum consensus à Synodo Tridentina toties prolatus; quàm nobilissimorum testium post clarissimam mortem in beata æternitate viuentium incorrupta vox; quàm integerrimorum judicum sententia, quos vt sapienter notat Augustinus, *Nemo potest dicere partium contendentium alterutri perperàm vel aduersari, vel fauere potuisse.* *Aug. contra Iulian. l. 2. c. 10.*

Etenim cum ab hæreticis ob inuocationem Sanctorum, & eorum reliquiarum venerationem superstitionis & Idololatriæ insimulamur, quî clariùs apud quosuis æquioris animi homines calumniarum illarum ineptam ac futilem leuitatem refellere possumus, quam cum in ea re antiquam Patrum nostrorum pietatem nos æmulari, & eum qui Christi seruis defertur, in Christum ipsum redundare honorem, ab illa superstitionis & Idololatriæ victrice Ecclesiâ nos accepisse demonstramus?

Atque vt à proposito nobis argumento minùs recedamus, cum ijdem hæretici persuadere moliuntur, Pœnitentiam vitæ nouitate contineri; minimè necessarium esse, vt offenso Deo ieiuniis, precibus & eleemosynis satisfacere laboremus; Christi

benignitatem & clementiam violari, atque intolerandam induci seueritatem, si homines tot cruciatibus & ærumnis expiare peccata jubeantur; Deum non vt in lege Veteri, sic in Nouâ sanguine delectari, nec vt belluinum, sic humanum expetere: Satis est respondere cum Concilio Tridentino, *Satisfactionem ex omnibus Pœnitentiæ partibus à Patribus nostris Christiano populo perpetuo tempore fuisse commendatam*, & Sacramentum istud *laboriosum* quoddam *baptisma* fuisse habitum, in quo prioris baptismatis per flagitia violati vnda salutaris lachrymatum decurrentibus aquis supplenda sit. Satis est respondere cum Augustino: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis.* Satis est denique respondere cum Gregorio Magno: [a] *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ?* [b] *Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrarijs medetur: vt qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus; & qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringendo surgamus; & cor quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat; & quod vulnerauerat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ.*

Concil. Trid. sess. 14. c. 8.

August. hom. 50. c. vlt.

a *Gregor. l. 6. in 1. Reg.*

b *Idem in Pastor. part. 3. admonit. 31.*

Quod si hæreticos Traditionis autoritate ita reuincimus, vt eandem in domesticis disceptationibus ipsi aspernemur: nonne jam duas regulas planè discrepantes, alteram seueram aliis, alteram remis-

ſam nobis ipſis; duas menſuras, alteram æquam, alteram iniquam; duo pondera, alterum legitimum, alterum leuius inducimus? *Pondus & pondus,* inquit Scriptura, *menſura & menſura, vtrumque eſt abominabile apud Deum.* Quare probum animarum moderatorem *priuatis, & à SS. Patrum mente alienis ſenſibus vacuum eſſe oportere* meritiſſimò cenſes, vt cum Auguſtino verè poſſit affirmare, *Non aliam ſe fidem ſequi quam Catholicam fidem, venientem de doctrina Apoſtolorum, plantatam in nobis, per ſeriem ſucceſſionis acceptam, ſanam ad poſteros tranſmittendam:* Vt præeunte Vincentio Lirinenſi profiteri queat, Nullam ſe aliam doctrinam amplecti, *niſi Catholicam & vniuerſalem, & vnam eandemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis Traditione manentem, & vſque in ſecula ſine fine manſuram.* Vt ei denique dum alios docet, his ipſis Chryſoſtomi populum ſuum docentis vocibus vti liceat, *Non noſtra loquimur, neque enim nobis Magiſter vllus eſt ſuper terram, ſed quæ à Chriſto per Apoſtolos accepimus ea tradimus.*

Prou. 20. v. 10.

Aug. Tract. 37. in Ioann.

Vinc. Lirin. in Commonit. c. 13.

Chryſoſt. homil. 33. in Matth.

Sed ſatis multa de Rectoris animarum virtutibus. Reliquum eſt, vt diſpiciamus num regulæ tuæ cum illis congruant, præſertimque cum poſtremâ, hoc eſt, num *à SS. Patrum mente non abhorreant.*

CAPVT XXXIII.

ADVERSARIVM QVOTIDIANAM Communionem omnibus promiscuè suadere non ausum, cum tamen eius dogmata per se eò inducant quoslibet, etiam tenuissima virtute imbutos.

Aduersarius.

SEcunda Regula. Qui ter, quaterve in hebdomade, vel etiam quotidie Communione pasci cupiunt, quo consilio agantur, diligenter attendere debent; atque hoc idem Sacerdos accuratè excutiat, in talium enim hominum mentes superbiæ spiritus facilè irrepit. Si quid in eiusmodi voluntate vitij deprehendatur, minùs frequenter Communione vtendum erit.

RESPONSIO.



QVANQVAM Regula ista nihil quod minùs probandum sit præ se ferat, cum homines ad quotidianam Communionem nisi re maturè perpensâ accedere vetet: quid tamen in eo incommodi, imò quid periculi lateat, si cum cæteris tuis dogmatibus comparetur & connectatur, demonstrare in promptu est. Ex ea enim sequitur homines innumerabiles qui ad virtutem pietatemque Christianam nihil omninò progressionis fecerint, quique, vt tuis vtar verbis, *sui ipsorum amore pleni, ac mirum in modum seculo astricti sunt*, imò qui sæpiùs in peccata lethalia prolabuntur, recte ad Communionem

nionem sacram singulis diebus adituros: quod sanè Catholicis omnibus, tibique ipsi horrorem incutiat.

Fingamus igitur, si placet, istorum aliquem ad te se conferre, vt doceat in animo sibi esse quotidie Communione vti. Monebis videlicet, quod & hîc mones, videndum diligenter quid spectet, quid animum moueat, ne fortè spiritu superbiæ ducatur. Qui si responderit, optimo se consilio & fine moueri, spe nimirum, fore vt à rerum secularium & à sui ipsius amore diuellatur; persuasum sibi esse ex dogmatis tuis, *si in frequenti Communione perstet, procul dubiò consecuturum quod cupiat*, atque interim *Christo magnum & honorem & delectationem allaturum*: an recusare poteris quin eius voluntatem probes, & eum quotidie, tametsi vita cum Euangelij forma parum congruat, diuinis altaribus tuæ autoritate admoueas?

Atque vt omnis tibi causa præcidatur expostulandi, me cauillari, nec candidè tecum agere, quod plures alias Communionis adeò frequentis vetandæ causas agnoscas, licet hîc vnam duntaxat expresseris: paucis ostendam te alias omnes rationes, quibus is qui tam alienam ac degenerem animi affectionem gerat, à quotidiana Communione deterreri queat, in tuæ processu scriptionis euertere. Quid enim causari vltrò possis quod ille statim tuis ipsis verbis non refellat?

Non existimabis, opinor, illud ei magnoperè inculcandum, tanta Communionis frequentia ne-

cessarias eius occupationes disturbatum iri. Hanc enim rationem non satis latè patere intelligis: Nec te præterit innumerabiles esse qui verissimè asseuerare possint, haud ita se occupationibus vrgeri, quin saluis humanis rebus suis æternæ salutis curæ vnam quotidie horam impartiri queant. Nec es nescius, quam hoc de iis verè dici possit, quos potissimum in Scriptione tua intuebare.

Quid ergo? An dices cum Chrysostomo, eum qui adeò frequenter cœlesti illo cibo reficiatur, charitatis ardore incensum esse oportere, non secùs ac illum qui crebriùs alimenta adhibeat, natiuo calore abundare oportet? Respondebit ille te autore, *Christus ignis est, quamuis quis algeat, modo absit lethale peccatum* (hoc est, te interprete, modo peccatorum confessio antecesserit) *ad eum accedere oportet: sæpè enim qui ad Communionem frigidus accessit, feruidior atque ardentior ab ea rediit.*

An dices, sicut solidorum ac succulentorum alimentorum copia ægris corporibus non officere non potest: ita animo infirmiori ac debiliori discrimen imminere, si tam crebrò diuinissimo illo pane vescatur. *Eos*, teste Hieronymo, *hunc panem comedere qui in Christo robusti sunt, & ad quos Ioannes Euangelista loquitur, Scribo vobis, juuenes, quia sermo Dei in vobis manet, & fortes estis, & vicistis malignum.* Respondebit ille: *Imò verò, cum eam ob causam nobis Eucharistia subministrata sit, vt esurientibus cibus, ægris sanitas, infirmis robur addatur, qui esurit, qui ægrotat, qui languescit, absurdè faciat, si se ab ea remoueat.*

Hieron. in Zach. Proph. c. 9.

An demonſtrare conabere, ſummam venerationem quam Chriſto debeat, non ferre, vt eius benignitate temerè abutatur, toties ad eum properans, antequam familiari tanti hoſpitis conſuetudine dignum ſe vitæ ac morum ſanctitate præbuerit. Chryſoſtomum docere, *Menſam illam ſolis aquilis eſſe paratam*, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, *animis ſublimibus & excelſis, quibus nihil cum terra commune.* Cyrillum eos tantum *qui ſanctè viuunt*, ad myſteria illa cohortari? Facilis & expedita erit reſponſio: *Qui ita agat, Chriſti clementiâ non abuti, ſed eius potiùs voluntati & conſilio parere. Nec verò à debito illi ſummo honore ac veneratione diſcedere, vt Chryſoſtomus ac Cyrillus*, ſi tibi fides habeatur, *aſſeuerant.*

Homil. 24. in 1. Cor.

Libr. 4. in Ioan. c. 17.

An ſubijcies, eam eſſe myſterij huius dignitatem atque præſtantiam, vt ab illo interdum reuerentiæ cauſa digredi expediat. Hanc eſſe S. Bonauenturæ ſententiam, qui ne Sacerdotibus quidem Sacrum exiſtimat quotidie peragendum; quod qui nunquam prætermittat, non ſatis ipſum vereri videatur. Reponet ille ex tuis placitis (quæ Chryſoſtomo atque Ambroſio falsò aſcribis) *non eſſe, cur qui à Chriſti corpore recedit, majorem illi cultum ac reuerentiam adhibere ſe putet.*

An eò te conuertes vt dicas, ſi certum tempus ieiuniis, orationibus, aliiſque pœnitentiæ officiis impendat, dilatione illa paratiorem ad Communionem euaſurum. Vnde præclarè dictum ab Hieronymo: *Ipſum quoque Dominum, verum Ionam miſſum ad prædicationem mundi ieiunaſſe quadraginta dies,*

Hieron. in Ionam c. 3.

& hereditate nobis ieiunij derelicta, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparasse. At continuò tibi referet: *Nihil ad eam rem conferre Communionis dilationem. Imò istud ipsum Communionis frequentiâ potissimum effici posse.* Hoc enim ipse docuisti.

In 4. sent. dist. 12. q. 3. art. 1. q. 2.

An ad illum S. Thomæ locum confugies, *A quotidiana Communione abstinere debere eum, qui sentiat per quotidianam frequentationem reuerentiam minui & feruorem non multum augeri,* ac proinde metuendum esse, ne dum hoc Sacramento familiariùs vtitur, debita ei obseruantia ac reuerentia minuatur? At ille tua tibi regerens verba: *Hoc quidem,* inquiet, *in hominibus ita comparatum est, vt crebrior amicorum vsus contemptum pariat, dum amici næuos ac vitia detegit. At contrà, quo familiariùs Deo vtimur, eò ipsum studiosiùs colimus ac veremur. Ad eum enim quo propiùs acceditur, hoc de eo accipitur, & notitia clarior, & existimatio magnificentior, & amor ardentior.*

An admonendum putabis, cum in tot quotidie peccata prolabatur, quamuis leuia ac venialia, æquum esse, vt emendare ea & omni quoad fieri possit, illorum occasione abjecta, vt beatæ memoriæ Episcopus Geneuensis autor est, ab iis animum saltem affectumque diuellere studeat, antequam Sanctuarij cœlestis adita ingredi toties audeat? Contra ille, *Sanctorum,* dicet, *sententiam esse, neminem ob peccata venialia ab Eucharistiâ recedere oportere.*

An instabis, cum sæpiùs peccatis lethalibus se inquinet, si ad omnium Ecclesiæ Patrum normam se dirigi velit, antequam Communione potiatur,

fœditates illas ei pœnitentiæ lachrymis esse diluendas? Ille verò, sicut quotidie Communionem adhibere: ita quotidie, aut saltem quoties de mortali se delicto obstrinxerit, peccata confiteri velle profitebitur. *Patres censere* (quemadmodum imperitis persuadere niteris) *peccatis eiusmodi Communionem non excludi, si modo Contritio adsit, vel vbi Sacerdotis copia est, Confessio. Non licere ipsi sine crimine temeritatis ante Communionem ad agendam pœnitentiam plures dies sumere.* Ita, quodcumque demum flagitium admiserit, exiguâ horæ particulâ Eucharistiâ se dignum præstare posse.

An commemorabis hanc esse Catholicorum omnium Doctorum vocem, eum qui toties Communione pasci velit, eximio quodam pietatis motu efferri oportere? At ille dare se operam dicet, vt eum motum animo concipiat, quem cum in se leuiorem quàm velit experiatur, animum ob eam rem deijcere ac summittere, sicque ad Eucharistiam sine vlla dubitatione accedere.

Denique, si ad hunc modum responsantem diutiùs non ferens, verbo eum compescere aggrediare, jamque commotior adijcias, cauillationibus & suffugiis istis minimè fieri, quin constet hunc esse communem Christianæ pietatis sensum, quotidianam Communionem nonnisi sanctioribus animis gratiæ muneribus ac Christi amore plenis concedi oportere. Os ille tibi hac responsiunculâ obstruet. Istum quem narras pietatis sensum rudium hominum inanem esse opinionem, si modo verum sit

quod doces, *Quo quis à gratia se imparatiorem experitur, eò confidentiùs ad Christum accedere debere, quippe qui nulla re æquè ac donorum suorum effusione delectetur.*

Vide obsecro & maturiùs expende, quò tandem homines præcipites agas, vbi eos semel extra veritatis metas detorseris.

CAPVT XXXIV.

COMMVNIONIS TEMPORA EX cuiusque hominis negotiorum & occupationum ratione non esse potissimum constituenda.

Aduersarius.

SI quis frequenti adeò Communione impediatur, quo minùs quæ sui sunt muneris exequatur, non erit ei concedenda. Si Iudex, exempli gratia, cui ex officio cognoscendæ sunt causæ ac lites, quotidie Communionem vsurpare velit, præposterè faciat. In foro enim versari, controuersiarum instrumenta excutere, de ijs ad Collegas referre, studijs etiam ac lectioni incumbere debet, quæ cum quotidianâ Communione minimè cohærent. Plebeia mulier, quæ dimissâ officinâ quotidie ad Communionem excurrat, laudem non mereatur. Igitur in Communionis frequentia definienda, cuiusque statum & genus vitæ diligenter ponderare oportebit.

RESPONSIO.


HANC secundam rationem affers, quæ Communioni quotidianæ officiat. Verum præterquam quod ea minùs latè patet, nec ad magnam hominum, qui vel leuibus, vel nullis occupationibus detinen-

tur, multitudinem pertinet, vt suprà dictum est, perspicuè indicat, secundam illam virtutem quam in animarum moderatore postulasti, vt sit vir spiritualis, in teipso non ita reperiri: quippe qui res dininas sensuum potiùs arbitrio carnisque prudentiâ quam lumine fidei, ac prudentiâ spiritus metiaris. Peccatis quispiam leuioribus, imò grauioribus etiam ac mortiferis, sit implicitus (præuiâ modo eorum confessione) mentis eius studium omne refrixerit, de diuinis rebus cogitare vix possit, pietas eius elanguerit, omnibus animi morbis atque ægritudinibus conflictetur, sui ipsius amore tumeat, tenacissimis huic seculo vinculis astringatur: hæc omnia, te judice, cum Communione sacrâ optimè cohærent; Magistratus officia, vel familiæ negotia non item. Iudex, inquis, cui jus dicendum aliis, ad Communionem aspirare non debet. Mulier verò quæ in animum induxerit, non aliud sibi negotij in vita esse quam vt crines componat, scenicum sibi vultum fingat, publicarum deambulationum curricula, saltantium choros, ludentium consessus frequentet, nullo impedimento tenebitur, quin ad Communionem quoties libuerit, accedat. Satin' iste sensus atque ista mens cum Christianæ pietatis sensu ac genio congruit?

Nec verò inficias ierim, in Communione præfinienda aliquam cuiusque occupationum habendam esse rationem. Verum illud affirmo, alia priùs expendenda, quam istuc venias. Pharisæi esse externa inspicere, antequam interiora scrutatus sis,

cumque Christiana Religio omnem in animo sedem habeat; ex animo vtique & intimo, quem Dei spiritus in eo ciet motu, mysterij diuinissimi susceptionem esse metiendam.

Addo prætereà, si qui sint in quibus ea vitæ sanctitas quæ ad Communionem quotidianam adhibenda est reperiatur, illiusque ita frequentandæ voluntatem Spiritus sanctus iis immittat, hos rarò admodum, (nisi fortè alterius nutui ac ditioni subsint) occupationum multitudine ab eâ re prohibitum iri. Si enim talibus illos occupationibus Deus ipse alliget, ijque in illis obeundis spiritus ipsius instinctu, vt fides jubet, agantur, orationis diligentiorisque ad Eucharistiam præparationis locum ac vicem ipsæ implebunt. Tempus verò actioni eiusmodi necessarium nemo etiam occupatissimus non facilè reperiat, si modo studiosè & prudenter quæsierit, Christi nomini & gloriæ scilicet impendendum. Nonne Sacerdotes iisdem quæ tu cum quotidiana Communione cohærere non posse existimas, muneribus addictos sacrum quotidie facere videmus? Quid verò nascentis Ecclesiæ Christiani? Nonne frequentissimo Communionis vsu nihilominùs in rerum domesticarum cura, familiæ administratione, manuum etiam ex Apostoli præcepto labore versabantur, vitamque non minùs externa specie cæterorum hominum vitæ similem, quàm Deo & Angelis iudicibus ab ea dissimilem agebant?

Capvt

CAPVT XXXV.

AN OMNES PROMISCVE AD Communionem intra octauum quemque diem impellendi, & Sacerdotes qui secùs faciant, imprudentiæ vniuersim insimulandi sint.

Aduersarius.

QVi octauo quoque die ad Communionem accedunt, rectissimè agunt, nec Sacerdotem qui hoc vetet, prudenter facere reor. Primùm, quia eo nos SS. Patrum cohortationes ducunt. Deinde, quia hæc praxis ad quotidianam Communionem in primæua Ecclesia vsitatam, cuius renouatio ac restitutio à Tridentina Synodo expetita est, magis accedit. Deinde, quia vitæ genus nullum est in quo tempus non suppetat præparandi se ad Communionem diebus Dominicis alijsque festis adeundam.

RESPONSIO.



ORDO ipse quo istas digeris regulas, vel confusio potiùs quâ eas permisces, perspicuè demonstrat, te non ea mente scribere aggressum, vt fidelium animos verâ ac sincera Christianæ pietatis doctrinâ imbueres, sed vt eos ad periculosam Sacramentorum frequentationem inconsultâ leuitate præcipites ageres. Antequam de præparatione ad Communionem necessaria verbum feceris, perinde quasi nulla necessaria foret, omnes omnis generis homines ad Communionem octauo quo-

que die vſurpandam ſine vllo diſcrimine impellis; ac nulla penitùs ratione præmonitos quâ animi caſtitate, quâ vitæ integritate altare illud Sanctis ipſis imò & Angelis, Paciano teſte, formidandum adiri conueniat, otioſiùs atque incautiùs ad tantum myſterium, quam ſi de opere aliquo vulgari ac prophano ageretur, dimittere vel immittere potiùs non vereris.

Adeone abjectè ſentis de virtutibus animi, quas tam crebra & aſſidua cum Chriſto conſuetudo conjunctioque poſtulat, vt in hac corruptelâ ac deprauatione temporum, omnium eas hominum eſſe exiſtimes? Equidem hunc tuum eſſe ſenſum prodis, teque quam purè & religiosè Myſterij huius præcelſa majeſtas tractanda ſit, ne ſuſpicatum quidem vnquam fuiſſe demonſtras. Cum enim Sacerdos qui homines quoſlibet intra octauum quemque diem Euchariſtiam ſumere haud ſinat, tibi non ſatis prudenter agere videatur, manifeſtum eſt, tuo judicio vix fieri poſſe, vt nemini non ſemper adſit, animi præparatio, quæ ad frequentem adeò Communionem afferenda eſt.

Enimuerò, quum his temporibus Sacramentorum abuſus adeò increbuerit, quum ſacri ſuggeſtus aſſiduis in iſtam labem clamoribus & querelis circumſonent; quum iſto ipſo, quaſi velo, tam multi vitia ſua tegere ac prætexere ſtudeant; quum inani quadam Dei miſericordiæ ſpecie ſibi blandiantur, piis operibus omiſſis, vitæque integritate neglectâ, ſoloque Sacramentorum vſu ſalutis ſpem omnem

ac fiduciam collocantes: quid agis tandem, obſecro, niſi vt errori tanto arma ſubminiſtres, & de eorum, qui expugnare ipſum velint, manibus tela veritatis eripias? Miſeris enim mortalibus iſtis cauſam præbes, vt Sacerdotum à quibus reguntur conſilia, velut imprudentiæ plena, & longè ſanctiſſimæ Chriſtianorum praxi ac diſciplinæ contraria reſpuere audeant.

Verum vt remedium ipſis & antidotum minimè ſuſpectum interim propinemus, quoad germanam & idoneam ad Sacramentum iſtud frequentandum animi affectionem Eccleſiaſticæ Traditionis autoritate adſtruxerimus (quod in eum locum vbi de ea mentionem facis, reſeruamus) vnum tantum ſanctiſſimi viri & inſignis poſteriorum ætatum Doctoris teſtimonium proferam, ex quo vel minimè perſpicacibus judicare liceat, num Sacerdos qui quoſuis promiſcuè homines ad Euchariſtiam intra octauum quemque diem inducit, prudentiorem ſe exhibeat eo qui ad Communionem toties repetendam præparationem non vulgarem poſtulat, quique eam demum in hac re certiſſimam regulam ſtatuit, vt Sacerdos conſilium ſuum ad varios Spiritus Sancti motus & propenſiones cuique immiſſas moderetur & accommodet.

Accipe igitur B. Bonauenturæ de hac quæſtione ſententiam, idque in Libro vbi de inſtituendis dun- *De Profectu Religioſorum l. 2. c. 77.* taxat Regularibus agit, qui cum genus vitæ purioris ac ſanctioris quam ſeculares profiteantur, ad cœleſtem hunc cibum ſæpiùs percipiendum in-

ſtructiores ac paratiores eſſe conſueuerunt. *Si aliquis deſiderat experiri, vtrùm ſit meliùs ſæpiùs an rariùs Corporis Chriſti ſuſcipere Sacramentum* (quæ eſt perſpicuè noſtra quæſtio) *videtur mihi quod non poſſit ſuper hoc omnibus dari regula vniformis*. En primis ſtatim verbis temeritatem tuam refellit, quâ imprudentiæ eos condemnas, qui vnam eandemque omnibus Communionis octauo quoque die adeundæ regulam præſcribere noluerint. Sed auſculta etiam quibus rationibus & argumentis nitatur.

Varia ſunt hominum merita (eorum igitur in Communione præfinienda habenda ratio eſt) *& diuerſa operum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritus Sancti operationes in ſingulis*. Tu verò non ita religioſus ac meticuloſus es, vt tam multa tibi diſpicienda arbitrere. Satis tibi eſt, nullum vitæ genus extare, in quo id temporis quod præparationi ad Euchariſtiam feſtis ac Dominicis diebus frequentandam neceſſarium eſt reperiri non poſſit, vt quemlibet ea dignum exiſtimes. Sancti viri *hominum merita, opera, ſtudia, deſideria, Spiritus Sancti operationes* expendunt, ne Dei voluntati præcurrere, & ad altare ſacrum quos ille minimè vocat, impellere videantur. Tibi verò qui Phariſæorum more ſpeciem externam intueris, tot cogitationibus & curis animum implicare non libet.

Et tamen ſatis perſpicuum eſt B. Bonauenturam longè plura diſquiſiturum fuiſſe, ſi ſeculares inſtituendos ſuſcepiſſet. Prorſus enim cogitaſſet eorum quorum de Communione definiendâ agitur, alios

acceptam in baptiſmate innocentiam tenere, alios ab eâ lapſos eſſe: horum rurſus alios vno, alios pluribus peccatis mortalibus eâ excidiſſe: alios in peccatorum ſordibus hæſiſſe diutiùs, alios continuò emerſiſſe. Quas ille varietates attingendas non putauit, etſi in Communionis ratione conſtituenda magnum momentum habeant, quia cum Religioſis hominibus ſcriberet, ipſa religioſæ vitæ ſuſceptione innocentiam, iis velut altero baptiſmate reſtitutam fuiſſe ſtatuebat. Hæc enim eſt & D. Bernardi perpetua ſententia & oratio, dum Monaſterij ſui Religioſos compellans, nunquam iis grauiora quæ in ſeculo admiſiſſet peccata commemorat, quod ipſo Religionis aditu, quaſi quodam baptiſmatis genere, renouatos eos ac velut in integrum reſtitutos habet. Vnde & illam Euangelij vocem, *Et erunt nouiſſima illius pejora prioribus*, ſolis Monachis diſſolutioribus, & poſt regularis vitæ profeſſionem grauiter prolapſis accommodat. Quod ſi B. Bonauenturæ de Laïcorum Communione in eo Libro agere mens fuiſſet, varia illa Communionis impedimenta, quæ pro peccatorum ratione vel temporis quo quis in eis hæſit, grauiora leuiorave ducenda ſunt, procul dubiò ſpectaſſet. Sed quoniam de Religioſis duntaxat erudiendis tum maximè cogitabat, pergit deinceps:

Et diuerſi etiam ſtatus in Religione. Tu ergo Sacerdotem prudenter facturum negas, ſi ſecularibus quibuſuis id concedere vereatur, quod eximius ille Doctor Religioſis omnibus indulgere non audet.

Ille enim octaui cuiusque diei Communionem prorsus omnibus qui propter Deum omnia dimiserunt, quique solennis ac publici voti sponsione perfectiori Christianæ pietatis generi se addixerunt, sine exceptione vniuersè addicere dubitat: Tu verò eiusmodi Communionis vsum Laïcis sine vlla dubitatione decernis, quamuis languidis & remissis, quamuis Dei gratiâ vacuis, sui ipsorum amore plenis, seculi studio irretitis; atque adeò, si rariùs ad Communionem adhibeantur, Ecclesiæ leges penè infringi putas.

Et ideò, pergit idem Sanctus, *sicut ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis, propter diuersitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diææ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs, aut sæpiùs, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur: Ita de medicina spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum.* Verbis tam splendidis nihil adijcere attinet, ad vitiosæ tuæ animarum regendarum rationis imaginem exprimendam. Clarissimè enim indicant te pharmacopolarum illorum circumforaneorum rudium planè & imperitorum esse persimilem, qui nulla temperationis corporum, nulla ægrotantium affectionis habita ratione, idem omnibus remedium adhibent, sicque longè pluribus exitium quam sanitatem afferunt.

Mundanis enim, inquit vir Sanctus, *curis occupati rariùs possunt se ad illud recipiendum expedire quam illi, qui tantum spiritualibus studijs sunt intenti.* His tu tamen hominibus mundanarum sollicitudinum tur-

bâ implicitis, octaui cuiuſque diei communionem inuiolabili ſcilicet regulâ præſcribis: cum eam S. Bonauentura ne ijs quidem omnibus qui mundum abdicarunt, præcipere audeat. Quodque etiam deterius, hominibus non tantum mundi curis quæ interdum innoxiæ ſunt, ſed & mundi ſtudijs ac cupiditatibus, quæ non vitioſæ eſſe non poſſunt, impeditis, hæc à te lex communionis imponitur: adeò cum Sanctorum Doctorum placitis tua dogmata conſentiunt.

Præterea, ſubdit idem Doctor, *alij magis, alij minùs ſunt circumſpecti in cuſtodia vitæ ſuæ & morum & conſcientiæ ſuæ puritate.* Non igitur ſatis eſt ſanctiſſimo doctiſſimoq; viro autore, confiteri ſæpiùs, vt ſæpiùs Communionem mereare: Non ſatis eſt flagitioſam vitam accuſare ſemper, nunquam emendare: Non ſatis eſt perpetuâ viciſſitudine labi, exurgere, relabi rurſum; diuinæ denique miſericordiæ turpiter illudere. Summa cautione ac diligentia primum animæ ſaluti & incolumitati conſulendum, hoc eſt, vt non ſolum vitentur ea ex quibus certa illi peſtis ac pernicies, ſed etiam è quibus vel minima ei offenſio detrimentumq; immineat. Deinde mores rectè componendi, hoc eſt, dirigendi ad immutabilem Euangelicæ doctrinæ normam, & viuendi via, quam Chriſti ipſius veſtigia impreſſere, perſequenda. Denique ſtudioſè tenenda animi caſtitas atq; integritas, hoc eſt, omnium ſecularium cupiditatum ſordes procul amouendæ, ac tenuiſſimi næui igne charitatis & lachrymarum aquis ſedulò abſtergendi.

Iam verò posteaquam B. Bonauenturam præcipientem audijmus, quid prudens animarum moderator sequi & expendere debeat, vt rectè dijudicet, vtiliusne sit frequentiùs Communione vti an rariùs, quæ ipsissima quæstio est à te in Scripto tuo proposita: accipe nunc quam ferat de hac quæstione sententiam, eamque cum tuâ quæso compara. *Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare.* Ecquid his vocibus perculsus es? Tu enim generalem velut Catholicorum omnium Doctorum nomine legem ferre non dubitas, quâ Communionem octauo quoque die quibusuis hominibus præbere necesse sit. At Communionem eiusmodi Sanctus ille Doctor præstantissimæ penè virtuti præmium & mercedem constituit. Ille vix quemquam ad tantum religionis & sanctitatis apicem prouectum existimat, quin ei talis frequentandæ Communionis licentia satis esse debeat: tu contra vix quemquam adeò vel imbecillum vel prauum reperiri censes, quin hac eadem Communionis frequentiâ dignus habendus sit.

Denique B. Bonauentura illud arctè tenens, accurateque semper obseruans, cœlestis huius mysterij vsum pluribus circumstantiis ac potissimum vario Sancti Spiritus in animis motu esse expendendum, postquam professus est sibi ita videri, vix quemquam esse qui tantam in virtute progressionem fecerit, cui octauo quoque die Communionem adhibere satis esse non debeat, hanc sententiæ

suæ



suæ exceptionem apponit. *Nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat. Infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas solennis, vel inusitatæ deuotionis feruor, & intemperata desiderij sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus nonnisi à Spiritu Sancto, vt creditur, ideò legibus humanæ consuetudinis & statutis mortalium non arctatur.*

CAPVT XXXVI.

REFELLVNTVR RATIONES QVIBVS vniuersos qui octauo quoque die communicent, collaudandos Aduersarius contendit. Quarum prima est, SS. Patrum cohortatio.



VERVM si tua, quam D. Bonauenturæ minùs grauis est autoritas, tuæ quam illius grauiores sunt fortasse rationes. Idipsum igitur paucis dispiciamus. Illæ verò tres à te proferuntur, quarum prima est, *ad Communionem octauo quoque die adeundam SS. Patres nos cohortari.* Quod quidem vnius Dogmatum Ecclesiasticorum autoris, quem Augustini nomine citare soles, testimonio demonstrasti. Nec verò locus illustrior è sacra omni Antiquitate facilè eruatur, quem idcircò Scriptores vniuersi posteriores qui in hoc argumento versati sunt, fundamenti loco constituisse sibi videntur. Verum quid contra peritiam, quid contra fidem hac in re peccaris, tam perspicuè, ni fallor, superiùs est demonstratum, vt jam Lectorum patientia *Cap. 20. 21. & 22.*

abuti videar, si de integro inculcem Gennadium, eos qui mortalis post baptisma criminis sibi conscij fuerint ab illa octaui cuiusque diei Communione nominatim excludere, & donec pœnitentiæ laboribus sese emacularint à cœlesti mensa censere prohibendos: Denique (quod idem beatæ memoriæ Episcopus Geneuensis sentit) consilium istud ad pias mentes referre, quæ non modo à criminosis cupiditatibus, sed & à minimarum (quæ major est quàm vulgò æstimetur virtus) ac tenuissimarum offensiuncularum studio atque affectu liberæ sint.

Quare idem Beatus Antistes qui Philotheam suam ad Eucharistiam octauo quoque die sumendam impellit, quippe cui sanctam illam, quam ad frequentem adeò Communionem necessariam declarat, animi affectionem attribuit: ad primariam fœminam scribit non probari sibi vt filiam decimo quinto quoque die Eucharistiam adire sinat, nisi non solum sanctissimæ Communionis ardenti quodam studio teneatur, sed etiam leuiora ætatis illius vitia diligenter euellere studeat. Qua de re insignis est illius oratio. *Nolim*, inquit, *filiam tuam ad frequentem adeò Communionem adducas, nisi anteà quid sit Communio frequens rectè perpendere nouerit. Aliud est Communionem ab aliarum rerum perceptione; aliud frequentem Communionem à rariori Communione secernere. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebriùs adeundum magna mentis puritate, magnaque flagrantia opus esse; si ad eam enitatur, si ea sese ornare studeat, tum verò sæpiùs, hoc est, decimo quinto quoque*

Lib. 2. Epist. 38.

die eam ad illud admouendam assentior. Sin Communionis tantum percipiendæ, non leuium puerilis ætatis macularum eluendarum studio tenetur, confiteri eam octauo quoque die, & menstruâ tantum Communione vti, commodiùs censeo. SACRA COMMVNIO, *charissima filia,* SVMMO, VT MIHI QVIDEM VIDETVR, AD PERFECTIONEM COMPARANDAM ADIVMENTO EST. SED EAM ITA A NOBIS ADIRI OPORTET, VT QVICQVID DEO, QVEM RECIPERE VOLVMVS, DISPLICET, EVELLENDI ATQVE AMOVENDI STVDIVM ACRE AC DILIGENS AFFERAMVS.

Si Beatus hic Antistes leues puerilis ætatis offensiunculas impedimento esse statuit, quo minùs puella optimæ parentis cura in virtutis ac pietatis studio educata crebriùs quam singulis mensibus Communione vteretur, nisi næuis illis abstergendis magnam operam ac diligentiam adhiberet: an tecum sensisset homines seculo immersos, longè aliis vitiis atque offensionibus obnoxios, ita facilè ad Eucharistiam octauo quoque die adeundam probè comparatos esse posse, vt qui eos à tali vsu deterrerent, imprudentiæ accusandos fateretur? An ad eandem Communionis frequentiam protrusisset istos nostrorum temporum Semichristianos, qui vitâ ac moribus Ethnici, sanctissimâ Eucharistiâ crebriùs vsurpandâ se sanctitatem adepturos sperant? Qui nouam ad Cœlum viam conspersam floribus, & ab angusta Euangelij semitâ multum

diſſidentem reperiſſe ſibi confingunt. Qui Contritionis inani neſcio quo & commentitio actu Deum ſe pulchrè demeritos putant, cum intereà ipſorum pectus auaritiæ cupidine ac cœco ambitionis æſtu ferueat. Qui denique in Saluatoris ærumnis ac doloribus ſalutem ſuam repoſitam habere velint, modò ne quam illorum attingant partem, ac toto vitæ tempore deliciis ac voluptatibus circumfluant. Poſtremò, an in illius viri Dei animum, tua illa præclara opinio incidiſſet, hominem quoquomodo affectum, quantumuis in pietatis ſtudio languentem, ſi modò Euchariſtiam frequentet, vberrimam gratiam conſecuturum: cum tanta ſobrietate profiteatur, quamuis *Communio ſacra ſummo nobis ad comparandam perfectionem ſit adjumento*, nihilominùs vt ex eâ fructus capiatur, *ita eam fieri oportere, vt quicquid Deo quem accipere volumus, diſplicet euellendi atque amouendi ſtudium acre ac diligens afferamus:* adeoque ſi talis abſit affectio animi, eandem, vt rectè docet Gennadius, obeſſe magis quam prodeſſe.

Huic Geneuenſis Antiſtitis ſaluberrimæ admonitioni teneri non poſſum, quin & alteram attexam hominis poſtremo hoc ſeculo pietate ſpectatiſſimi, qui ab eodem Antiſtite ſummo in pretio habitus eſt. Sanctum Preſbyterum Auilam dico, qui de tempore ac modo Communionis terminando ad quendam animarum Rectorem ſcribens, ita loquitur: *Noli ſinere eos ad Dei menſam accedere, quoties cupient. Multi enim animi leuitate potiùs quam*

Auila in 1. part. Epiſt. Ep. 64.

intimo pietatis ac venerationis sensu Eucharistiam adeunt. Vnde accidit, vt ex ea nihil fructus capiant, nec meliores efficiantur. Quod quidem damnum animæ permagnum est, & quoad fieri potest, summoperè vitandum. Fac vt mysterij huius sublimitati profunda ac religiosa animi dejectione se substernant. QVOD SI QVEM SECVS SE HABERE DEPREHENDERIS, ARGVE ILLVM, COELESTEMQVE PANEM EI SVBTRAHE, QVOAD ILLVM VEHEMENTER CONCVPISCAT, SEQVE EO INDIGNVM FATEATVR. *Vulgus fidelium ter quaterve per annum: alios nouies aut decies: Religiosos decimo quinto die Communionem percipere satis fuerit. Conjuges tertia quaque hebdomada, vel singulis mensibus idem præstare commodè poterunt.* IN QVIBVS AVTEM EXIMIVM QVENDAM DEI ZELVM ATQVE AMOREM SIC FERVERE PERSPEXERIS, VT EORVM IN VITÆ SANCTITATE INCREMENTVM ATQVE PROGRESSVS QVASI AD OCVLVM PATEAT, IIS OCTAVO QVOQVE DIE SACRA COMMVNIONE VESCI LICEBIT. *Hæc enim B. Augustini sententia est* (hoc est autoris Libri de Dogmatibus Ecclesiasticis Gennadij) *Communio crebriùs indulgenda minimè est: nisi fortè aliud suadere videatur aut fames ardentior, aut reuerentia insignior, aut tentatio acrior, aut necessitas manifestior. Quæ quidem animaduertenda in nonnullis & prudenter gubernanda sunt. Rarum autem eorum genus existimo, quibus sæpiùs quam octauo quoque die Communionem adire conueniat. Hinc D. Bonauentura testatur ex*

omnibus quos notos habuerit, cui frequentior expediret Communio, se prorsus reperisse neminem. B. Franciscus Paduanus initio ter quaterve omninò per annum ad Confessionem & Communionem accedebat. Postmodum in vitæ integritate ac sanctitate proficiens, idem singulis diebus Dominicis factitabat. Qui verò cœlesti illo pabulo dignatus fuerit, in tanti beneficij memoriam opere atque officio aliquo Christi liberalitatem remunerari debet, vel aliquâ animi labe quotidie detersâ, vel aliâ operâ quapiam, quæ cuique Communioni quasi vicem rependere videatur.

Cernis, opinor, quantoperè vir pietate summus à fallaci tuo illo commento dissentiat, omnes omnis generis homines octauo quoque die Communione vti rectissimum esse, imprudentiæque Sacerdotem arguendum qui iis tam frequentem Communionem non indulgeat.

CAPVT XXXVII.

REFELLITVR ALTERA RATIO: Octiduanam illam omnium promiscuè hominum Communionem ad quotidianam primitiuæ Ecclesiæ Communionem propiùs accedere.



SVPEREST, vt eruditissimi Auilæ sententiam aspernere, quasi Ecclesiæ menti contrariam. Eius enim sensu sensum tuum adstruere moliris dum doces, *Octiduanam Communionem ad Communionem quotidianam primitiuæ Ecclesiæ quam restitutam sacra Synodus Tridentina optauit, propiùs accedere.* Hanc alteram rationem in opinionis tuæ præ-

ſidium affers. De Synodo autem Tridentina iterum falſum ſcribi à te contendo, planeque profiteor, teſtari quidem Synodum votum ſuum eſſe, vt nunquam fiat Sacrum, quin aliqui Euchariſtiâ imparꝗtiantur, ſed quotidianæ fidelium omnium Communionis renouandæ nullam prorſus facta ab ea mentionem.

Quod ad primitiuæ Eccleſiæ vſum ſpectat, jam à me reſponſum eſt, frequentem quam inducis Communionem, illi quidem fore finitimam, ſi eadem mente, eodemque affectu ſuſcipiatur. Sin eius tantum ſpeciem & quaſi corticem habeat, abſit autem comeſtio interior, quæ fidei integritate & charitatis ardore perficitur, quæque, vt SS. Patres aſſerunt, exteriori Communioni velut anima debet accedere; non ſecùs ſe habebit comparatio quam inſtituis, ac ſi hominem mortuum viuo homini dicas eſſe perſimilem.

Atque hoc loco rurſus proferre liberet eximium illum B. Bonauenturæ locum, qui jam à nobis Libri huius initio prolatus eſt; eum qui in primitiuæ Eccleſiæ ſtatu verſetur, hoc eſt, qui baptiſmatis ſanctitatem, vitę innocentiam, charitatis ac Sancti Spiritus ardorem obtineat, primores illos Chriſtianos, vt moribus, ita Communionis frequentiâ laudabiliter æmulari: Qui verò ſe in Eccleſiæ finalis ſtatu, hoc eſt, in iis quæ ad Deum pertinent, frigidum remiſſumque deprehendat, conſultiùs facturum, ſi rarò tantum Communione vtatur. Quod ſi quis medio quodam modo ſe habeat, mediam itidem

D. Bonau. in 4. ſent. diſt. 12. part. 2. art. 1. q. 2.

ab eo & quasi temperatam rationem tenendam, vt nunc à cœlesti mensa reuerentiæ causa secedat, nunc ad eam amore regrediatur; & pro eo quantam pietatis progressionem se fecisse senserit, duarum alteram vel frequentandi, vel abstinendi consuetudinem retineat, aut repudiet.

Capvt XXXVIII.

Refellitvr vltima ratio.

Nullum esse vitæ genus in quo tempus non suppetat, animo ad Dominicorum festorumque dierum Communionem præparando.



Ratio vltima quæ mentem tuam procul dubiò vna maximè afficit, hæc est, *Nullum esse vitæ genus in quo tempus desit sese ad Dominicorum, festorumque dierum*
Luc. 9. v. 55. *Communionem præparandi. Nescitis cuius spiritus estis.* Christianæ legis mentem ac genium magnoperè ignoras. Altissima Religionis nostræ mysteria Pharisæorum normâ expendis. Ad rei prorsus externæ amussim, grauissimam Christiani hominis actionem exigendam putas?

Ergone omnem Eucharistiæ suscipiendæ præparationem præuiis quibusdam precationibus contineri censes, vt scilicet Communione dignus sit, quisquis eas per tempus euoluere potuerit? Quî tandem exploratum habes Sanctum Spiritum, temporum tuorum momentis seruiturum, ac posteaquam seculo addictus hebdomadam ipsam in voluptatum, ambitionis & auaritiæ studiis contri-

ueris, hoc eſt, tota hebdomada Deum animo memoriaque abjeceris, illum nihilominùs ea ſeſe lege obſtricturum, vt die quoque Dominico neceſſariis gratiæ adjumentis proſequatur, quibus à Sancto Sanctorum indignè attingendo vindicere?

Iubent SS. Patres ad definiendum præſtetne crebriùs Communione vti an rariùs, meritorum cuiuſque, animi affectuum, morum probitatis, vitæ integritatis, Sancti Spiritus munerum ac donorum haberi rationem: Tu verò, vt Chryſoſtomi verbis vtar, hominem ad tantum opus audendum, ad victimam quam Angeli trementes contuentur, attrectandam, præclarè inſtructum putabis, dummodo dierum Dominicorum feſtorumque interualla, reſiduaque ab aliis negotiis tempora ſequatur ac ſeruet? *Chryſ. homil. 3. in Ep. ad Epheſ.*

Si quis Rex fideliſſimis quibuſque ſubditis hoc meritorum præmium, atque hoc egregiæ in eos voluntatis ſuæ pignus conſtituiſſet, vt ad menſam regiam adhiberentur: nonne is riſui meritò ac ludibrio habebitur, qui contendat jus cuiquam eſſe ad illas epulas accedendi eo ſolo nomine, quod tempore Regiam adeundi & ad conuiuium tam illuſtre ſe comparandi non deficiatur? Hoc idem à te peccari perſpicuum eſt. Regum Rex ſummus ad eximiæ & inauditæ benignitatis ſpecimen, incredibiliſque in fideles ſeruos amoris argumentum non eos modo menſâ ſuâ dignatur, ſed & corpore ſuo paſcit, *idem Conuiua & Conuiuium*, vt præclarè à B. Hieronymo ſcriptum eſt. Nullum diuiniùs ab eo

præmium chariſſimis amicis ſuauiſſimiſque filiis hac in vita conferri: nullum æternæ quod iis in futuro ſeculo parat felicitatis dulcius pignus præberi poteſt. Tu tamen perſuadere niteris, neminem eſſe adeò remiſſum, adeò à virtute ac ſanctitate nudum & deſertum, quin ad tam inſignem gratiam ob id vnum quam ſæpiſſimè aſpirare debeat, quod nullum vitæ genus ſit, in quo tempus & ſpatium ad frequentandam Communionem reperire non liceat.

Quâ in re plerorumque mundi amatorum ſimilis es, quorum cum flagitiis, prauitatibuſque omnibus inquinata vita ſit, de ſalutis ſpe nihilominùs ſibi blandiuntur, dum horas pauculas quibus ad mortem ſe comparent, ſibi à Deo conceſſum iri confidunt. Sicut enim hi ad felicem mortem ſatis eſſe putant, ſi modo breue tempus ſuperſit, vt eam mente pertractent: ita frequenti Communione is probè dignus tibi videtur, cui otium non defuerit ad eam frequentandam ſeſe accingendi.

Capvt XXXIX.

Qvaenam in praescribendis Communionis temporibus peccatorum venialium ratio habenda ſit. SS. Patrum ea de re ſententia.

Aduerſarius.

V. *Sanctorum Patrum ſententia eſt, hominem ob peccata venialia à Communione ſecedere non debere. Auguſtinus & Hilarius diſertis id verbis aſſerunt.*

Responsio.



Recte à B. Auguſtino eſt animaduerſum, ſi Epiſcopum vt ſine crimine, ita ſine peccato eſſe debere Paulus ſtatuiſſet, neminem ad hoc munus idoneum reperiendum fuiſſe. Quamuis enim qui Chriſtianam Dei Spiritu duce ac moderatore vitam degunt, crimina, hoc eſt, delicta mortifera vitare debeant & poſſint, innumerabilia tamen peccata, quibus diuinæ juſtitiæ obnoxij tenentur, effugere non poſſunt. Simillimè hoc loco dicere licet, ſi peccata quælibet venialia nos ab Euchariſtiæ Communione prohiberent, orbem vniuerſum quaſi generali quodam interdicto Sanctuarij arcendum aditu, nec caducis ac fragilibus homunculis, quales nos ſumus, tanti myſterij ſanctitatem atque præſtantiam à Chriſto inſtitutam viſum iri. Veruntamen propoſitio à te vniuersè poſita, eo videlicet animo, ne quam omninò cuiquam à Communione per reuerentiam interdum ſecedendi cauſam relinquas, nonnullis cautionibus ne infirmiores ea ad ſuam perniciem abutantur, temperanda eſt & quaſi munienda. Quatuor ergo jam proferam, quarum tres primas obiter perſtringam, vltimam quæ ad inſtitutum noſtrum propiùs accedit, vberiùs paulò fuſiuſque perſecuturus.

Prima eſt, improbam hominum perſuaſionem quâ peccata venialia pro nihilo ducunt, nec minori quam laudatiſſima quæque opera confidentiâ ſuſ-

cipiunt, eò jam processisse, vt permagni intersit eam non fouere mollioribus sermonibus ac disputationibus, delicta illa extenuando tanquam nihil ab iis metuendum, neque de iis magnoperè laborandum sit, ne quidem cum ad mysteriorum omnium maximè terribile acceditur.

Altera est, quamuis hæc peccata non vt mortalia vno animam ictu perimant; summo tamen studio ac diligentiâ prouidendum, vt eorum maculæ pœnitentiæ remediis, orationibus, eleemosynis, fortioribus animi inductionibus ex quibus certæ ac crebræ actiones consequantur, impuriorum hominum consuetudinis fugâ, frequentiore in priuatæ domus latebras secessu, operum denique pristinis operibus contrariorum vsu ac meditatione assiduè deleantur. Ita desidia, occupatione; loquacitas, silentio; maledicentia, laude & commendatione; suspiciones iniquæ, interpretandi benignitate; nimia parsimonia atque in egenos durities, liberalitate ac munificentiâ; superbia, summissione & modestiâ; voluntatis alienatio, blandâ appellatione & amoris indiciis; segnities, vigilantia; voluptatum amor, sensuum castigatione & continentia; domestica denique acerbitas & iracundia, quibus exterior domus interiorque perturbatur, mansuetudinis ac morum commoditate compensabitur. Alioquin metuendum, vt rectè monet Augustinus, *ne omnia illa peccata simul congregata velut scabies, nostrum decus ita exterminent, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filijs hominum castissimis nos amplexibus separent.*

August. homil. 50.

Quare iuſti hominis officium, quod ad peccata attinet, duplex ab eo conſtituitur. Primum, *vt ſe à peccatis illis abſtineat, quæ etiam crimina vocantur*, hoc eſt, à peccatis mortalibus. Deinde, *vt illa peccata ſine quibus hîc non viuitur* (hoc eſt venialia) *mundare operibus miſericordiæ & pijs operibus non negligat.* Quo magis prouidendum eſt, ne propoſitione tuâ adeò diffusâ & latè patenti fideles in peccatorum venialium diluendorum, etiam cum ſanctiſſimum Sacramentum adire parant, obliuionem negligentiamque adducantur.

Aug. Ep. 89. Et lib. de perfect. iuſt. c. 9.

Equidem dum quæ B. Hieronymus de ſtudio quo S. Paula eiuſmodi culpas aſſiduâ pœnitentiâ perſequebatur, ſcripſit, commemoro, teneri non poſſum, quin ea hoc loco proferam, quò perſpicuè intelligatur qua cura & diligentia piæ & religioſæ mentes vel minimas labes ingentis ſatisfactionis remedio abſtergere laborent. Primaria illa fœmina Romanæ nobilitatis decus, cuius in omni vita ſingularis quædam caſtitatis ac pudicitiæ forma præluxerat, non minùs tamen duriter atque acerbè ſe habebat, ac ſi omnium ſcelerum, omnium flagitiorum impuritates in ſe ſuſcepiſſet. *Super duriſſimam humum*, inquit Hieronymus, *ſtratis ciliciolis quieſcebat: ſi tamen illa quies dicenda eſt, quæ jugibus penè orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de Pſalterio, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. In qua fontes crederes lachrymarum, ita* LEVIA PECCATA *plangebat, vt illam grauiſſimorum criminum crederes ream. Cumque à*

Hieron. in Epitaphio Paulæ.

nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi: Affligendum corpus quod multis vacauit delicijs: Longus risus perpeti compensandus est fletu: Mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicij commutanda: Quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero.

Tertia cautio est, vt homines ad pietatis Christianæ cultum ex fœderis in baptismate initi lege probè instituerentur, distinguendum fuisse diligentiùs peccati venialis amorem & affectum ab ipso veniali peccato. Est enim constans Antiquitatis à Sancto in primis ætatis huius Episcopo nuper instaurata ac sine vlla dubitatione proposita pietatis norma, affectum istum justo frequentandæ Eucharistiæ esse impedimento; quemadmodum c. 22. demonstrauimus, quem locum consulere pius Lector non grauabitur, ad pleniorem tantæ rei intelligentiam.

Quarta denique & postrema cautio, quæ regulam tuam generatim sumptam perspicuè refellet, hæc erit: etsi peccatorum omnium venialium commune sit, vt ab æterna diuini regni possessione non excludant, eorum tamen adeò variam & multiplicem esse rationem ac diuersitatem, vt eam confundi ac permisceri more tuo non oporteat, si liquidò internoscere velimus ecqua eorum ad differendum tantisper Communionis tempus merito adducere debeant. Alia voluntaria sunt, alia inuo-

luntaria, vt Patres loquuntur: Alia à peruersa animi affectione & vitio, alia ab externa & aduentitia tentatione proficiscuntur: Alia volentes ac scientes suscipimus, in alia incauti atque imprudentes incurrimus: Alia vsus & assuetudo diuturnior, alia breuis & temporaria occasio parit: Horum negligentia, illorum fragilitas: Horum malitia, illorum ignorantia mater est: Alia exteriora sunt, alia interiora: Aliis magis, aliis minus animi castitas atque integritas violatur: Alia aliis proximi charitatem magis attingunt: Alia scandalo sunt, alia non item: Aliis grauius, aliis leuius animi perturbantur: Denique alias eorum major multitudo est, alias minor.

Si propositio tua omnia hæc peccatorum venialium genera & varietates complectitur, firmissima Christianæ pietatis fundamenta subuertit, sanctosque innumerabiles condemnat, qui nos solis peccatis venialibus ad religiosam interdum ac verecundam cibi huius cœlestis abstinentiam adduci debere, & monimentorum suorum & exemplorum autoritate docuerunt. Testimonia eorum pauca proferam è diuersis Ecclesiæ ætatibus repetita, quò magis illius in hac doctrina constantiam perpetuitatemque agnoscas.

B. Augustinus autor est peccata etiam venialia, quibus castitas paulùm infuscatur, præsertim si in ea sæpiùs incurras, in Communionis indignè suscipiendæ discrimen adducere, nisi priùs misericordiæ operibus studiosè redimantur. In sermone

enim 244. de iis qui matrimonio intemperanter ac extra liberorum procreandorum fines vtuntur, hæc habet. *Sed dicis peccatum quidem est, sed tamen paruum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est. Sed tamen si frequentiùs exerceatur, & ieiunijs vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua quia parua sunt. Nam & pluuiarum guttæ sunt, sed flumina implent & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia paruum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis. Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri acquiescis, quâ conscientiâ tot facere in animâ tuâ non metuis? Ac sic quicumque hoc fecerit, plus amat vestem aut carnem suam quam animam. Cum enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus. Etiam videte si hoc deceat vos, aut oporteat. Verè dico vobis, fratres charissimi, quia non hoc de nobis Deus meretur, vt in nobis imago ipsius per malas concupiscentias iniuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam conuenire, nescio qua conscientia cum anima per luxuriam sit inquinata præsumit ad altare accedere, non timens illud quod Apostolus dixit: Qui enim manducat Corpus, & sumit Sanguinem Domini indignè; reus erit Corporis & sanguinis Domini. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere; plus debemus timere ipsam Eucharistiam intùs in anima polluta suscipere.*

Hoc

Hoc vno teſtimonio SS. Auguſtini & Hilarij, in quibus ſententiæ tuæ fundamentum præpoſterè collocaſti, doctrina à tuis conatibus abundè vindicatur. Nihil enim habes quod à duobus illis Patribus proferas, quam quod anteà 14. capite protuliſti. Iam verò ad eum locum à nobis oſtenſum eſt in Hilario adeò improuidè citando quàm ſis harum rerum rudis & inſciens, teipſum ſatis prodidiſſe. De Auguſtino verò, qui vnus teſtimonij quod duobus illis Patribus aſſignas germanus autor eſt, jam eum non ſuo nomine loqui, ſed aliorum rationes & verba proferre oſtendimus. Ex quo fit, vt monita & documenta in eo ſermone deſcripta tanto plus ponderis habeant ad veram ipſius aſſequendam ſententiam. Nam & Epiſt. illa 118. de eo quod vulgò vſu venit, ac de peccatis venialibus in quæ naturæ imbecillitate aſſiduè impingimus, intelligi debet.

Gregorius Magnus qui Eccleſiaſticæ inferiorum temporum doctrinæ teſtis idoneus eſſe poteſt, ita loquitur. *Qui quotidie non exhaurit quod delinquit etſi minima ſint peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans, ait, Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Quid eſt enim hoc loco probare, niſi euacuatâ peccatorum nequitiâ ſe probatum ad Dominicam menſam & purum exhibere?* *Gregor. lib. 2. in 1. Reg. c. 1.*

S. Bonauentura, cuius ætas poſtremis ſeculis finitima eſt, Libro de Præparatione ad Miſſam hæc ſcribit: *Proba teipſum ex quanta charitate & quali fer-*

uore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutæ vitæ & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulueres & stipulæ venialium per afflatum spiritus & flammam Charitatis ventilentur & consumantur exardescente igne cordis, & ex consideratione propriæ vilitatis. Ideò caue ne nimis tepidus & inordinatus accedas & inconsideratus: quia indignè sumis, si non accedis reuerenter, circumspectè & consideratè. Vnde Apostolus, Iudicium sibi manducat & bibit. Quod apertiùs insinuat dicens, Ideò inter vos imbecilles multi, scilicet per fidei inconstantiam; & infirmi, id est, graui peccato sauciati; & dormiunt multi, scilicet per torporem & desidiam. O quam graues angustiæ me vndique affligentes! Accedere indignè, horrendum: non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa.

His præclarissimis B. Bonauenturæ vocibus tuum illud decretum funditus corruere vel tu ipse fateare necesse est. Disertissimè enim asserit, non mortiferis tantum sed & venialibus peccatis si per negligentiam ac desidiam coaceruentur, animum ab ea affectione & statu, quem mysterij huius excelsitas postulat, depelli ac dimoueri.

Postremò, vt ad nostram ætatem accedamus, beatæ memoriæ Episcopus Geneuensis adeò ab illo tuo placito abhorret, *nullam in Communionum temporibus præfiniendis peccatorum venialium habendam*

esse rationem, vt ad primariam spectatæ virtutis fœminam scribens, cui testimonium illustre tribuit, sensum animi, quo sibi tota Deo addita videretur, minimè esse fallacem, eam tamen ob voculas acerbiores quæ ipsi per impatientiam excidere solebant, à Confessario frequentioris Communionis solatio multatam, vehementer probet. *Quod Confessario*, inquit, *morem gessisti rectè ac prudenter à te factum est, siue tibi crebrioris Communionis solatium eripuerit, vt tui periculum faceret; siue quod impatientiæ frangendæ, sanandæque non satis studeres. Imò verò vtramque ob causam, id ab illo factum, tibique ea in pœnitentia quoad jusserit perstandum esse existimo. Nihil enim ab eo nisi perspectè & sapienter fieri statuere debes. Quod si modestè ac demissè obedieris, vberior tibi & fructuosior vel vna Communio fuerit, quam duæ, tresve alia mente susceptæ. Nunquam enim salubrior cibus est, quam cum ab exercitato & esuriente percipitur. Interuallo autem esuries atque appetentia crescet; comprimendæ verò impatientiæ exercitatione stomachi spiritualis vis ac firmitas redintegrabitur. Intereà placidè ac tranquillè humilitatem cole, ac propriæ abjectionis amorem frequenta. Chananææ partes tantisper suscipe. Etiam Domine, exclama, indigna sum quæ filiorum pane reficiar. Canis vtique sum quæ proximum quemque iracundo & præcipiti sermone allatrem & inuadam. Quod si canes integro pane non fruuntur, micas certè è mensa Domini defluentes accipiunt. Ita suauissime Domine, si minùs tuum sanctissimum corpus, gratiæ saltem stillas quas in eos qui ad ipsum amore se applicant, effundit, supplex postulo.*

Epist. lib. 2. Ep. 39.

CAPVT XL.

EXEMPLA SANCTORVM ILLVSTRIVM qui ob peccata venialia ſeipſos & alios à Communione ſubmouerunt.



IAM verò ad conuellendum apertiùs tuum hoc effatum, *Sanctorum eſſe ſententiam, nemini ob peccata venialia à Communione ſecedendum*, operæpretium fuerit vt proximè Sanctorum verbis, ſic nunc eorundem factis illud refellere, rationiſque ipſorum pondus exemplorum autoritate cumulare.

B. Chryſoſtomus (vt in Vita ipſius à Palladio qui eum familiariter nouerat, ſcripta memoratur) cum in Epiſcoporum cœtu Conſtantinopoli adeſſet, atque ex iis vnus, Euſebius nomine, Antonini Epheſini Epiſcopi accuſatorem ſe profiteretur, magnoperè petiit ab eo, antequam accuſationis capita cognoſcet, ne longiùs progrederetur, ſpondens, ſi quid offenſus aut violatus eſſet, ſe iniuriam ſarciendam curaturum. Cumque Paulum Heracleenſem Epiſcopum qui Antonino fauere videbatur eſſet hortatus, vt eos in gratiam reduceret, ingreſſus eſt in Eccleſiam inſtante ſacrificij tempore, & benedictione populo impertita cum aliis Epiſcopis conſedit. Ibi Euſebius eodem furtim ingreſſus accuſationis libellum vniuerſo inſpectante populo ei obtulit, horrendis vocibus conteſtans, vt juſtum ſibi

judicium redderet. Tum Chryſoſtomus obſecrationibus eius permotus libellum accepit, ne quid turbæ popularis oriretur, & cum Scriptura Sacra de more publicè prælecta eſſet, rogato quodam Epiſcopo vt Sacrum faceret, continuò exceſſit è templo; eo quod *animo*, inquit Palladius, *commotiore ſacrificium offerre nollet*.

Quo tamen loco ſi propiùs inſpicias, nihil in viro ſanctiſſimo reperies, niſi continuam charitatem, ac miram animi tranquillitatem, quæ pacem non modo ſibi retineret, ſed aliis eam violantibus reſtituere conaretur. Quoniam verò alienæ perturbationis aſpectus ipſe nonnullâ mentem ipſius quaſi nebulâ & caligine fortè ſuffuderat, idoneam ſibi cauſam eſſe ſtatuit, quamobrem ab altari quo jam aſcenſurus erat diſcederet, ingentemque fidelium multitudinem cœleſtis cibi proprij Paſtoris manu accipiendi ſolatio fructuque priuaret.

Hinc profectò perſpicuè patet, quam is aduerſus inſignem illum Doctorem injurius fuerit, qui in iis quæ de ſummâ ac ſingulari animi integritate ad tanti myſterij ſuſceptionem adhibenda diſſeruit, verborum eum exaggeratione & hyperbolarum oratoriarum licentia abuſum eſſe ſuſpicetur. Ab eo enim reuerentiæ causâ ob rem adeò, vt videbatur, leuem ipſe ſe ſubtrahens, quam in aliorum mentibus inſculpere ſtuduit, hanc ei ipſe venerationem ac reuerentiam primus exhibuit. Nec quiſquam orationem ipſius in modici feruoris, alienæque à veritate redundantiæ arguere poſſit, quin

idem factum ipſius nimiæ religionis, ſuperſtitioſæque imbecillitatis damnet, & Orientalium Epiſcoporum generoſiſſimo ac firmiſſimo degeneris & improuidæ humilitatis crimen obijciat.

Quod ſi tu tanta audacia es, zeli iſtius impetum in S. etiam Hieronymum conuerte, qui contra Vigilantium ſcribens, hæc de ſeipſo profitetur: *Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertremiſco. Rideas forſitan, & muliercularum deliramenta ſubſannes. Non erubeſco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum reſurgentem; quæ mittuntur ad Apoſtolos; quæ in matre Domini Saluatoris Sanctis Apoſtolis commendantur.* Ita qui ad propugnandam Reliquiarum ſanctitatem ſummorum Chriſtianæ Religionis virorum eruditionem & ſapientiam æquabat, is ſe ad illas adeundas infimis mulierculis animo verecundia parem fuiſſe ibidem oſtendit.

Statue nunc ex hiſce Hieronymi vocibus, num is opinioni quam Sanctis attribuis Communionem ob peccata venialia minimè differendam, eſſet aſſenſus, cum ob iracundiæ motum, ob cogitationem intemperatiorem, ob nocturnam illuſionem, quæ ſæpè culpâ vacant, ne in Martyrum quidem baſilicas ingredi auderet? An ille ad altare tremendum aſpiraſſet, tum cum ne ad Sanctorum quidem Reliquias adſtare ſuſtineret? An majorem aduerſus ſeruum, quàm aduerſus Dominum reuerentiam exhibuiſſet? An præſentia illius cuius ma-

jeſtas & gloria Angelos ipſos diuino quodam horrore percellit, leuiorem illi terrorem incuſſiſſet, quàm præſentia ſacrorum corporum, quæ in his etiamnum infimis locis conſtituta venturæ gloriæ expectatione ingemiſcunt? Poſtremò an cineres mortuos, qui à ſemine vitæ quod immortalis ac viuificæ carnis Chriſti contactus, ex SS. Patrum omnium conſentienti doctrina ipſis injecit, præcipuum decus ac dignitatem trahunt, magis colendos ſuſpiciendoſque cenſuiſſet, quam illam ipſam carnem à qua tantus ad eos ſplendor ſanctitaſque peruenit? Hanc profectò mentem & cogitationem in ſani hominis ſenſum conuenire non putem. Nec verò quiſquam eſt cui minùs quam Hieronymo congruat, cum nemo neſciat, quàm vehementer inſectetur eos, qui poſt matrimonij vſum, cum in Eccleſiam ingredi non auderent, ſacram Communionem domi priuatim ſumebant, atque ita præpoſtero mentis errore cum ad ſubeundas baſilicas Martyrum minùs puri ſibi viderentur, ad Regem ipſum Martyrum in ſe recipiendum ſatis puros & integros ſe eſſe cenſebant. Fatere ergo Hieronymum valdè cenſuiſſe, vt ob veniales culpas ſacra interdum Communio differretur; adeoque erade ipſum ex albo Sanctorum, quo faciliùs efficias ſententiam tuam ſententiam eſſe Sanctorum.

Hieron. in Apologia pro Libris adu. Iouinian.

Verum aliis etiam exemplis demonſtremus religionem iſtam ſanctioremque metum in generoſiſſimas mentes atque in altiſſimorum quorumcumque animorum firmitatem & fortitudinem

cadere. Theodoſius Magnus (vt in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis eſt proditum) cum de Eugenio tyranno glorioſiſſimam ac miraculis inſignem victoriam deportaſſet, de quâ à Deo ipſo eximij cuiuſdam ſolitarij voce præmonitus fuerat, in qua ſub eius quaſi ſignis atque auſpiciis venti tempeſtateſque militauerant; quaque Chriſtianæ Eccleſiæ pax, atque Orbis vniuerſi tranquillitas ſtabilita ab eo eſt; cœleſtis menſæ ſanctitatem attingere diutiùs non eſt auſus, cum ad diuiniſſimum altare hoſtium licet juſtiſſimè fuſo cruore reſperſas manus afferendas non putaret. Ita cum Dauidis pœnitentiæ ſingulare exemplum publica pœnitentia pius Imperator eſſet imitatus, eundem rurſus hoc facto æmulatum videmus. Idipſum enim pietate ſua impulſus præſtitit quod à Dauide Dei juſſu præſtitum eſt, à quo mandatum accepit, ne Templum vbi arca Euchariſtiæ figuram præferens aſſeruabatur, ædificandum ſuſciperet, quod Iſraëlis ac Dei ipſius hoſtium ſanguis ab eo fuſus eſſet.

Quod ſi hanc Theodoſij humilitatem quaſi inconſultæ pietatis fructum minùs probas, ſcito eam Chriſtianæ Religionis legibus adeò reſpondiſſe, vt, autore Baſilio, qui in bello hoſtem interfeciſſent, diutiùs ab Euchariſtia Eccleſiæ interdicto remouerentur. Vt hinc planum fieret, quantam animi integritatem ad myſteria illa afferri oporteret.

Baſil. Epiſt. 1. ad Amph. can. 13.

Quare S. Ambroſius in funebri tanti Imperatoris laudatione præter alia eximia facinora quæ inſignem illi in Eccleſia nominis commendationem

pepererunt,

pepererunt, hoc ipſum ſingularis Elogij prædicatione exornat, pœnitentiamque illius hac velut ſuprema laude abſoluit. *Dilexi,* inquit, *virum, qui magis arguentem quam adulantem probaret. Strauit omne quo vtebatur inſigne regium: defleuit in Eccleſia publicè peccatum ſuum, quod ei aliorum fraude obrepſerat. Gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubeſcunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam; neque vllus poſteà dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt abſtinuit à conſortio Sacramentorum, donec Dominì circa ſe gratiam filiorum experiretur aduentu.*

Tanti Principis pietas honorificentiſſimo B. Ambroſij teſtimonio commendata, omnibus ſine dubio admirationi ac venerationi eſſe debet. Atque harum actionum quarum altera pœnitentiæ, altera humilitatis eſt, ab eo expreſſa conjunctio & ſocietas præcipuè indicat, vtramque ab eodem fonte proficiſci. Fit enim eiuſdem gratiæ inſtinctu atque impulſu, vt peccator lethalia vulnera pœnitentiæ labe curaturus, ſe Euchariſtiæ vſu per plures menſes prohiberi æquo animo ferat, (ſicut id ipſum tantus Imperator octo menſes patientiſſimè tulit) & vt ob leuiores peccati venialis næuos, imò verò ob indecorum nonnunquam potiùs quam peccatum, per dies aliquot à Communione ſecedendum ſibi exiſtimet. Pœnitentiæ ſenſus vtrumque ſuſcipi jubet, impœnitentiæ contumacia ſæpenumero vtrumque repudiat. Chriſtianæ humilitatis vis à Sancto Sanctorum attingendo interdum auertit;

humanæ ſuperbiæ elatio ad Chriſti corpus quouis tempore, quouis modo, poſt quæuis ſcelera ac flagitia in tremendis altaribus ſine vlla dubitatione inuadendum nonnunquam extimulat.

Hunc cultum, hanc reuerentiam aduerſus Sacram Euchariſtiam exhibuit vir totius orbis reuerentiâ honeſtatus. Hæc mens, hæc religio fuit prudentia & pietate illuſtriſſimi Romani Imperatoris, puro ac ſincero Eccleſiaſticæ doctrinæ lacte nutriti, diuina Ambroſij diſciplina exculti, poſt mortem denique ſanctitatis laude ac titulo ab eo ipſo inſigniti, à quo dum viueret, plurimum opis ac ſubſidij ad comparandam ſanctitatem acceperat. Nonne eſt igitur quod te jam pudeat, Ambroſij nomine aſſeueraſſe, *Communionis intermiſſione majorem Euchariſtiæ cultum ac reuerentiam minimè adhiberi?* Nonne eſt quod pius lector admiretur, eas nobis hodie actiones eſſe purgandas, quas SS. Patres ad cœlum vſque extulerunt, cenſuramque & vituperationem nouitij Doctoris Veterum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum & luminum teſtimoniis ac laudationibus eſſe refellendam?

Verum vt Ambroſij dicta audiuimus, ſic facta contemplemur. Vnus è Diaconis ipſius Gerontius nomine (vt apud Sozomenum legitur) cum dæmonem noctu apparentem catenis à ſe conſtrictum fuiſſe ridiculè jactaſſet, ei miniſterio interdixit, juſſitque eum aliquandiu domi ſe continere, ſermonis quem Chriſti miniſtro indignum judicabat, leuitatem pœnitentiæ operibus expiaturum. Impe-

Sozom. l. 8. c. 6.

ratæ quippe illi secessionis quam Eucharistiæ abstinentia necessariò consequebatur, hæc vna causa ab Scriptore illo memoratur. Vides ergo Ambrosium nihil hoc in genere locutum, nisi ad Ecclesiæ mentem quam non minùs institutis quam sermonibus subsequeretur: nec tantum ob leuiores culpas, aut etiam leuiori interdum de re Communionem censuisse honoris causa posse differri, sed etiam ob erratum quod lethale non videbatur, ob solam linguæ intemperantiam Communionis dilationem vltrò imperasse.

Vis etiam exemplum addam viri sanctissimi cuius in Ecclesia eminuit dignitas illustrior, autoritas grauior. Gregorius Magnus (vt in eius vita habetur) cum accepisset hominem quendam pauperculum in vico Vrbi vicino mortuum repertum, metuens ne sua culpa fame aut egestate interijsset, per dies aliquot à sacris altaribus secedens, pœnitentiæ se dedit. Ita eximius Pontifex fideles cœteros non minùs virtutis quam dignitatis excellentia supereminens, cuius in pectore ea vis charitatis ardebat, vt ad sacrificium illud amoris Deo assiduè offerendum satis instructus videretur: quique id muneris eo magis sibi necessarium ducere poterat, quod consentaneum appareret, vt vniuersalis Ecclesiæ Pastor adorandam illam, in fidelium omnium curæ suæ concreditorum salutem & fructum, victimam perpetuò immolaret; subueritus per quendam suspicionis odorem, ne qua in re proximi charitati defuisset, altaria deserit, ac singulari hu-

militatis exemplo cœlestium ſibi ipſe myſteriorum celebrationem interdicit. Et tamen tua illa mirifica norma ſtatuere nos jubebis, nefas eſſe quenquam ob peccatorum venialium lapſus, humilitatis ac reuerentiæ ſtudio tantiſper à Communione ſecedere?

De S. Romualdo memoriæ proditum eſt, eum Religioſos qui orationis tempore ſomni obrepentis illecebris aliquantulum ceſſiſſent, ne Sacrum poſteà facerent, prohibere ſolitum eſſe.

S. Malachias à B. Bernardo laudatur, quod Diaconum qui præcedenti nocte ludibrium paſſus, nihilominùs ad ſacrum altare miniſtrauerat, verbis caſtigauit. Quem cum ei pœnitentiam imponeret, ita affatum ſcribit. *Non debueras hodie miniſtraſſe, ſed verecundè te ſubtrahere ſacris, & deferre tantis tamque diuinis Myſterijs, vt hac humilitate purgatus dignius exinde miniſtrares.*

Quin etiam vt ad inferiores Eccleſiæ ætates delabamur; quibus hunc ſenſum in Sanctorum animis à Spiritu Sancto conſeruatum ſemper intelligas: nonne ab Hiſtoriarum Scriptoribus eſt animaduerſum, illuſtrem illum Martyrem, Angliæ Præſulum decus, S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, quòd Regis leniendi ac Cleri ab imminenti vexatione vindicandi ſpe adductus, de ſolito Eccleſiaſticæ libertatis aſſerendæ vigore ac firmitate nonnihil remiſiſſet, ſeipſum à Miſſæ ſacrificio excluſiſſe, nec ad altare niſi abſolutione ſibi à Summo Pontifice impartita regredi voluiſſe.

Nonnè legimus noſtra etiam memoria S. Carolum Borromæum, cum in Miſſæ ritibus nonnihil ab eo peccatum eſſet, pluribus diebus pœnitentiæ cauſa à Sacrificio ſe abſtinuiſſe, eamque ſeceſſionem pia humilitate ſuſceptam diutiùs propagatum fuiſſe, niſi populi qui ipſum ad altare ociùs contemplandi, fructuſque ex ipſius ſacrificiis capiendi deſiderio inflammabatur, ſtudiis ardentibus cedendum exiſtimaſſet.

Nec verò præclaros illos Antiſtites fugiebat nota illa venerabilis Bedæ, toties decantata, toties ab imperitis hominibus in peruerſum vſum detorta vox: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, priuat Sanctam Trinitatem laude & gloria; Angelos lætitia; peccatores venia; juſtos ſubſidio & gratia; in purgatorio exiſtentes refrigerio; Eccleſiam ſpiritali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & remedio.* Sed neque fugiebat eos ſacrificium juſtè ac legitimè omitti, cum pœnitentiæ ſpiritu ob leuiores etiam culpas omittitur; Deum qui à ſolis humilibus honoratur, contriti coram ipſo atque humiliati cordis Sacrificium velut hoſtiam ſibi gratiſſimam accipere; Angelos qui improborum quorumque pœnitentiâ delectantur, piorum nihilominùs pœnitentiâ delectari: Et Epiſcopi lachrymas, quæ olim cum pœnitentium ſemper lachrymis conjungebantur, apud Deum ad eius miſericordiam peccatoribus, munificentiam juſtis, indulgentiam mortuis, beneficia Eccleſiæ, ipſimet gratiam eliciendam quamplurimum valere.

Iam ergo tot Patrum testimoniis, tot Sanctorum exemplis fixum atque indubitatum manet, quamuis non semper adeundæ Eucharistiæ lapsus veniales impedimento esse debeant, cum præsertim ab humana potiùs imbecillitate, quam à culpa aut negligentia proficiscuntur; tamen accidere interdum, vt ob errata illa humilitatis ac reuerentiæ sensu à Communione secedere vehementer expediat, vbi Dei instinctu eò impellimur, talemque pœnam adhibendam deprehendimus, tum vt maculæ quibus infecti videmur abstergantur, tum vt ad eas fugiendas diligentiores in posterum euadamus. Et hæc est mens beatæ memoriæ Episcopi Geneuensis, qui ad matronam virtute ac pietate præstantem scribens, ita loquitur. *Iam tuæ tibi mentis cura seriò habenda est, vt pro tot tamque ardentibus votis tuis puriorem eam in dies ac firmiorem efficias. Nec ab re censeo te tantisper sacrâ Communione priuari, quandoquidem ita visum est moderatori tuo, si fortè ipsum Eucharistiæ desiderium majorem etiam vitæ emendandæ curam tibi ac diligentiam allaturum sit.* (Epist. lib. 2. Ep. 52.)

Primæ Partis Finis.



DE FREQVENTI COMMVNIONE, ADVERSVS COMMENTARIVM,

cui titulus: *Quæstio, Vtrum præstet sacra Communione frequentiùs uti, an rariùs.*

PARS ALTERA.

IN QVA EXCVTITVR HÆC QVÆSTIO, An præstet, atque Animarum saluti expediat, homines peccatorum mortalium conscios, mox à Confessione ad Communionem se conferre, an tempus aliquod spatiumque sumere, quo priusquam sacris se sistant altaribus, peccatorum maculis pœnitentia diluendis incumbant.

CAPVT PRIMVM.

QVAESTIO EXPONITVR, ET IN TRIA Capita distribuitur.

Series verborum Aduersarij.

VI. *SAnctorum etiam sententia est, peccata mortalia Communioni officere non debere, modo Contritio adsit, & antecedat Confessio ubi est copia Sacerdotis, juxta Apostolum 1. Cor. c. 11. Chrysostomus, Augustinus, Anselmus, Theophilactus id satis innuere videntur. Nicolaus I. Gregorius VII. Concilium Coloniense, Isidorus disertis verbis id docent, Omnes Scholæ Theologi hoc idem inculcant, Synodus Tridentina à peccatore, ut fructum è*

sacra Communione capere possit nihil aliud postulat, nisi vt conteratur, ac si adsit Confessor, confiteatur. Non postulat ante Communionem plures dies agendæ pœnitentiæ tribui; nec vnquam talem vsum & praxim Ecclesia tenuit. Tantum qui ob atrocia crimina publicæ pœnitentiæ subijciebantur, Communione, quoad reconciliati essent, abstinebant. Verum aduersus Ecclesiæ præsentis vsum nihil inde effici potest. Atque vt talis mos olim tenuisset, cum eum Ecclesia jam omiserit, nemo priuatus ab vsu & praxi vulgari sine temeritatis nota discedere potest.

RESPONSIO.



QVo spiritu agaris nescio, vt tantum pœnitentiæ odium tam apertè significes. Verum haud facilè crediderim omnes, qui Christianam pietatem ex animo profitentur, adeò tenui eius tuendæ studio teneri, vt te vnum è præcipuis illius fundamentis subuertere æquo animo ferant, nec aliquantum commoueantur, cum te non minori æstu ac vehementia in eos inuehi videant, qui singulari Dei munere de ruinis suis reparandis, vulneribusque curandis sedulò cogitantes, dies aliquot, aut si opus sit, menses ante Communionem pœnitentiæ dare instituant, quam si de insigni aliqua seculi prauitate & corruptela ex hominum mentibus exstirpanda ageretur.

Quod nisi veritatem aperiendam & illustrandam potiùs, quam intemperiem istam exagitandam mihi esse statuissem, nonne atrocem quam

Ecclesiæ

Ecclesiæ imponis iniuriam vehementiùs exprobrare hoc loco liceret? Pœnitentiam enim quam fides vnicum peccatoris post ruinam perfugium, vnicam post naufragium tabulam, vnicam Dei post grauissimam offensionem placandi viam, cœli gaudium, terræ leuamen agnoscit, adeò è Christianorum mentibus hoc tempore esse deletam contendis, vt sanctissimæ illius partes ac munera in criminibus numerari jam queant.

Verum vt ne egrediar è cancellis quos ipse mihi circumscripsi, atque vt quod à te confusè ac perturbatè proponitur in aliquem ordinem adducam, cum hic quæratur conducibiliùs ne sit ac fructuosiùs hominibus peccatorum mortalium sibi consciis, statim à Confessione Communionem adire, an tempus aliquod spatiumque sumere, quo priusquam sacris se sistant altaribus peccatorum maculas pœnitentia diluant totam responsionem meam in tres Partes distribuam.

In prima omnia Scripturæ, Patrum & Conciliorum, quibus sententiam tuam fulcire niteris, testimonia paucis expendam.

In altera planum faciam verumne sit quod affirmas, nunquam Ecclesiæ fuisse morem, vt ante Communionem pluribus diebus pœnitentiæ incumberetur.

In tertia demonstrabo quid censendum sit de temeraria censura, qua temeritatis arguis eos, qui hisce temporibus pœnitentiam, vt Canones loquuntur, honorant carnisque vexatione, ac pio-

rum operum officiis Dei misericordiam flectere student, antequam ad Sancta Sanctorum accedere audeant.

Et quoniam ista quam hic spiras acerbitas satis prodit, tibi illud ipsum quod ad fidelium pietatem incendendam plus valet majori offensioni & scandalo esse, nec minùs tibi propositum esse ac deliberatum homines à pœnitentia deterrere, quam ad Communionem præcipiti leuitate compellere, veniam dabit ac boni consulet æquus lector, si hic paulò diutiùs immorer; vt in re tam graui verum ac germanum Christianæ pietatis sensum, ab adulterinarum tuarum opinionum contagione vindicem.

CAPVT II.

QVAESTIONIS PARS PRIMA: in qua testimonia omnia, in eos qui peccatorum mortalium pœnitentiam certo tempore peragendam ante Communionem decernunt, ab aduersario prolata refelluntur.



SECVRE admodum veluti de re certa, Patrumque omnium consensu explorata pronuntias, Mortalia peccata vt primum Confessione prolata sunt, minimè officere quin ad Communionem statim aduoletur. Atque vt imperitis fucum facias, multorum nomina Patrum appellas nulla eorum voce subjecta, eo videlicet consilio, vt & doctrinæ fallaciam tantorum in Ecclesia virorum titulis commendes, & illius reprehensionem diffi-

ciliorem efficias, cum ei qui refellere illam instituat, tot volumina solo verbo temerè citata scrutari & inuestigare necesse sit: quæ tamen ars quo minùs tibi ex sententia cedat facilè me perfecturum confido.

Ac ne multis morer, fateor primum mihi non constare quid illo Apostoli loco 1. Cor. 11. probare instituas: sic enim agis quasi omnis quam ad sumendum Christi Corpus Apostolus exigit animi præparatio, sola Confessione contineatur. Quæ quidem manifesta scripturæ corruptela ac deprauatio fuerit. Docet quippe Paulus summam curam & diligentiam adhibendam, vt ad tantum Mysterium mente probè instructa & composita accedamus, ne ex eo non salus nobis sed pernicies ac damnatio existat. Atque hinc aduersus nostrorum temporum hæreticos rectissimè colligimus cum ad diuinam illam mensam, casti animi integritatem afferri oporteat, qui eandem in se criminum mortalium impuritatibus violarint, eius instaurandæ vias à Christo traditas ingredi, constitutumque ab eo in Ecclesia tribunal adire debere, vt sua illis peccata Sacerdotum opera ac ministerio remittantur. Ad hunc nempe modum Pauli præcepto probare se quemque jnbentis antequam Panem Cœlestem edat, peccatorum Confessio continetur. Qui verò ita hoc interpretari velit, vt nihil præter Confessionem præcipi statuat, debitum ineffabili Sacramento honorem ac reuerentiam indignis modis deprimet atque deijciet, & ipsis Apostoli verbis,

vt de Patribus interim taceam, facilè refelletur.

Vt enim auctor Commentarij qui Anselmo adscribitur, & ante illum Augustinus præclarè animaduerterunt, Apostolus Corinthios Christi Corporis indignè habiti non arguit, eo quod ipsum animo ingentium criminum conscientia oppresso, prætermissa Confessione susceperint; sed quod cœlestem illum cibum non satis à terrenis ac vulgaribus cibis, eximia quadam & illi propria veneratione secreuerint. Quod quidem ex eo liquere affirmant, quia postquam scripsit de tali homine *judicium sibi manducat & bibit*, continuò subijcit, *non dijudicans Corpus Domini*. Non igitur id agebat potissimùm Apostolus, vt qui sacra Communione pascitur peccatis mortalibus vacet, quales Corinthiorum plerosque tum fuisse nemo dubitarit: sed majus quiddam spectabat, vt videlicet ad tantum Mysterium præter animi castimoniam peccatorum mortalium immunitate majorem, præcipua quædam animaduersio & religio singularis adhibeatur. Quare B. Bonauenrura non veretur affirmare, *ad hoc vt quis ex Apostoli mente seipsum probet, necesse esse vt consideret ex quanta charitate & quasi feruore accedat. Neque solum mortalia vitanda esse, sed etiam venialia peccata, quæ per negligentiam & otium multiplicantur, & etiam per inconsiderationem & distractionem dissolutæ vitæ. Indignè illum Eucharistiam sumere qui non accedit reuerenter, circunspectè & consideratè talesque inter illos computari qui secundùm Apostolum judicium sibi manducant & bibunt.*

De præparat. ad Miss. c. 5.

Atque, vt rem à principio & fonte repetamus, ſicut Apoſtolus quæ nobis tradidit à Domino ſe accepiſſe teſtatur, vniuerſa illa legitimarum ad Eucharistiam præparationum ratio, ipſa Chriſti Myſterium hoc in mortis ſuæ memoriam celebrari iubentis præceptione continetur. *Oportet enim*, autore Baſilio, quem ſuprà retulimus, *vt quiſquis accedit ad Corpus & Sanguinem Domini in commemorationem eius qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, non ſolum purus ſit ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ne iudicium ſibi manducet & bibat: verum etiam apertè palamque oſtendat, ſe memoriam eius recolere qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, exhibendo ſe mortuum mundo, peccato, ac ſibi ipſi, viuentem autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* An videtur obſecro vir tantus ſolam peccatorum Confeſſionem exigere, vt ex Chriſti atque Apoſtoli mente diuiniſſimum illud Corpus edere quis & Sanguinem bibere mereatur, poſtquam illum ipſum Sanguinem, per lethalia quibus ſe obſtrinxit flagitia polluerit toties & conculcarit? Sed de hoc argumento iam ſatis. Infrà à nobis explicabitur: nunc cœtera quæ affers teſtimonia perſequamur.

Lib. 1. de Baptiſm. c. vlt.

Chryſoſtomus, inquis, *Auguſtinus*, *Anſelmus*, *Theophilactus ſatis id nobis innuere videntur*, hoc eſt, *peccata mortalia ſimul ac Confeſſio præmiſſa fuerit, Communionem nihil morari.* Quin tu eadem opera Cyprianum, Baſilium, Hieronymum, Ambroſium, Theodoretum, & quantum velles SS. Patrum vna congerebas? Eos enim ſententiæ tuæ patrocinari nihilo

impuniùs asserere potuisti, nec rudes & minimè mali homines verbo tuo fidem ægriùs haberent. Adeone vbi æterna fidelium salus agitur, & viuorum credulitatem, & demortuorum autoritatem ludificari, ac SS. Patribus pro libidine affingere, quæ ne per somnium quidem cogitarint, imò quæ planè refellerint?

An enim post admissa peccata mortalia, Confessionem solam adhibendam, nec plures dies ante Communionem pœnitentiæ incumbendum censuit Chrysostomus, qui vbique docet; *Quicunque agant pœnitentiam ne Sacrificio quidem interesse oportere, vtpotè qui obtemperare debeant Diacono proclamanti:* EXEANT QVOTQVOT SVNT IN POENITENTIA. *Qui cœlestis gratiæ patrimonium dissiparint, ijs quidem incumbere vt in diuinissimi Patrisfamilias domum remigrare studeant, non tamen vt ad tremendam & mysticam mensam statim accedant. Non confestim ijs ad sanctorum mysteriorum Communionem adspirandum, sed sensim tantummodo, & vbi sacris diuini verbi laticibus sordes absterserint.* Denique *cum Sancta Sanctis demum conueniant, qui sanctus non sit eum ab illa mensa recedere debere, quique ad ipsam accedere audeant, non à vitiorum modo cœno purgatos, sed virtutum ornamentis & bonorum operum diuitiis honestatos esse oportere.*

Homil. 8. in Epist. ad Ephes.

In parab. de Prodigo.

Homil. 17. in Ep. ad Hebr.

An tuæ sententiæ accedit Augustinus, dum toties scribit in hunc modum: [a] *Qui pro illis peccatis quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, quoniã qui talia agunt regnum Dei non possidebunt,* (hoc est pro peccatis mortiferis) *pœnitentiam agunt, remotos esse à Sa-*

a *Hom. 50. hom. 27. Ep. 108.*

cramentis altaris participandis. [b] *Hanc ab ipsis pœnitentibus aduersus semetipsos sententiam proferri oportere.* [c] *Eos optimè hoc pacto prouidere posse ne ab æterno cœlestique conuiuio prorsus excommunicentur si cognoscentes reatum suum ipsi se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ remouere voluerint.* [d] *Qui autem medicinam cœlestis disciplinæ contemnens noluerit paulisper à visibilibus Sanctis separari, illi planè metuendum esse ne ab æternis & inuisibilibus Sanctis æternum sejungatur.* [e] *Hoc esse indignè accipere Eucharistiam, si eo tempore quis accipiat quo debet agere pœnitentiam.* [f] Postremò, *Quisquis se aliquo crimine vulneratum cognouerit priùs orationibus, ieiunijs, vel eleemosynis conscientiam suam mundare debere antequam Eucharistiam accipiat.*

b Hom. 50.
c Ibidem. & Serm. 252. de Temp.
d Hom. 50.
e Ep. 118.
f Serm. 252. de Temp.

Quod si duo illi Patres nihil aiunt quod non apertè doctrinam jugulet tuam, multominùs duos alteros Suffragatores habebis. Cum Anselmus, imò Heruæus, quem pro Anselmo venditas, assiduum Augustini discipulum ac sectatorem agat, vt Theophilactus Chrysostomi. Et verò si instituti mei esset facilè docerem quicquid ab autore commentariorum Anselmo attributorum in 1. Corinth. 11. caput, (quem vnum locum respicere potuisti) memoratur, ex variis Augustini sententiis esse collectum. Verum in præsentia monuisse sat erit, eum cum de illis loquitur qui indignè Christi Corpus edunt & Sanguinem bibunt, statuere cum Augustino, *Hoc esse indignè accipere si eo tempore quis accipiat quo debet agere pœnitentiam.* Quin etiam in hæc Apostoli verba, *Si nosmetipsos judicaremus non vtique judi-*

caremur, præclaram illam ex quinquagesima Augustini homilia sententiam profert, qua Apostoli præcepto inhærens, mortalium peccatorum sibi conscios æterni Iudicis tribunal præuertere atque occupare jubet, *vt ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini.* Si Sanctos hosce Patres, vt verum animarum institutorem decebat, tuis oculis inspexisses, an iis vnquam, nisi fortè horrenda illa ab Isaia commemorata, qua videntes non vident cœcitate percussus, sententias ipsorum sententiis planè contrarias ac repugnantes, adscribere ausus esses?

Nec verò apud Theophilactum quidquam quod quæstionis huius proprium sit reperio, nisi quod Chrysostomum ducem ac magistrum secutus, cùm eum qui Christi Corpus & Sanguinem indignè sumit, non minùs graue facinus, quam carnifices qui illum ipsum sanguinem effuderunt in se suscipere confirmasset; concludit Eucharistiam sacram nonnisi integra & casta mente accipi oportere, quem eundem locum anteà S. Athanasio adscripsisti.

Atque hæc est conjecturarum tuarum inanitas: nunc quanto firmiora afferas argumenta videamus. Nimirum addis *Nicolaum I. Gregorium VII. Concilium Coloniense, Isidorum disertis verbis opinionem tuam asserere.* Quis non miretur os hominis, rem falsam

falsam & commentitiam, ea fidentia qua Oracula funderentur expromentis?

Nicolaus I. Responsionis ad consulta Bulgarorum cap. 9. quem vnum locum ad rem nostram proferre potes, nihil aliud ait, nisi expedire vt fideles *in Quadragesima majori quotidie communicent, si tamen mens in affectu peccandi non sit*: qui gradus pietatis est altior fortasse quam reris, vt jam ostendi ad locum Gennadij quem Pontifex ille videtur imitatus. Prætereà verò ab illa Communione non solum eum qui *fratri discordanti suo vitio minùs reconciliatus existat* nominatim excipit Pontifex, sed etiam eos *quos de criminalibus peccatis conscientia impœnitens, vel non reconciliata fortassis accusat*. Ex quo patet etiam si quis à pœnitentia jam non abhorreret, ac peccata Confessione aperuisset, priusquam tamen reconciliatus ad Sacramentorum Communionem admitteretur, tempus spatiumque intercessisse, quo pœnitentiâ illi à Sacerdote impositâ defungeretur (quod Nicolai I. ætate, qui nono seculo vixit, ac multo post factitatum certissimis argumentis infrà demonstrabimus.) Adeoque neminem ea tempestate mortalium flagitiorum reum in Communionem restitui potuisse, quin expiandis illis plures dies in pœnitentiæ studiis & laboribus posuisset. An hæc approbant, quod jactabas sententiæ tuæ Nicolaum disertis verbis suffragari?

De Gregorio VII. quod obtendas nihil esse existimo præter Epistolam ad Principem fœmi-

nam Mathildem, quam ſine vlla prorſus vel peccatorum mortalium, vel Confeſſionis vel Contritionis mentione ad frequentem Communionem hortatur. An ergo exerte opinionem eam adſtruit de qua ne verbum quidem facit? Quod ſi etiam tantæ Principis eximiam virtutem, ſi egregia ſingularis pietatis illius argumenta, ſi ſumma in Apoſtolicam Sedem turbulentis temporibus merita conſideremus, nihil erit quod Pontificem illum frequentandæ ei Communionis autorem eſſe magnoperè admiremur. Illud demum mirandum fuerit te mulieris tanta pietate excellentis exemplo abuti non veritum, vt peccata mortalia quorum pius quiſque expers eſſe debet, nemini quominùs ſimul ac ea confeſſus fuerit Communionem vſurpet, impedimento eſſe conficeres.

Ep. lib. 1. Ep. 21. 25. 26. 40. 47. 50. 83. Lib. 3. Ep. 5. 8. Lib. 4. Ep. 2.

Matrem habuerat Beatricem Henrici IV. Imperatoris Amitam. Gregorij VII. epiſtolæ tum matris tum filiæ elogiis ſcatent, vbi ſingularis earum ad Eccleſiæ defenſionem zeli prædicandi finem non facit. His autem verbis grauiſſimum illarum pietati teſtimonium tribuit. [a] *Si charitas mater omnium virtutum quæ Deum de cælo in terram vt noſtram miſeriam ferret compulit venire me non inſtrueret, & eſſet qui miſeris & oppreſſis Eccleſiis veſtra vice ſubueniret, ac vniuerſali Eccleſiæ deſeruiret, vt ſeculum relinqueretis cum omnibus eius curis monere procurarem. Sed quia de veſtra Aula vt multi Principes Deum non abijcites, imò ſacrificio iuſtitiæ ad eam venire inuitatis, rogamus vos, & vt chariſſimas filias admonemus bonum*

a Lib. 1. Ep. 50.

quod cœpiſtis, ad perfectum finem perducatis. En virtutem, en pietatem fœminæ quam Gregorius VII. ad crebram Communionem hortatur Epiſt. 47. (quam ſolam opinioni tuæ firmandæ prætexere potes;) videlicet ſignificat eam humilitatis ſenſu à frequentiori Communione reuocari. Quod erat virtutis. Hortatur autem eam illa Ambroſij voce, *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Qua re mentem ei puriſſimam & ad frequentem adeò Communionem idoneam eſſe cenſebat. Profert etiam hunc Gregorij Magni Dialogorum locum; *Debemus præſens ſeculum tota mente contemnere; quotidiana Deo lachrymarum ſacrificia, quotidianas carnis & ſanguinis hoſtias immolare.* Ex quo intelligitur eum qui frequentare Communionem velit, ita animo comparatum eſſe debere, vt Chriſtum quotidiano lachrymarum ſacrificio demereatur antequam Corporis ei ac Sanguinis ipſius ſacrificium offerat. Quo pacto igitur Epiſtolæ huius mentionem vſurpare audes, vt ad Euchariſtiæ frequentiorem conſuetudinem eos impellas, *qui vita gentium viuunt*, *Hilar. in Matth.* qui arctiſſimis ſeculo vinculis adſtringuntur, qui in voluptatibus ac deliciis conſectandis toti hærent? Quo pacto inde elicias Gregorium VII. diſertis verbis profiteri peccatis mortalibus, ſimul ac Confeſſione retecta ſunt, Communioni moram nullam afferri? Quaſi Epiſtola illa homines lethalibus criminibus implicitos ad Euchariſtiam vocet, dum eò lectiſſimam & Chriſtianis moribus ſpectatiſſimam inuitat, ac proinde peccatorum

De verb. Apost. Ser. 29. c. 6. mortalium expertem, quæ autore Auguſtino *non facit bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus.*

Verum vt hoc ipſo Mathildis exemplo perſpicuè pateat, quantum Gregorius VII. ab ea quam illi affingis opinione diſſideat; cum eadem errore prolapſa Marchioni Azoni quarto, propinquitatis gradu coniuncto nupſiſſet, non jam illam ad Communionem ſed ad juſtitiam Dei placandam hortatur. Ep. lib. 2 Ep. 32. *Tibi præcipimus*, inquit, *vt à conſortio & cohabitatione ſua omnino te auferas, & de perpetrata iniquitate ita dignè pœniteas quatenus gratiam Dei valeas recuperare.* Vſque adeò ab Eccleſiæ mente ac ſpiritu abhorret peccatorem de Communione ſuſcipienda cogitare, antequam de criminibus digna pœnitentia expiandis ſedulò cogitarit.

Iam vt ad reliqua teſtimonia tua redeamus. Concilium Colonienſe non multo inconſultiùs à te profertur. Docet quidem aduerſus horum temporum hæreticos (quod idem de Concilio Tridentino infrà demonſtrauimus:) neminem niſi priùs animi receſſus Sacerdoti aperuerit ac peccatorum dolore contritus fuerit ad Euchariſtiam accedere debere; verum pœnitentiam ab eo reſcindi ac fidelem peccatorum mortalium ſibi conſcium ne dies aliquot piis operibus, eleemoſynis & orationibus impendat, quibus animi integritatem Chriſti Corporis ſanctitati accommodatam paret, prohiberi minimè reperio. Quin etiam idem Concilium (quod in primis obſeruandum eſt) inſignis illius Gennadij teſtimonij de præparatione ad frequen-

tem Communionem adhibendæ, magnam partem totidem verbis refert.

Iſidorum verò quanta confidentia inuitum ac reluctantem in eam ſententiam trahas, cui contrarium planè doceat, idque eo loco quem vnum tibi in hanc rem producere liceat, quis ſine dolore aliquo & vindicandæ veritatis zelo videre queat? vter noſtrum æquiorem cauſam habeat ipſa verborum eius lectio dijudicabit, quibus planiſſimum fit illum hoc loco Auguſtini Epiſtola 118. voces à nobis capite 14. commemoratas eſſe mutuatum. *Dicunt*, inquit, *aliqui nullo interueniente peccato Euchariſtiam quotidie accipiendam. Hunc enim panem dari, jubente Domino, quotidie poſtulamus dicentes: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quod quidem benè dicunt, ſi hoc cum religione & deuotione & humilitate ſuſcipiunt, ne fidendo de juſtitia ſuperba præſumptione id faciant.* COETERVM SI TALIA SVNT PECCATA, QVÆ QVASI MORTVVM REMOVEANT AB ALTARI, PRIVS AGENDA POENITENTIA EST, AC SIC DEINDE HOC SALVTIFERVM MEDICAMENTVM SVSCIPIENDVM. QVI ENIM MANDVCAT ET BIBIT INDIGNE IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT. HOC EST ENIM INDIGNE ACCIPERE, SI EO TEMPORE QVIS ACCIPIAT, QVO DEBET AGERE POENITENTIAM.

An diſertis verbis docet hominem lethalium delictorum ſibi conſcium pluribus diebus ante Communionem pœnitentiæ operam dare non debere,

qui disertè docet, Eucharistiam tum demum accipiendam, cum peccatum mortale non interuenerit: peccatis omnibus mortalibus hominem quasi mortuum ab altari remoueri: peccatorum agendam, non Confessionem tantum, sed pœnitentiam, antequam hoc salutiferum medicamentum suscipiatur. Hoc esse denique Christi Corpus indignè accipere, si eo tempore quis accipiat quo pœnitentiam agere debet. Ex quo manifestè demonstratur post mortales culpas antequam Eucharistia adeatur *iusto temporis spatio*, vt loquitur Cyprianus, animi sordes elui oportere.

De Scholæ Theologis, cum eos enucleatiùs ac planiùs proferes tibi satisfacere conabimur. Verum ad omnia quæ Doctores illi de hoc argumento vspiam scripserint perscrutanda nos opinor adigendos minimè putabis. Tantum dicam illud constare inter eos omnes, Sacerdotem posse jure suo exigere à pœnitente vt pœnitentiam præscriptam impleat antequam ei absolutionem impertiatur, adeoque antequam ei accipiendæ Eucharistiæ potestatem permittat.

Vltimum testimonium repetis à Synodo Tridentina, in qua quidem haud scientiorem te demonstras, quam in Patribus ante commemoratis. Sacer ille cœtus, ad exortas postremis hisce temporibus hæreses confodiendas singulari Dei munere destinatus, Sessione 13. quæ est de Eucharistia ad profligandam Lutheri impietatem, qui argumentis tuorum similibus, quo quis grauiori criminum

pondere premeretur eo promptiùs ad Euchari-ſtiam accedere debere aſſerebat; Docet primo *quo magis ſanctitas & diuinitas cœleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs eum cauere debere ne abſque magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat, reuocareque in memoriam illud Pauli præceptum: probet ſeipſum homo & ſic de pane illo edat & de calice bibat*. Deinde communem alterum omnium huiuſce temporis hæreticorum, qui Confeſſionem funditùs tollunt errorem elidens, hæc addit. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*. Quid iſtuc quæſo ad Controuerſiam noſtram? aut cuiuſnam Dialecticæ leges ita argumentari ſinunt: jubet Synodus vt peccatorum mortalium reus Confeſſionem Communioni præmittat; vetat ergone idem ante Communionem per dies aliquot iniuriæ diuinæ expiandæ, criminibuſque pœnitentiæ labore diluendis incumbat? Quis tam inſolens ratiocinandi genus aſſequatur? Imò quis ipſum omnibus Synodi Tridentinæ principiis funditùs conuelli non videat?

Si enim quæras, quodnam ſancta Synodus Sacramentum pœnitentiæ intelligat quo peccatores omnes viam ſibi ad Communionem ſternere jubet: Reſpondebit illa *ad nouitatem nos & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus diuina id exigente iuſtitia peruenire*

nequaquam posse, vt merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Respondebit Sacramentum istud tribus partibus constare, earumque postremam Satisfactionem, (quæ vt alibi docet, ieiuniis, eleemosynis, orationibus, ac cœteris vitæ spiritualibus operibus peragitur,) *à Patribus nostris Christiano populo fuisse perpetuo tempore maximè commendatam.* Respondebit denique, Cur peccatorum omnium mortalium singularis & enucleata Confessio jure diuino sit necessaria hanc præcipuam esse rationem, *quod Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere, nec æquitatem quidem in pœnis iniungendis seruare potuerint, si homines in genere duntaxat & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Hinc facilè intelligitur, an Tridentina Synodus cum vetat, ne quisquam peccati mortalis sibi conscius prætermisso pœnitentiæ Sacramento ad sacram Eucharistiam transiliat, vnam è præcipuis eiusdem Sacramenti partibus, qua peccator piis operibus Deo satisfacit, & cuius causa Confessionem ipsam à Christo fuisse institutam docet, prætermitti velit.

Verum sanctæ huius Synodi de pœnitentia mentem fusiùs alibi explicabimus, & quantum illa à tuis dogmatibus recesserit planum nos facturos speramus. Interim illud nunc animaduertatur eam disertis verbis profiteri, hoc loco se id vnum agere vt Ecclesiæ morem sanctè inuiolateque tueatur. Quare ad controuersiam hanc dirimendam superest vt qui mos Ecclesiæ fuerit exquiratur. Cuius

quidem tractationis causam secundo è tribus capitibus propositis ipse attulisti.

CAPVT III.

QVAESTIONIS PRAECIPVAE PARS secunda proponitur. Verumne sit quod Aduersarius scripsit, nunquam in Ecclesiæ vsu positum fuisse, vt mortiferorum peccatorum rei per plures dies pœnitentiam agerent, antequam ad sacram Communionem admitterentur.

Primis Ecclesiæ seculis non solis publicis, grauissimisque criminibus Pœnitentiam publicam indictam fuisse.



QVOD affirmas nunquam in Ecclesiæ vsu positum fuisse, vt lethalium criminum rei per plures dies pœnitentiam agerent antequam ad sacram Communionem admitterentur: tantam rerum Ecclesiasticarum inscitiam præ se fert, vt vel sola legendi peritia satis sit ad comprimendam tuam incredibilem confidentiam, cum innumera Sole ipso clariora in Conciliorum Canonibus Sanctorumque Patrum scriptis argumenta passim occurrant, quibus perspicuè euincatur, quod non minùs audacter quàm imperitè inficiari audes. Sed quoniam diuinam illam sacrorum integerrimorumque testium nubem qui aduersum te per omnes Ecclesiæ ætates & in cunctis orbis vniuersi regionibus testimonium dicunt, dissipasse te ac dispulisse existimas, & grauissimam illorum autoritatem hoc vno verbulo fregisse; *quicquid illi de peragenda ante sacram synaxim pœnitentia prædicent, de solis*

pœnitentibus publicis intelligendum esse quibus ob atrocia quædam crimina sacrorum vsus interdiceretur quoad reconciliati essent: Satiùs est, ne multis morer, tuam istam ad quam confugisti arcem continuò inuadere, vt ipsa veritas quæ longè herculè fortior est, vanum tuum commentum in ipso latibulo falsæ distinctionis tanquam semihominem Cacum in sua spelunca suffocet.

Aug. contra Academ. l. 3. c. 10.

Ac primum *atrocium criminum* nomen quo vteris ad fallendos imperitos maximè valet: quippe qui facilè suspicentur nihil aliud his vocibus subijci, nisi immania quædam & insolita scelera, vt parricidia, & ea quæ à Tertulliano *monstra* appellantur; ex eoque occasionem captent de peccatorum suorum etsi ingentium grauitate, molliùs existimandi quàm par sit, dum ea eiusmodi non esse arbitrantur, quæ publica pœnitentia debeant expiari.

Non eo tamen te vel imperitiæ, vel confidentiæ progressurum puto, vt negare ausis, saltem homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, perjuria, blasphemiæ pœnitentia publica mulctari consueuisse: adeoque ex Ecclesiæ Sanctorumque Patrum mente rectè facturos, quicumque se his criminibus maculauerint (qui nimis heu multi sunt ad seculi nostri dedecus & infamiam) si se pluribus diebus, imò etiam mensibus à sacra Communione remouerint, quo peccatorum suorum pœnitentiam hoc temporis spatio peragant. Id verò vel vno Fabiolæ exemplo confici potest, cunctisque planum fieri quantum abhorreat à veritate, ob atrocia de-

mum crimina pœnitentiam olim publicam indictam fuisse. Refert enim S. Hieronymus qui nobilissimæ illius fœminæ sanctitatem scripto elogio celebrauit, eam, cum à viro discessisset ob adulterij causam, alterique nupsisset, hac persuasione decepta, priùs matrimonium solutum esse, culpam in quam Hieronymo teste inscitia potiùs & imprudentia quàm voluntate lapsa fuerat, pœnitentia publica diluere non recusasse. *Quis hoc crederet* (inquit Sanctus Doctor) *vt post mortem secundi viri in se reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes jugo seruitutis excusso agere se liberiùs, saccum indueret, vt errorem publicè fateretur, tota vrbe spectante Romana ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo & Præsbyteris, & omni populo collachrymantibus, sparsum cinerem, ora lurida, & squallidas manus, sordida colla submitteret. Non est confusa Dominum in terris & ille eam non confundetur in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, vt quam Sacerdos ejecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transiuit fluenta lachrymarum, sedit super carbones ignis: hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat quasi adulterium commisisset, & multis impendijs medicaminum*

In Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum.

vnum vulnus ſanare cupiebat. Hoc exemplum intuere, ac vel ipſe judica, num ex eo fornicatores & adulteri, quos longè plurimos habet ſeculum hoc corruptiſſimum in eam opinionem adduci poſſint vt ſeriò exiſtiment ſibi opus non eſſe pœnitentiam agere antequam ad Euchariſtiam accedant.

Cauendum præterea eſt, ne quod à pleriſque fit, publicam peccatorum Confeſſionem cum pœnitentia publica miſceamus ac confundamus. Neceſſe enim non eſt pœnitentiam publicam agenti palàm & coram omnibus peccata ſua ſigillatim exponere. Nunquam Eccleſiæ diſciplina vulgò pœnitentium hoc onus impoſuit, ne quidem cum eos ad pœnitentiam pnblicam adigeret. *Sufficit*, inquit S. Leo, *reatus conſcientiarum ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecreta*, tum verò Sacerdotis erat peccatorem in pœnitentium ordinem referre, à juſtorum conſortio ſegregare, ſicut ægri à ſanis ſemoueri ſolent, congruentia vulneribus remedia præſcribere, & maximè legitimum temporis ſpatium quo ſe pœnitentiæ laboribus afflictaret, antequam ad cœleſtium epularum gaudium aſpirare poſſet. Et tamen quia nonnulli quid inter Confeſſionem publicam, publicamque pœnitentiam intereſſet non ſatis attenderunt, & quòd licet pro certo ſtatuendum ſit Confeſſionem publicam, nunquam in promiſcuo Eccleſiæ vſu fuiſſe, tamen inſignioribus quibuſdam peccatoribus qui palàm deliquiſſent, & ad hoc Confeſſionis genus promptos ſe exhiberent, ea raro admodum atque extra ordinem

S. Leo Epiſt. 80.

vel præſcripta fortè nonnunquam fuit, vel conceſſa, hinc factum eſt, vt nonnulli autores ſibi perſuaſerint pœnitentiam publicam in publicorum duntaxat ſcelerum vindictam olim decretam fuiſſe. Etſi verò qui nuper his de rebus accuratiùs diſſerere cœperunt, vt Illuſtriſſimus in primis Albaſpinæus Aurelianenſis Antiſtes, alijque commentum iſtud diſiecerint, palamque agnouerint prioribus Eccleſiæ ſeculis pœnitentia publica, non publica modo ſed occulta etiam crimina plecti conſueuiſſe (quod vel ex vno Ambroſij loco, quem ſuprà adduximus, manifeſtè patet) hæſit tamen in multorum mentibus contraria ſententia, longo ſcilicet vſu aſſuetorum apertiſſima quæque reſpuere, ſi à præjudicatis ipſorum opinionibus abhorreant.

Si quis occulta crimina habens, &c. *Vide* 1. *Part. c.* 13.

Quia verò ſæpè fit, vt error alius alium pariat, nonnulli, cum ex antiquorum Patrum, præſertimque Tertulliani lectione non in alios olim Eccleſiam quam in eos qui pœnitentia publica defungerentur, clauibus ſibi à Deo datis vti conſueuiſſe animaduerterent: hanc veritatem copulantes cum falſa illa ſententia, pœnitentiam publicam publicorum duntaxat peccatorum fuiſſe, falſam concluſionem hanc pepererunt, primis illis temporibus ſolis peccatis publicis expiandis Eccleſiæ miniſterium adhibitum fuiſſe, qui ſanè odioſus eſt error, ad doctrinam Catholicam de neceſſaria peccatorum omnium mortalium remiſſioni Sacerdotali abſolutione labefactandam accommodatus.

Enimuerò vt ex Tertulliano patet (reliquos

enim Patres omitto) non aliam eum pœnitentiam agnoſcere, qua lapſi reſtituerentur, quam publicam, quod etiam ab Illuſtriſſimo Albaſpinæo demonſtratum eſt: non minùs perſpicuum eſſe deprehendet quiſquis mente à præjudiciis libera autorem illum legerit, huic pœnitentiæ publicæ peccata quæuis mortifera ſeu publica, ſeu arcana ſecretaque indiſcriminatim ſubjeciſſe.

Vt enim omittam quod ait hic autor aduerſus eos, *Qui hoc opus pœnitentiæ vt publicationem ſui, aut ſuffugiebant, aut de die in diem differebant pudoris magis memores quam ſalutis*, quos etiam cum illis comparat, *qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*, quodque ſubjungit, *non grande emolumentum verecundiæ occultationem delicti polliceri, cum ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, non proinde ſimus & Deum celaturi: neque verò meliùs ſit damnatum latere, quam palàm abſolui*, vt hæc inquam miſſa faciam, quæ tamen ſatis indicant non de ſolis criminibus publicis hanc ab eo diſputationem inſtitutam eſſe, quippe quæ *hominum notitiæ ſubducta* non ſint, totius libri ſeries & contextus euincit pœnitentiam illam publicam, de qua diſſerit vt neceſſarium mortiferis omnibus delictis remedium ab eo proponi.

Tertull. de pœnit. c. 10.

Explicatis enim in priori operis parte quæ ad Catechumenorum pœnitentiam ſpectant, vbi ad baptiſatorum pœnitentiam ventum eſt, his verbis orditur. *Huc vſque Chriſte Domine de pœnitentiæ diſ-*

Ibid. c. 7.

ciplina seruis tuis discere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus: vt nihil jam de pœnitentia nouerint, nihil eius requirant. Piget iam secundæ, imò jam vltimæ spei subtexere mentionem: ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Sed enim peruicacissimus ille hostis nunquam malitiæ suæ otium facit: atquin tunc maximè sæuit, cum hominem sentit plenè liberatum: tunc plurimum accenditur cum extinguitur. Doleat & ingemiscat necesse est venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ retrò erasos. Dolet quod ipsum & Angelos eius Christi seruus ille peccator iudicaturus est. Itaque obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos carnali concupiscentia ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere; non scandalis, non tentationibus deficit.

Dubium non est, quin dæmonis furor & sæuitia, de qua Tertullianus, aduersum hominem Baptismi beneficio ab eius faucibus ereptum, plenè exsaturetur, si eum in quodlibet mortale delictum impellere potuerit: ita enim in durissimam illius seruitutem denuò retrahitur, paruique admodum interest cuiusmodi sit peccatum illud, manifestum an occultum, carnis an spiritus, modo ipsum à filiorum Dei libertate dejectum eius impurissimæ dominationi subijciat. Quin etiam credibile est eum spiritualibus delictis quæ in intimis cordis recessibus latent, vt superbiâ, inuidiâ, hypocrisi, hæresi-

bus quas hic autor designat, vt naturæ nequitiæque suæ conuenientioribus vel maximè delectari.

Ibidem. *Hæc igitur venena prouidens Deus*, inquit ille summo vir ingenio, *clausa licet ignoscentiæ ianua & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam quæ pulsantibus patefaciat.* Cum remedia æquè latè patere debeant ac morbi; neque dubium sit, quin artes & insidiæ quibus ille *peruicacissimus* humani generis *hostis* collatam nobis in Baptismo sanctitatem intercipere nititur, mortifera quæque delicta complectantur; consequens profectò est, pœnitentiam illam secundam, quam Tertullianus his diaboli insidiis & venenis remedium vnum à Deo prouisum esse docet, lethifera omnia peccata complecti.

Præterea Tertullianus affirmat clausa quæ intinctionis & Baptismatis est priori ianua, non nisi per alteram, quæ pœnitentiæ est, reditum ad Deum patere. Mortiferis autem delictis omnibus, etiam arcanis, *intinctionis sera obstruitur*, cum salutaris lauacri gratia quouis eiusmodi peccato amittatur: qui ergo mortalia crimina commisissent, seu manifesta, seu occulta, non alia iis ad reconciliationem via, nisi per illam secundæ pœnitentiæ ianuam, quam is autor ita describit, vt publicam illam fuisse dubitare fas non sit.

Habes, inquit, *quod iam non merebaris, amisisti enim quod acceperas*, (partam scilicet in Baptismo sanctitatem, quæ mortifera quacunque culpa amittitur) *si tibi indulgentia Domini accommodat, vnde restituas*

quod

quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato, majus enim est restituere quam dare, quoniam miseriùs est perdidisse, quam omninò non accepisse. Cum nulla sit mortalis culpa, siue palàm siue clàm commissa quæ diuinis Baptismi ornamentis hominem non spoliet, nonne euidens est pœnitentiam illam quam *prosternendi & humilificandi hominis disciplinam,* appellat, *quæ conuersationem injungeret misericordiæ illicem, sacco & cineri incubare, animum mœroribus deijcere, plerumque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & dies noctesque mugire ad Dominum,* necnon etiam coram Ecclesia supplicis & deiecti animi cuiusquemodi testificationes adhibere, *Presbyteris aduolui, & caris Dei adieniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Hanc inquam pœnitentiam mortiferis omnibus peccatis inflictam fuisse, vnde sequitur multum eos à vero aberrare, qui existimant pœnitentiam publicam, ne olim quidem nisi ob crimina publica indici consueuisse. Tertull. de Pœnit. c. 10.

Vt autem id cuiuis non pertinacissimo persuadeam, ab eo solum postulo, vt perpendat ex innumeris Canonibus, qui fornicatores & adulteros pœnitentiæ publicæ subijciunt, nullum esse qui eam illis non generatim præscribat sine vllo publici facinoris, occultive discrimine, cum tamen non ignorarent sapientissimi illi Canonum conditores, si vnum aut alterum ex eiusmodi flagitiis palàm erumpat, esse longè plurima quæ nunquam ex infamibus tenebris emergant quas ad tegendam turpitudinem suam captare solent.

Itaque & hodie Episcopi cum in animo non habeant inter casus, vt aiunt, sibi reseruatos adulteria etiam arcana comprehendere, non ita cæcutiunt vt Decretum faciant, quo generatim adulterium sibi reseruent, sed planè exprimunt *adulterium publicum*, hoc est vt ipsi interpretantur, *quod vel iudicio probatum est, vel nulla tergiuersatione in tota vicinia celari potest*. Quod profectò luce omni clariùs argumentum est, antiquos priorum seculorum Episcopos, si mos iste quem consequentium temporum indulgentia introduxit, peccatis duntaxat publicis pœnitentiam publicam injungendi jam apud illos extitisset, eandem cautionem adhibituros fuisse, neque vniuersè, vt in Canonibus faciunt fornicationem & adulterium quæ plerunque arcana sunt, pœnitentiæ publicæ legibus constricturos, sed ita demum si famosa essent & in publicum erumperent.

Denique vt diligentiorem hac de quæstione disputationem differamus, & id vnum agamus quod ad veritatem, quam tu apud imperitos falsa illa tua pœnitentiæ publicæ & atrocium criminum distinctione obscurare conaris, confirmandam pertinet, Sanctos Patres omnes in ea sententia fuisse contendo, vt post commissa mortifera peccata qualiacunque tandem essent, plurimis diebus, quod tu ferre non potes, pœnitentiam agi oportere existimarent antequam ad Eucharistiam accederetur. Hanc tu pœnitentiam publicam appelles necne, nihil moror, cum id ad controuersiam nostram non faciat, satis habeo, si quod confidentissimè negas, id San-



ctorum Ecclesiæ Doctorum testimonio verissimum esse conuicero. In quo vt perspicuitati simul & breuitati consulam, innumera quæ afferri possunt in hanc rem argumenta, ad sex aut septem capita reuocare visum est.

CAPVT IV.

DE SANCTORVM PATRVM SENTENTIA, ob quæuis peccata mortifera pœnitentiam aliquamdiu agendam ante Communionem.

Primum huiusce rei argumentum mortiferorum, peccatorum à venialibus distinctio.



PRIMVM hoc argumentum reliquis omnibus pro fundamento erit, quippe quo explanabitur, quidnam inter mortalia peccata venialiaque discriminis intercedat. Hac enim distinctione, quam nostrorum temporum hæretici abnegare ausi sunt, vix quicquam est apud antiquos Patres exploratiùs. Nam quæ *venialia* dicimus, tum ipsi hoc eodem nomine appellare solent, tum verò etiam dicunt, *peccata leuiora, minuta, parua, quotidiana, delicta iustorum, peccata innumera, quorum fraudibus nullus immunis est, & quæ meliorum operum compensatione curantur.* Mortalia verò vocant *magna peccata, grauiora, lethalia, mortifera, damnabilia, quæ vno ictu perimunt, quorum vnum damnatio subsequitur, & de quibus ait Paulus, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.*

Plurimis in locis hanc peccatorum differentiam confirmat Augustinus. Ac vel maximè perpendendum est quod ea de re disputat Sermone 29. de verbis Apostoli: *Non autem quia dico, quod non possumus hîc esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cœtera mortifera peccata, quæ vno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei & bonæ spei Christianus: sed illa sola, quæ quotidianæ orationis peniculo tergantur.* Quibus verbis duo intelligimus quæ maximi momenti sunt: Primum, cum Augustinus mortifera peccata ea dicat, *quæ vno ictu perimunt*, nullum esse dubitandi locum, quin iis annumeret ea omnia, quibus diuinæ gratiæ munus deperditur, seu publica, seu occulta sint, seu à Canonibus nominatim expressa, seu prætermissa. Alterum, eum qui mortifera peccata committat, licet rariùs, indignum illo autore qui inter probos Christianos, hoc est, qui ex fidei regulis vitam instituunt, & *propositam* Christianis *spem*, vt ait Apostolus, *firmè retinent*, censeatur.

Verum ea sæpissimè occurrit peccatorum venialium à mortiferis distinctio, quod hæc speciatim *crimina*, illa verò tantum *peccata* nominentur. Non sum nescius quotidiano vernaculoque sermone *criminis* nomine grauiùs aliquid designari quouis peccato mortali. Sed Ecclesiastica loquendi consuetudo, præsertim Latina, quæcumque delicta animam perimunt, Sanctumque Spiritum extingunt ea voce complectitur.

Ad hunc modum intellexit Ecclesia quod præ-

ſcribit Apoſtolus, vt qui eligatur in Epiſcopum *ſine crimine ſit. Non ait*, inquit Auguſtinus, *ſi quis ſine peccato eſt: hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait, Si quis ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cœtera huiuſmodi. Cum cœperit ea non habere homo*, DEBET AVTEM NON HABERE OMNIS CHRISTIANVS HOMO, *incipit caput erigere ad libertatem.* Et libro 14. de Ciuitate Dei cap. 9. *Nunc ſatis benè viuitur, ſi* SINE CRIMINE (an ſi criminis vox peccata quæuis mortifera non comprehendat, ſatis benè viuere cenſendus erit, qui in ea prolabetur, dummodò à criminibus ſe abſtineat?) *ſine peccato autem qui ſe viuere exiſtimat, non id agit vt peccatum non habeat, ſed vt veniam non accipiat.* Et in Enchiridio c. 64. *Omnes peccant, intereſt tamen quantum. Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideò crimen eſt omne peccatum. Itaque Sanctorum omnium vitam, quandiu in hac morte viuitur, inueniri poſſe dicimus ſine crimine: peccatum autem ſi dixerimus quia non habemus, vt ait Sanctus Apoſtolus, noſmetipſos ſeducimus.* Et Sermone 82. de Tempore. *Quamuis ſerui & amici Dei capitalia crimina vitauerint, & multa bona opera fecerint, tamen ſine minutis peccatis eos fuiſſe non credimus.* Et libro De perfectione juſtitiæ c. 9. *Ingredi autem ſine macula, non abſurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit* CARENS CRIMINIBVS DAMNABILIBVS, *atque ipſa peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis.*

Tit. c. 1. v. 7.

Tract. in Ioan. c. 41. Et ad Bonifac. l. 1. c. 14.

Adeone quisnam cœcus animo sit, qui ex hac *criminum damnabilium, peccatorumque venialium*, vt membrorum sibi inuicem oppositorum tam aperta distinctione non intelligat, *criminis* appellatione apud Sanctos Patres peccata quæcumque mortifera, seu palàm, seu clàm admissa, seu expressa Canonibus, seu tacita, necessariò contineri? Quod ex eo clariùs etiam patet, quod eum hominem *sine macula* non absurdè dici ait, *qui criminibus damnabilibus caret*. Cui autem in mentem venire possit inquinatum mortifero delicto animum, quodcumque tandem illud sit, immaculatum posse nuncupari?

Sed majus aliquid audet homilia 41. Certissimam enim salutis æternæ spem facit cuicumque baptizato qui sine crimine vitam duxerit. *Certus sum,* inquit, *quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, quis enim sine peccato? sed vitam* SINE CRIMINE *duxerit, & alia peccata habuerit quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti, Dimitte nobis debita nostra,* &c. *quando diem finierit vitam non finit; sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam.*

D. Hieronymus, aut si quis alius autor est Commentariorum in Psalmos quæ inter eius opera visuntur, non minùs apertè confirmat Ecclesiastico loquendi more *criminis* verbo mortiferas omnes culpas vniuersè subijci. Docet enim non secus ac Augustinus, *Eum esse sine macula, qui sit* SINE MORTALIBVS CRIMINIBVS, *quia etsi,* inquit, *sine minutis esse non possumus,* (hoc est sine venialibus,

In Psal. 118.

quæ à damnabilibus criminibus ſecernit) *tamen in majora incidere non debemus.*

Neque verò aliter hanc vocem poſterioribus ſeculis Eccleſia vſurpauit, vt patet ex S. Eligio, qui ſeculo ſeptimo ſcribens crimina capitalia culpis venialibus opponit, hoc eſſe ſtatuens probi Chriſtiani officium, *capitalia crimina non admittere*, (hoc eſt delicta mortifera) *minuta verò peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, per indulgentiam inimicorum, & eleemoſynam pauperum indeſinenter redimere.*

S.Elig. Tom. 2. Bibl. Patr. hom.6. quod ter etiam repetit in homil. 8.

Vndecimo verò ſeculo Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus de delictis agens quæ à collata in baptiſmo ſanctitatme hoinem deijciunt; *Ea eſſe*, ait, *quæ non ſolum peccata ſunt, ſed etiam crimina, qualia ſunt homicidia, adulteria, fornicationes, ſacrilegia, rapinæ, furta, falſa teſtimonia, ſuperbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas aſſidua.*

Fulbert.Carnot. Serm. 2. ad pop.

Deinceps Petrus Bleſenſis ſexto & decimo Sermone, *peccata criminalia venialibus* contraria facit, criminalibus accenſens ea etiam quæ ſola cogitatione committuntur, vt libidinoſam fœminæ cupiditatem. Ita loquitur etiam Gratianus.

Noſtra verò ætate Concilium Tridentinum vniuerſa peccata, *quorum reos ante tribunal Eccleſiæ ſiſti neceſſe eſt*, cuiuſmodi ſine controuerſia ſunt cuncta mortifera vna *criminis* appellatione comprehendit.

Quos Chriſtus Dominus lauacro baptiſmi ſui corporis membra effecit, ſi ſe poſteà CRIMINE aliquo contaminauerint ante hoc tribunal tãquam reos ſiſti voluit. *Concil.Trid. ſeſſ.* 14 c. 2.

Erit fortaſſe qui doctrinam tam præclarè fundatam Origenis autoritate conuellere nitatur. Ille enim videtur innuere culpas eſſe mortales quæ crimina non ſint quibuſque quoties quis vellet di-

luendis pœnitentiæ locus concederetur. Verba apponam ex Latina versione: Græcum enim exemplar nondum lucem aspexit. *Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse domum quæ in agro est. Hæc ergo venditio, huiuscemodi culpa semper reparari potest; nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi pœnitudinem gerere. In grauioribus enim criminibus semel tantum, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus: Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.*

Origen. hom. 15. in Leuit.

Sed hic locus operosa responsione non indiget. Facilè enim quisque paulò attentior intelliget, objectionis vim ex manifesto librarij errore conflatam, ac legendum, *culpa moralis*, non culpa mortalis. Primùm enim facilis fuit lapsus vnius litterulæ additamento. Deinde mendum planissimè liquet ex intestina horum verborum pugna, *culpa mortalis quæ non in crimine mortali consistat*. Vbi enim fando auditum vllum è Patribus culpam mortalem à crimine mortali discreuisse: plana verò omnia existunt si legas, vt profectò legendum est, *culpa moralis, quæ non in crimine mortali consistat*. Prætereà quid per moralem culpam Origenes intelligat sequentia verba declarant, dum illam esse ait, *quæ vel in sermonibus vel in* MORVM *vitio consistat*. Postremò quî clariùs significare potuit, se per culpas quas mortalibus criminibus opposuit venialia delicta designasse,

Hæc tum Autor ex conjectura; cuius veritatem astruũt antiquissimæ & emẽdatissimæ Origenis Editiones, vt Basileenses duæ: Altera Frobeniana an. 1536. ab Erasmo: Altera Episcopij an. 1571. à Iacobo Grynæo recensita.

designasse, quàm cum eas in extremo ita ipse interpretatur, *Ista communia quæ frequenter incurrimus.* His enim ipsis verbis peccatorum id genus à reliquis Patribus describi solet: quamobrem & *peccata quotidiana* passim vocantur. Denique quis seriò existimet Origenem aut quemquam è Patribus, qui omnes vno ore grauissimis vocibus miserabilem hominis Christiani à baptismi gratia lapsi casum, summamque recuperandæ illius difficultatem persequuntur, de vllis mortalibus peccatis locutum vt *culpis leuibus, communibus, vulgaribus, in quas frequenter incurramus, & quæ sine intermissione rediman tur?* Nihil est quod ab vnanimi Sanctorum Patrum doctrina magis abhorreat. Longè enim ab ea opinione absunt, vt ista facilitate, quam nonnulli hodie prædicant amitti gratiam & recipi putent; familiareque illud & quotidianum Christianorum arbitrentur, vt modò Dei filij, modò Diaboli sint: paulò pòst cum Christo in gratiam redeant, rursum primo quoque tempore flagitiis eum conculcent: viuant, moriantur: reuiuiscant, moriantur iterum: nunc sancti, nunc dæmonum mancipia: jam æternæ felicitatis qua Deo fruantur digni, continuò æterna damnatione multandi, idque perpetuis reciprocationibus, & totius vitæ decursui æqualibus. Itaque locus hic Origenis communem Sanctorum omnium sententiam non modo non labefactat, sed etiam, si rectè legatur & intelligatur, prorsus confirmat, quidq; intersit inter mortiferorum venialiumque peccatorum remissionem planissimum efficit.

Aug. Epist. 108. Cæsar. Arelat. hom. 8.

Hac igitur diſtinctione poſita, totiuſque diſputationis conſtituto in ea fundamento, primum hoc argumentum vnica ſententia concludam, at clara & expreſſa, autoriſque omni exceptione majoris, quem præclara eruditio ad ampliſſimam dignitatem adjuncta ignorare non ſiuit, quid ſua ætate in adminiſtratione Sacramentorum Eccleſia ſequeretur. Is eſt S. Cæſarius Arelatenſis Antiſtes, clarum in primis Eccleſiæ Gallicanæ decus ac lumen, qui ſexto ſeculo floruit.

Hic ergo homilia 8. quæ à nonnullis falsò Auguſtino aſcribitur, vbi Apoſtoli ſententiam de eo *qui ſupra fundamentum quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus* IESVS, *ligna, fœnum, ſtipulam ſuperædificat, quem ſaluum fore ait, ſic tamen quaſi per ignem,* tractat, totus in eo eſt, vt peccata mortifera à venialibus ſeparet, & quæ vtriſque pœna debeatur definiat. Alteris *criminum capitalium*, alteris *minutorum peccatorum* nomen imponit. Illis aſſerit animam occidi; his verò non occidi quidem, ſed admodum deformem effici: ab illis probos Chriſtianos, ab his nullum Sanctorum immunem eſſe: Illis Tartarum, his Purgatorium ignem eſſe indictum. Denique qui poſterioris generis delictis inhærentes pœnitentiæ lachrymis illa non diluerint, eos æternam damnationem manere: Priora verò *tranſitorio illo igne de quo loquitur Apoſtolus purgatum iri.*

Huius orationis ſeries, quâ peccata illa perpetuò inter ſe committit, perſpicuè demonſtrat, eum *criminum capitalium* nomine vniuerſa prorſus mor-

tifera peccata complecti. Accipe nunc quid ei præscribat, qui illis se contaminauerit. Cum enim pleraque eiusmodi criminum genera enumerasset, & in eorum numero computari debere docuisset *sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapinam, superbiam, inuidiam, auaritiam, & si longo tempore teneatur iracundiam, & ebrietatem si assidua sit. Quicumque*, inquit, *aliqua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi dignè (si habuerit spatium) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne de quo dixit Apostolus purgari non poterit, sed æterna illa flamma sine vllo remedio cruciabitur.* *Cæsar. Arelat. homil. 8.*

Quod si tam tremendis verbis nondum planè conuictus es, sequentibus obruare necesse est. Nam postquam docuit minuta peccata, quæ quotidie committimus, *quotidie esse redimenda*, redimi autem *quoties infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto in Ecclesia jeiunio jeiunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentiùs conuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris quoties petierint indulgemus. Vbi*, inquam, *istis operibus & his similibus minuta peccata quotidie redimi monuit*, addit, *Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ; & rugitus, & gemitus, continuata & longè protracta jeiunia, largiores eleemosynæ; etiam plus quam nos ipsi valere possumus erogandæ. Vltrò nos ipsos à Communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes*, &c. Quæ verba in-

terprete non indigent, quo vel à pertinacissimo homine extorqueant vt fateatur, Sanctissimo illo Antistite autore, Ecclesiæ mentem ac sensum eò spectare, vt mortiferorum delictorum conscij plures dies agendæ pœnitentiæ impendant, antequam Corporis Christi Communioni restituantur: quod tamen vnquam in Ecclesia obseruatum tu scilicet inficiari audes.

Locum Gennadij ex libro, De Dogmatibus Ecclesiasticis & S. Augustini ex Sermone 252. possem hîc attexere, sed ne longior sim malim ad ea te remittere, quæ super illis jam in prima parte à me dicta sunt. *Cap. 15. 20. & 21.* Vnum addam in hac mortiferorum peccatorum à venialibus distinctione adeò Patribus vniuersis certum & exploratum fuisse; pro lethiferis quibuscumque ab Eucharistia semouendos esse peccatores, donec pœnitentiam implerint, vt dum significant peccata quæpiam venialia esse, non mortifera, sic ea describere soleant, *quæ talia non sunt, vt à diuinis remoueri compellant altaribus.* *Aug. Ep. 54.* Sic Augustinus cum docere vellet culpas omnes etsi veniales non mortiferas misericordiæ sacrificiis expiandas, *Quicquid,* inquit, *post eam quæ fit in baptismo ablutionem peccatorum in hac vita manendo peccamus,* ETIAMSI NON TALE SIT, QVOD A DIVINIS REMOVERI COMPELLAT ALTARIBVS, *non dolore sterili, sed misericordiæ sacrificijs expiatur.* Et alibi necessariam optimo cuique ob leuia & quotidiana errata pœnitentiam explicans, hac eadem loquendi formula superbiam, quam



lethiferorum peccatorum vacuitas ingenerare posset, comprimit, *Quæ vniuersa*, inquit, *ob hoc dicta sunt, ne quis per baptismum, quamuis justificatus sit à prioribus peccatis, tamen superbire audeat*, SI NIHIL COMMITTAT, VNDE AB ALTARIS COMMVNIONE SEPARETVR. *Homil. 50. cap. 3.*

Caput V.

SECVNDVM ARGVMENTVM, Sanctos Patres excommunicationem, hoc est Eucharistiæ interdictionem mortiferorum cuiusquemodi peccatorum meritam & debitam pœnam statuere.



ALTERVM argumentum ab excommunicatione duci potest, qua omnes vulgò laïcos, quibus mortales culpæ expiandæ essent, plecti consueuisse contendimus. Nouum opinor & insolens hoc tibi videatur, sed in veterum monimentis certissimum, quod adeò clarè me probaturum esse confido, vt qui opinionum præjudicia exuere, & veritati se permittere voluerit repugnaturum arbitrer neminem.

Quo verò id faciliùs intelligatur, diligenter primum obseruandum, ita excommunicationem lethiferis omnibus peccatis propositam pœnam fuisse, quemadmodum infrà docebimus, vt duo illius genera fuerint pro duplici quæ in peccatoribus reperitur animorum affectione, aliis in suorum criminum cœno obstinata mente defixis, aliis ea exhorrescentibus, lachrymarumque & gemituum vi

diuinam implorantibus opem, vt eorum pondere ſubleuentur.

Horum priori genere in deſperatos & inſanabiles peccatores, qui delictum aut errorem ſuum *pertinaci animoſitate defenderent*, vt ait Auguſtinus, Epiſcopus vtebatur, putrida ſcilicet corruptaque membra ab Eccleſiæ corpore amputans, & *paſtorali neceſſitate*, vt idem Auguſtinus loquitur, *ne per plures ſerperent dira contagia ab ouibus ſanis morbidas ſeparans*.

Auguſt. De vera Relig. c. 6.

De Corrept. & grat. c. 15.

Alterum genus Epiſcopus adhibebat, hominem Chriſtianum anteacta ſcelera ex animo auerſantem Communione prohibens, vt laborioſis pœnitentiæ exercitationibus dignum ſe præſtaret, cui ad eam rurſus aditus pateret. Priori prorſus pœna nulla in Eccleſia major, teſte ibidem Auguſtino: poſterior ſecundùm illam eſt maxima: quæ cum mortiferorum omnium peccatorum pœnitentiæ ſemper adjuncta eſſet, eam potiſſimùm ob rem hæc pœnitentia *grauior* atque *luctuoſior* appellabatur, vt frequenter apud Auguſtinum videre licet.

Prior in hominem etiam inuitum diſtringitur. Eſt enim vltimum Eccleſiæ hominis in ſceleribus & flagitiis obdurati contumacia permotæ velut fulmen. Poſterior volentem ferit, dum peccator diuinitùs concuſſus debitamque ſuis flagitiis pœnam agnoſcens, Sacerdotem ſupplex adit, vt eius autoritate ac ſententia à ſacra Dominici Corporis Communione & aſpectu amoueatur, vnde ſe ſuopte judicio prior ipſe depuliſſe debuit, quemadmodum homilia 50. docet Auguſtinus, & poſt

eum Cæſarius loco ante commemorato homil. 8. Et planiùs apertiuſque 13. vbi aſſerit, *ab illo altari quod eſt in cœlo remotum non iri, qui ſe ipſum modo à Communione pro ſuo reatu ſuſpenderit*.

Poſtremò licet duo excommunicationis genera, quibus in peccatores Eccleſia vtitur; tremendæ illius excommunicationis, quam in reprobos Chriſtus ſupremi judicij die pronuntiabit, imagines quædam ſint & formæ (ſicut enim Euchariſtiæ conuiuium cœleſtis conuiuij ac felicitatis præformatio effigieſque eſt: ita ab eo conuiuio depulſio quandam ſpeciem damnationis præ ſe fert) inter eas tamen hoc intereſt, quod altera ita futuri judicij imago ſit, vt etiam autore Tertulliano, *Summum ſit eius præjudicium*: Altera verò damnationem eo ſolo repræſentet, quod eam expungat, & propitiæ Chriſti ſententiæ veluti pignus ac prænuncia ſit, *Vt quì ſeparari*, inquit Auguſtinus homilia illa 50. omnium ſeriò pœnitentium cordibus inſculpenda, *à regno cœlorum timet per vltimam ſententiam ſummi Iudicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicij: vt cum alij accedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet, quam ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.* Huic ergo quaſi damnationi ſponte ſe ſubijciens, eam quam Deus minatur auertet, voce illa Apoſtoli fretus, *Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique judicaremur.*

Tertull. in Apol. c. 39.

Atque hinc factum eſt autore S. Eligio homil. 8.

vt pœnitentes ad ſiniſtram in Eccleſia collocati contextis ex hœdorum pilis veſtibus operirentur, vt ſe peccatis dignos effectos agnoſcerent, qui ad ſiniſtram ſupremi Iudicis, & inter hœdos ac reprobos conſtituerentur, atque ita præclarè ſecum agi ducerent, quod lachrymis & gemitibus tantam calamitatem effugere liceret, *& humiliter ſeipſos ab altari Eccleſiæ pro emendatione vitæ remouerent, vt ab æterno & cæleſti conuiuio non arcerentur.*

Aug. Serm. 252. de Tempore.

D. Auguſtinus duo iſta Excommunicationis genera tum pœnitentiam detrectantibus, tum eam capeſſentibus infligi ſolita ſatis exprimit, dum vnam *mortalem*, alteram *medicinalem* appellat. Ad vtramque tamen ſignificandam his verbis promiſcuè SS. Patres vtuntur, *Excommunicare, à Communione prohibere, à Communione ſuſpendere, ab Altari remouere, ab Eccleſia ſeparare*, ac ſæpenumerò *abſtinere*, non tantùm paſſiua voce, vt eum notent qui ſe ipſe ab Euchariſtia abſtinet, ſed etiam actiua, vt actionem dicat alterum ad illam abſtinentiam adigentis. Vnde *abſtentus* illis idem eſt atque excommunicatus.

Aug. homil. 50. c. 4.

Id videre eſt apud D. Cyprianum (à quo argumenti de excommunicatione quibuſuis peccatis mortiferis inuſta exponendi initium ducemus) dum poſtulationem quartam Orationis Dominicæ in libro quem de ea ſcripſit, ita explanat, *Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus*, INTERCEDENTE ALIQVO GRAVIORE DELICTO,

DELICTO, DVM ABSTENTI ET NON COMMVNICANTES A COELESTI PANE PROHIBEMVR, A CHRISTI CORPORE SEPAREMVR. Quo loco perspicuum est, *excommunicationem* his verbis expressam, *abstenti & non communicantes:* Illis excommunicationis effectum, *à cœlesti pane prohibemur:* eius autem causam prioribus istis, *intercedente aliquo grauiore delicto.* Vnde intelligitur quælibet grauiora delicta, hoc est mortifera, vt superiùs probatum est, excommunicatione & cœlestis panis amotione multari consueuisse.

Qui tam claro lumini oculos claudere in animum induxerit, is saltem sibi persuadeat diuino Augustino perspicaciæ vim & ingenij non defuisse, qua Sancti Martyris, cuius libros tanto studio euoluerat, sententiam perspiceret: ac proinde ab illo huius loci explicationem accipiat, quem integrum cum retulisset in libro De dono perseuerantiæ c. 4. *Hæc verba,* inquit, *sancti hominis Dei perseuerantiam prorsus à Domino Sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne à Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant,* QVA NVLLVM, QVO INDE SEPARARI MEREANTVR CRIMEN ADMITTANT. *Crimen* autem apud SS. Patres, præsertim Augustinum, peccatum quoduis mortiferum significare, abundè, vt opinor suprà demonstratum est. Ac præter jam dicta vnicus qui nunc venit in mentem locus vel pertinacissimo cuique comprimendo satis erit. *Sed planè,* inquit, *qui* Aug. Ep. 89.

misericordia Dei adjutus & gratia se ab ijs peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur: atque illa peccata, sine quibus non hîc viuitur, mundare operibus misericordiæ, & pijs orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato. Equidem dubium esse non potest, quin *peccata, sine quibus hîc non viuitur,* venialia sint. Quæ ergo his opponit, & *crimina* vocat, vniuersa penitùs mortifera esse necesse est.

Verum vt institutam disputationem prosequamur, Concilium Turonense III. anno 813. imperante Carolo Magno habitum, eadem *abstinendi* voce, qua Cyprianus, vtitur, ad sacræ Communionis interdictionem, qua etiam tum lethalia quæcumque peccata Ecclesia vindicabat, exprimendam. Nam Episcopos & Presbyteros, vt probè & ex Ecclesiæ mente munere suo fungantur, admonens, *Episcopis,* inquit, *& Presbyteris diligenti cautela pertractandum, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus* ABSTINENDI *præscribant, vt juxta modum peccati, Pœnitentibus* ABSTINENTIA *indicatur.*

Concil. Turon. III. can. 22.

Ac longo post tempore Fulbertus Episcopus Carnotensis disertè docet, sanctam hanc disciplinam suo seculo, hoc est quingentis circiter ab hinc annis adhuc tenuisse. *Si permansissemus illa in munditia, quæ nobis per baptismum data est, verè felices essemus. Sed non permansimus: cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiam in* CRIMINA, (hoc est peccata mortalia) PROPTER QVÆ PECCATORES AB ECCLESIA SEPARAN-

Fulbert. Carnot. Serm. 2. ad popul.

TVR: *qualia ſunt homicidia, adulteria, fornicationes, ſacrilegia, rapinæ, furta, falſa teſtimonia, ſuperbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas aſſidua.* Nonne hinc conſtat, vndecimum ad vſque ſeculum *propter omnia peccata,* quibus *data per baptiſmum munditia deperditur,* ne *ebrietate* quidem, *iracundia, inuidia, auaritia* exceptis, *peccatores ab Eccleſia ſeparandos fuiſſe,* quibus verbis nulla ſunt ad excommunicationem ſignificandam expreſſiora & luculentiora.

Quin etiam quod eſt apud Iuonem, Furberti in Epiſcopatu ſucceſſorem, perpetuam illius doctrinæ quaſi ſucceſſionem palàm demonſtrat. Moris enim fuiſſe ait, *Vt crimina ſua confitentes aliquandiu à Corporis & Sanguinis Chriſti Communione Eccleſia ſuſpenderet:* hoc eſt, ex ipſius prædeceſſorum & omnium Patrum certiſſimo ſenſu, qui peccata mortifera confiterentur. *Iuo Ep.230.*

Quod ſi quis vocem ipſam *Excommunicationis* petat (quanquam vbi de re conſtat de verbis litigare minimè decet) vnus Auguſtinus plura ſuppeditabit exempla, quam æquiori cuiquam conuincendo neceſſe ſit. Is in libro De fide & operibus peccatorum tria genera facit, quorum alia *grauia* ſcribit eſſe, *vt etiam excommunicatione plectenda ſint, & ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis qui propriè pœnitentes vocantur.* Alia tali pœnitentia docet non indigere, *ſed quibuſdam correptionum medicamentis curari* ex Chriſti præſcripto, *Corripe eum inter te & ipſum ſolum, & ſi te audierit lucratus es fratrem tuum.* Tertia denique ſtatuit, *ſine quibus hæc vita non* *Aug. De fide & operib. c. 16.*

agitur, quorum quotidianam medelam posuerit Christus in oratione quam docuit. Horum generum manifestum est vltima duo ea demùm peccata complecti, quæ sine Ecclesiæ ministerio expiari poterant. Quare cum nullum mortale eiusmodi sit, superest vt ad primum genus mortalia reuocanda sint, ac proinde vniuersa prorsus *excommunicatione plecterentur.*

In eodem libro falsam quorumdam suæ ætatis hominum opinionem commemorans, tria tantum esse mortifera peccata *impudicitiam, homicidium, & idololatriam*, cœtera verò eleemosynis facilè redimi, & in eis hærentem sacro baptismate ablui posse, his verbis vtitur, *Qui opinantur & cœtera* (peccata) *eleemosynis facilè compensari; tria tamen mortifera esse non dubitant* EXCOMMVNICATIONE PVNIENDA, *donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Ex quibus duo necessariò consequuntur. Vnum cum de grauitate peccati agitur, idem prorsus haberi SS. Patribus, *mortiferum*, & *excommunicatione puniendum.* Alterum non contumaces modo, sed & pœnitentes ipsos excommunicatos fuisse, hoc est à Sacra Communione seclusos, quoad pœnitentia perfuncti essent, quemadmodum alibi etiam docet periculis instantibus ad reconciliationem homines currere consueuisse, *si fortè per pœnitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus esset.*

De Ciuitate Dei l.20.c.9.

Neque minùs apertum est, quod ex Epist. 118. jam sæpiùs attulimus. Quid enim ad hæc verba di-


ci poteſt: *Cæterum, ſi peccata tanta non ſunt, vt* EXCOMMVNICANDVS *quiſquam homo judicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Corporis Domini ſeparare.* Niſi enim in eorum peccatorum numero, quæ excommunicationem merentur, vniuerſa prorſus mortifera reponeret Auguſtinus, conſequens foret eum exiſtimaſſe eſſe peccata mortalia quæ impedimento non ſint, quominùs iis contaminati ad ſacram Communionem ſingulis diebus accedant. Quis autem iſtuc in animum inducat, niſi qui commento cuiuis potiùs fidem adhibiturus ſit quàm veritati?

Denique S. Auguſtinus Epiſtola 108. duplex tantum pœnitentiæ genus præter eam quæ ante baptiſmum agitur, agnoſcit. Vnam *bonorum, qua ſibi dimitti volunt quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt:* Alteram *eorum qui poſt baptiſmum ita peccauerint, vt* EXCOMMVNICARI *& poſteà* RECONCILIARI *mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi qui propriè pœnitentes appellantur.* Atque vt eam, cui excommunicatio annexa erat, ab inſtitutione Apoſtolica non ab Eccleſiæ decreto ortam doceat, ſubjungit: *De tali enim pœnitentia loquutus eſt Apoſtolus Paulus vbi ait, Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & luxuria, & fornicatione quam egerunt.*

Equidem quiuis peccator & quoduis peccatum pœnitentia indiget. At ex ſententia Auguſtini duplex tantum eſt pœnitentia poſt baptiſmum, qua-

rum altera justis competit, ad culpas diluendas quibus sanctitas non extinguitur. *Est pœnitentia*, inquit, *bonorum atque humilium penè quotidiana, qua nobis dimitti volumus, illa vtique quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra, subrepunt.* Consequens ergo prorsus est, alteram quibusuis hominibus necessariam esse qui à justitia exciderunt, & quibusuis delictis quibus sanctimonia violatur, quod mortiferorum omnium commune est. Quare cum postremum hoc pœnitentiæ genus eorum tantum sit *qui excommunicationem merentur;* peccata quæcunque mortifera excommunicationem, hoc est ab Eucharistia separationem mereri necesse est. Quinetiam morem hunc & disciplinam per vniuersam Ecclesiam viguisse non obscurè significat, dum de ea se pœnitentia loqui ait, *quam in omnibus Ecclesiis agerent illi qui propriè pœnitentes appellabantur.* Itaque ab Apostolica traditione manasse illam oportebat, juxta regulam ab eodem sanctissimo Patre traditam, & ab omnibus Catholicis oraculi instar acceptam; *Quod vniuersa tenet Ecclesia nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

August. De Bapt. contra Donat. lib. 1. *c.* 24.



CAPVT VI.

TERTIVM ARGVMENTVM. SANCTOS Patres tria tantum pœnitentiæ genera agnouisse. Vnam ante baptismum: geminam post baptismum, quarum altera peccata venialia, altera mortifera expiarentur; atque huic postremæ à sacra Communione separationem semper adjunxisse.



HINC ad tertium argumentum aditus patet, quod ex variis quas agnouit antiquitas pœnitentiæ formis repeti potest.

S. Augustinus pluribus locis, præsertim Epistola illa 108. quam modo protulimus, homilia 27. & homilia 50. accuratè tradit, cum peccata omnia pœnitentia indigeant, triplicem esse pro triplici peccatorum genere pœnitentiam. Vnam, quæ baptismum antecedit, eorum tantum peccatorum quæ ab hominibus nondum regeneratis commissa fuerint. Alteram, justorum pœnitentiam & quotidianam appellat, pro leuioribus culpis quas humana infirmitas quandiu in hoc mundo viuitur omni ex parte effugere non potest. Vltimam, austeriorem, cui Ecclesiasticarum clauium autoritas adhibenda est pro omnibus peccatis quæ æternæ damnationi obnoxios homines efficiunt, de quibus ait Paulus, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Hæc verò diuisio adeò cum ipsis fidei initiis congruit, vt Augustinus homilia 50. eam populo explanare aggrediens his verbis vtatur. *Tres sunt,*

inquit, *actiones pœnitentium quas mecum vestra eruditio recognoscit: sunt enim vsitatæ in Ecclesia & diligenter attendentibus notæ.*

Itaque veteres Scholæ Doctores post Magistrum Sententiarum, recentiores post S. Thomam eandem diuisionem pariter tradidere. Nam S. Thomas vltimo summæ Theologicæ articulo, (cui singularis honor tribuendus, quippe qui nouissimas admirabilis illius ingenij jam è terreno carcere quasi euolantis cogitationes nobis exhibeat) titulum fecit. *Vtrum conuenienter diuidatur pœnitentia, in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam venialium, & pœnitentiam mortalium.* Quam diuisionem postquam Sancti Augustini autoritate stabiliuit, hac deinceps ratione confirmat. *Pertinet ad pœnitentiam, vt detestetur peccata præterita cum proposito vitam immutandi in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis. Et quia mortalia recipiunt speciem secundùm finem, vt in secunda parte habitum est, conueniens est quod diuersæ species pœnitentiæ accipiantur secundùm diuersas immutationes quas pœnitens intendit. Est autem triplex immutatio à pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in nouam vitam, & hæc pertinet ad pœnitentiam quæ est ante baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium post baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis.*

D. Thom 3. parte q. 90. art. vlt.

Ex hac verò pœnitentiæ in tria illa genera partitione,

tione, necessariò & ἀποδεικτικῶς, vt ita loquar, concludi potest ex antiquorum Patrum sensu, post cuiusquemodi peccata mortifera plures dies pœnitentiæ incumbendum fuisse antequam ad Communionem adiretur. Quod planissimè intelligetur, si modò qualem vbique pœnitentiam peccatorum mortiferorum propriam, atque à peccatorum venialium pœnitentia sejunctam describat Augustinus, & quibus eam conditionibus instruat, paulò attentiùs consideremus.

Iam quidem animaduertimus eum in libro de fide & operibus, ac planiùs etiam in Epistola 108. *Excommunicationem & à Christi corpore separationem* illi pœnitentiæ adjunxisse. Quod superuacaneum foret rursum hoc loco ingerere.

In Homilia verò 27. post constitutam pœnitentiæ in tres illas partes diuisionem, prioresque duas expositas, vnam eorum qui se ad baptismum comparabant, qui *Competentes appellabantur*; Alteram quotidianam pro quotidianis justorum debitis; Tertiam quæ ad delicta mortifera pertinet, his verbis explanat: *Restat ergo*, inquit, *pœnitentiæ tertium genus, vnde aliquid breuiter dicam, vt adjuuante Domino proposita & promissa persoluam. Est pœnitentia grauior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes*, REMOTI ETIAM A SACRAMENTO ALTARIS PARTICIPANDI, NE ACCIPIENDO INDIGNE IVDICIVM SIBI MANDVCENT ET BIBANT. Si quis lucis quippiam huic orationi afferre velit, Solem ipsum illustrandum suscipiat.

Aug. homil. 27. c. 3.

Eandem doctrinam tradit ac diffusiùs exponit præstantissimus Ecclesiæ Magister homil. 50. quam jure diuinam dixeris. Vbi enim eandem pœnitentiæ diuisionem proposuit, primamque illius explicauit speciem, *Quæ nouum*, inquit, *hominem parturit donec per baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum, vt tanquam puero nato dolores transeant, quibus viscera vrgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur*; Alteram aggreditur quam baptizati omnes, ne sanctissimis quidem exceptis, quandiu in hoc mortali corpore vitam ducunt, agere debent, vt continenter *tota humilitate supplicantes diuino adjutorio se exaudibiles præbeant*. Huius vi & vtilitatis magnitudine demonstrata, & si solis venialibus delictis, *Quæ*, vt ait, *singula non lethali vulnere ferire sentiuntur*, eluendis inseruiat, ad eam quæ pro mortiferis peccatis omnibus agenda est, explicandam ita progreditur.

Aug. homil. 50. c. 2.

Aug. ibid. c. 3.

Tertia est, inquit, *actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*. Potuitne expressiùs omnia prorsus lethifera peccata commemorare? Qua de re post eorum enumerationem quam inferiùs ex Epistola ad Ephesios & ad Galatas refert ne dubitari quidem potest. *In hac ergo pœnitentia majorem quisque in se seueritatem debet exercere, vt à seipso judicatus non judicetur à Deo, sicut idem Apostolus ait, Si enim nos judicaremus à Domino non iudicaremur. Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod*

oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei posteà fiat: nam minatur hoc Deus peccatori: Arguam te & statuam ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. POSTREMO AB IPSA MENTE TALIS SENTENTIA PROFERATVR, VT SE INDIGNVM HOMO IVDICET PARTICIPATIONE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI: VT QVI SEPARARI A REGNO COELORVM TIMET PER VLTIMAM SENTENTIAM SVMMI IVDICIS, PER ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM A SACRAMENTO COELESTIS PANIS INTERIM SEPARETVR. *Versetur ante oculos imago futuri iudicij: vt cum alij accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda multi etiam scelerati possunt accedere; quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, vt in futuro exerat seueritatem suam: Ad illud autem altare quo præcursor pro nobis introiuit* IESVS, *quo caput Ecclesiæ præcessit membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, vt iam commemoraui, dixit Apostolus, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistet,*

adiuncto scilicet corpore cui caput est, quod iam ascendit in cœlum. Ipse est cui dixit Apostolus Petrus, Plebs sancta, regale Sacerdotium. QVOMODO ERGO IN INTERIORA VELI ET IN ILLA INVISIBILIA SANCTA SANCTORVM INTROIRE AVDEBIT AVT POTERIT, QVI MEDICINAM COELESTIS DISCIPLINÆ CONTEMNENS NOLVIT PAVLISPER A VISIBILIBVS SEPARARI. *Qui enim noluit humiliari vt exaltaretur, cum exaltari voluerit deijcietur; & in æternum sejungetur ab æternis Sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & per satisfactionem pœnitentiæ non sibi prouidit locum in corpore Sacerdotis.*

Aug. Enchir. cap. 74. *Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur non dormit, sed mortuus est*, vt eiusdem sanctissimi viri alia de re vocem vsurpem. Ego verò his vltimis verbis quicquam addere non ausim, satisque habebo ad tertij huius argumenti coronidem, vnam è certissimis Doctrinæ Catholicæ notis, quam aduersus hæreticos Catholici omnes vsurpant, adscribere. Eam eruditissimus Cardinalis Perronius in egregia illa ad Casaubonum Epistola, quæ omnium illius operum celeberrimo causam dedit, ita declarat: *Cum Patres loquuntur non vt Doctores, sed vt testes Communis suis temporibus in Ecclesia consuetudinis, neque aiunt; Censeo ita credendum, aut intelligendum, aut obseruandum: sed, Ecclesia per vniuersum orbem ita credit, aut ita obseruat; tum id quod tradunt, non vt ab ipsis, sed vt ab vniuersa Ecclesia traditum amplectimur, præsertim ijs de rebus quas ignorare non potuerunt, siue ob earum*

naturam & conditionem, vt cum facti quæstio vertitur (talis est de qua disputamus) *siue ob illorum grauitatem & doctrinæ præstantiam* (nemo hanc, vt opinor, D. Augustino laudem inuiderit) *nec jam ex eorum verbis probabilia argumenta ducimus, quemadmodum cum loquuntur vt priuati doctores, sed planè necessaria & quæ demonstrationis vim obtineant.*

Capvt VII.

QVARTVM ARGVMENTVM. SANCTOS Patres Clauium Ecclesiasticarum ministerium ad eorum tantummodo peccatorum remissionem necessarium existimasse, quæ Communionis interdictione plecterentur. Ex quo alterutrum necessario sequitur, aut eos remittendis peccatis omnibus mortiferis claues à Christo datas necessarias non putasse, quod sine hæresi dici non potest, aut ipsos ob vniuersa peccata mortifera Communione interdixisse quod verissimum est.



QVARTVM argumentum ex Ecclesiasticarum Clauium ad lethalium omnium peccatorum remissionem necessitate repeti potest. Ea enim semper fuit Ecclesiæ mens, quantumcumque peccator *se indignum iudicet participatione Corporis & Sanguinis Domini*, hoc judicium nihil illi profuturum, neque docilem & ad omnia paratum animum eius demonstraturum, nisi mox Sacerdotem conueniat, illi se totum dedat, ex illius autoritate pendeat, nec nisi ex illius sententia quicquam agendum putet; hoc enim maximè pœnitentiæ exercitationi vim ac pondus affert & fructuosam *Aug. homil. 50.*

illam efficit; quippe quæ Sacramenti esse pars nisi à Sacerdote præscripta, non potest. Aliter quantacumque fuerit, virtutis pœnitentiæ officium est, eiusque qui in hoc judicio rei personam gerit, actio, non actus judicialis Sacerdotis, qui judicis partes sustinet. Quamobrem S. Gregorius cum peccatores admonuisset vt diuinæ placationis *fructum compunctionis fletu quærerent, atque etiam carnem quæ delectationi subiacuit affligerent*, mox subijcit, *Afflictionem illam pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idoneam esse cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

Greg. l. 3. c. 5. in 1. Reg. c. 7.

Ad eundem sensum Anselmus Pœnitentiam sententiam vocat, quod de ea intelligendum, quæ à Sacerdote imponitur legitimo veroque judicio quod auditis per Confessionem peccatis pronuntiat. Ex quo etiam fluxit celebre illud Augustini effatum: *Nemo*, inquit, *sibi dicat occultè pœnitentiam ago; Apud Deum ago; Nouit Deus qui mihi ignoscit quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta eorum in cælo. Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei. Frustramus Euangelium Dei; frustramus verba Christi.*

In Elucid.

Aug. homil. 49. c. 3.

Atqui si de Patrum sententia ex eorum monimentis judicandum est, vt certè fieri debet, nusquam eos animaduertimus Ecclesiæ ministerium necessarium habuisse, nisi ad grauiorem illam pœnitentiam quam qui obibant, Eucharistia prohibebantur. Vnde Augustinus de remediis peccato-

rum quæ huic pœnitentiæ obnoxios homines non reddunt, passim verba faciens, nusquam nisi preces, eleemosynas, jeiunia, aliaque misericordiæ opera commendat, tacita prorsus Sacerdotis adeundi necessitate, quam non omittit cum de pœnitentibus loquitur à Communione semotis.

In homilia 50. posteaquam peccatoris officium esse dixit, *vt se indignum iudicet participatione Corporis & Sanguinis Domini.* Hanc ei legem præscribit; *Et cum ipse*, inquit, *in se protulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito à præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum.* Et homilia 27. pœnitentiæ tertium genus, quod eorum esse declarat, *qui remoti sunt à Sacramento altaris participandi*, ne accipiendo indignè iudicium sibi manducent & bibant, explicare aggressus; statim ministrorum Ecclesiæ, datæque illis à Christo potestatis, vt quodcunque soluerint in terris solutum sit & in cœlis, mentionem facit. In alio verò Sermone de peccatis iis disputans, quæ alibi separationis ab altari remedio sananda testatur: *Sunt quædam*, inquit, *grauia & mortifera quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur: hæc dimittuntur per claues Ecclesiæ.* Ad hæc in Epistolis 108. & 118. *reconciliationem excommunicationi* ex aduerso ponit, videlicet indicans Ecclesiam eos duntaxat reconciliare solitam fuisse quos

Aug. Serm. 34. de diuers.

ante excommunicasset, hoc est à Sacramentorum Communione remouisset.

Hoc ipsum in reliquis Patribus videre licet, quibus vnum idemque est *reconciliari & Communioni restitui*. Vnde & *reconciliare altari* pro *absoluere & remittere peccata* passim vsurpant; ea nimirum ratione ducti, quod perfectam peccatoris in integrum restitutionem, perfectamque cum Deo reconciliationem tum demum expleri statuerent, cum ad Eucharistiam, à qua per peccata exciderat quousque pœnitentia perfunctus esset, denuò admitteretur.

Docemur etiam à venerabili Beda qui octauo seculo floruit, ea tantum peccata quæ aliquanto tempore pœnitentiæ lachrymis eluenda erant Sacerdotis adeundi necessitatem attulisse. Hæc enim Iacobi Apostoli verba explanans. *Confitemini alterutrum peccata vestra: In hac*, inquit, *sententia illa debet esse discretio, vt quotidiana leuiaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione saluari: porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter & quanto tempore iusserit purificari curemus.*

Cum igitur existimare sit nefas Ecclesiam cum maximè sanctitatis laude effloruit sponsi sui grauissimam legem, qua fideles omnes qui se mortiferis peccatis inquinarint ad ministrorum suorum tribunal reos sisti voluit, tanto tempore infregisse; consequens profecto est vt cum tot seculis Sacerdotes non in alios, saltem vulgò, quam quos à

Communione

Communione prohibuerant autoritate sibi à Christo data vsos esse videamus; eos omnes à Communione prohibuerint qui mortiferum aliquod facinus admisissent.

CAPVT VIII.

QVINTVM ARGVMENTVM. EX SS. Patrum norma hanc agendæ mortiferorum omnium peccatorum pœnitentiæ seriem atque ordinem esse. Primùm Confessionem, ac petitionem pœnitentiæ. Deinde pœnitentiæ impositionem. Tum impositæ pœnitentiæ iusto temporis spatio peractionem. Postremò Absolutionem, quam Communio mox consequebatur.



AM ipse ordo ac series legitimæ apud SS. Patres pœnitentiæ nouum nobis probandi genus suppeditat, & hoc postremum firmiùs facit. Certè enim constat Ecclesiam per duodecim secula hunc morem tenuisse, vt posteaquam peccatores omnia animarum suarum vulnera Christi ministris aperuissent, idonea illis curandis remedia ex eorum præscriptò acciperent. Hoc verò à S. Augustino dicitur, *satisfactionis suæ modum accipere*. Ab eodem & post eum à S. Leone Magno, *actionem pœnitentiæ dare*. A Concilio Carthaginensi tertio, *secundùm peccatorum differentiam Pœnitentiæ tempora decernere*. A Concilio Turonensi tertio, *tempus abstinendi præscribere*. Atque ante hos omnes à Clero Romano *per necessaria temporis remedia obducere cicatricem*.

Aug. homil. 50.
Ep. 91.
Can. 31.
Can. 22.
In Epist. ad Cypr.

Deinceps pœnitentium partes erant, præscri-

ptum Satisfactionis modum accuratè implere, omnesque pœnitentiæ acerbitates constanter subire, certum ac fixum animis habentes quod ab vniuersis Patribus vno ore asseritur, quò quisque in seipsum seuerior, atque immitior fuerit, eò mitiorem ac placabiliorem Deum experturum. *Qui enim benè agit pœnitentiam*, inquit Augustinus, *suus ipse punitor est. Sit oportet in se seuerus, vt in eum sit misericors Deus.* Et S. Pacianus ad pœnitentes, *In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum Deus vobis parcet.*

Serm. 34. de diuersis.

In Paræn. ad pœnit.

Cæterum lachrymarum, vigiliarum, jeiuniorum, & omnis generis ærumnarum ac submissionum tempore jam exacto, pœnitenti per impositionem manuum absolutio, & continuò sacra Eucharistia, vt veræ cum Deo reconciliationis pignus & complementum impertiebatur. Pœnitentiæ igitur decursus hic fuit. Primùm Confessio peccatorum, pœnitentiæque postulatio. Deinde impositio pœnitentiæ: Posteà impositæ pœnitentiæ expletio: Ad extremum absolutio, adjunctaque illi Communio. Ad huius verò ordinis demonstrationem, quem tot sæculis tam eximium ac salutiferum censuit Ecclesia, nunc quidem tres tantum proferam Pontifices maximos, quos facilè dicere liceat, nemini eorum qui in B. Petri Sedem successerint, vel virtutis vel eruditionis laude concedere; Innocentium I. Leonem I. & Gregorium Magnum.

Homil. 26. in Euangel.

Horum postremus in ea verba Euangelij, *Quorum remiseritis peccata remittentur ijs: Videndum est*, inquit, *quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta*

post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis cum æterni arbitrium sequitur judicis. Quis non videat quam necessarium beatissimus hic Pontifex prædicet, peccatorem, non solum ante sacram Communionem, sed & ante absolutionem pœnitentiâ defungi? Quod quidem cum Innocentij I. Leonisque Magni verbis ita congruit, vt vel hac congruentia & consensu facilè pateat, istam Gregorij doctrinam, non tam illius, quam Sedis illius esse doctrinam, atque ad ipsum à majoribus vnà cum suprema & Apostolica dignitate fluxisse.

Innocentius enim I. in Epistola 1. decretali, quæ in Canonum corpus inserta est, ita loquitur, *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem.* Annon his verbis perspicuum est, Sacro-sanctorum institutorum ac præceptorum, quæ celeberrimus Pontifex à perpetua vniuersæ Ecclesiæ Traditione accepta, eidem Ecclesiæ tradidit, hanc esse vim ac sententiam, vt Sacerdotes, in administranda, quam à Christo mandatam habent diuinissima ligandi & soluendi potestate peccatores tum demùm absoluant, cum eos lachrymis ac gemitibus probatos, ad pœnitentiam criminibus parem præstandam exhibendamque perduxerint.

Multò etiam apertiùs hoc ipsum demonstrat

S. Leo, & qua tandem ratione Sacerdotes peccatorum dimittendorum poteſtate à Chriſto accepta, ex ipſius mente ac legibus vti debeant, planiſſimum facit. Hæc enim habet Epiſt. 91. ad Theodorum Epiſcopum. *Multiplex miſericordia Dei, ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus* Iesvs *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri Satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Hæc nimirum eſt Romani Pontificis oratio, & eius Pontificis, cuius voces in Concilio Chalcedonenſi vniuerſa Eccleſia Oraculorum vice coluit, cuius ſummis virtutibus ac ſingulari eruditioni magni nomen eſt inditum.

Loquitur verò generatim de remedio ad ſpem æternæ vitæ reparandam poſt regenerationis donum amiſſum neceſſario; ne fortè hîc familiarem illam tuam de publicis ob enormia crimina pœnitentiis cauillationem obtrudendam putes. Non loquitur de conſuetudine quam politia, aut inſtitutio Eccleſiæ induxerit, ſed de ipſa Chriſti lege ac præſcriptione, vt Catholici omnes agnoſcunt, dum hoc ipſo teſtimonio aduerſus noſtri temporis

Cardin. Perron. in Reſp. ad Reg. Britan. lib. 2. c. 3.

hæreticos peccatorum omnium mortalium Confessionem diuinitùs sancitam probant.

Hanc tamen doctrinam quî tandem cum placitis tuis componere possis, non equidem intelligo. Iubes enim lethalium criminum conscios, mox vt confessi fuerint, Communionem inuadere: prorsus autem damnas, qui plurimis diebus antè pœnitentiam agere velint quàm Eucharistiam vsurpent, nouæque *temeritatis* ab Ecclesiæ vsu ac mente alienæ reos pronuntias. At magnus ille Pontifex Christi mentem esse docet, vt peccatores ad Communionem Sacramentorum admittantur: Primùm peccata confessi: Deinde pœnitentia accepta: Tum pœnitentia illa perfuncti, & pro delictorum grauitate idonea satisfactione purgati: Postremò Sacerdotis absolutione reconciliati: atque ita demùm ad cœlestem mensam aspirent; in qua Eucharistiam velut reconciliationis signaculum, peccatorumque remissionis complementum percipiant.

Itaque ex mente Summi illius Pontificis, primùm peccata Ecclesiæ Ministris confiteri oportet, quia *cum Sacerdotes à Christo constituti sint judices, incognita causa judicium exercere, atque in pœnis injungendis æquitatem seruare non possunt*, vt rectè à Synodo Tridentina declaratum est. Dehinc pœnitentem pro peccatorum retinendorum potestate sibi Christi ore commissa pœnitentiæ vinculis ligare debent, antequàm eum reconciliando exoluant, juxta præclaram Ambrosij sententiam, qua monet *Dominum ligandi soluendique potestatem pari conditione*

Sess. 14. cap. 5.

Lib. 1. de pœnit. c. 2.

permisisse, itaut alterum sine altero vsurpari non debeat, & Ecclesia in vtroque seruet obedientiam, dum peccatum & alligat & relaxat. Vnde etiam Pacianus eundem in pœnitentia agenda ordinem notans, *Siue*, inquit, *ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id autore tractamus.*

Epist. 3.

Tum satisfactionis à Sacerdote impositæ operibus peccata expianda sunt, priusquam ad reconciliationem, & Sacramentorum vsum adeatur, *Cum*, vt ait Tertullianus, *pendente venia pœna prospicitur; cum adhuc liberari non meremur, vt possimus mereri; cum Deus comminatur, non cum ignoscit, ... quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi & timoris.*

De Pœnit. c. 6.

Postremò ex tanti Pontificis sententia peccatores *salutari pœnitentiæ satisfactione mundati, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis* adducendi sunt: ac proinde (quod incredibili inscitia negare ausus es) tum demum sacra Communione dignandi, cum pluribus diebus, ne dicam mensibus, imò plerumque annis agendæ pœnitentiæ incubuerint.

Atque hæc omnia Leonem Magnum ex communi totius Ecclesiæ sensu deprompsisse argumento est, quod Theodoretus Cyri Episcopus eius æqualis, hæreticorum Audianorum erroribus annumerat, eos crimina quidem confiteri peccatores jussisse, sed constitutis ab Ecclesia pœnitentiæ temporibus omissis confessos statim absoluisse, plenam sibi ac summam quandam condonandorum peccatorum licentiam arrogantes. *Jubent*, inquit, *vnum-*

δίδοι δ' ἄφεσιν ἁμαρτη-

quemque peccata sua confiteri; deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.

Hæc nempe est via, qua Christus juxta mentem Sanctorum Patrum homines à baptismo lapsos resurgere voluit, porcorumque sordibus pastos ad cœleste conuiuium sese recipere, & Corporis ac Sanguinis sui pabulum promereri. Quippe B. Leonis verbis planissimè liquet, Sanctos illos pœnitentium labores non tantum ad Sacerdotis absolutionem viam atque aditum parasse, sed ad sacram potissimùm Communionem, velut ad peccatorum remissionis consummationem & cumulum, quemadmodum docet Ambrosius de pœnitentium restitutione sic scribens, *Sicut semel pro omnibus immolatus est* (CHRISTVS) *ita quotiescumque peccata donantur Corporis eius Sacramentum sumimus, vt per Sanguinem eius fiat peccatorum remissio.* Quamobrem Nouatianos meritò arguit pœnitentiam funditus tollere, quamlibet ad eam homines verbo hortarentur, quod videlicet dum Eucharistiæ recuperandæ spem pœnitentibus præcidebant, pœnitentiæ fructum interimerent: *Frustrà*, inquit, *dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Nonne aduertitis id euidenter jam à nobis expositum, quod merendi gratia Sacramenti, hoc est sacræ Eucharistiæ, ad precandum impellimur, & hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia. Tolle gubernatori perueniendi spem, & in medijs fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus iacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam,*

ματων ποιεῖσθαι νεανιεύονται... ἕκαστον κελεύουσι τὰ πλημμεληθέντα ὁμολογεῖν· εἶτα τοῖς ὡμολογηκόσι δωροῦνται τὴν ἄφεσιν· οὐ χρόνον ὁρισάμενοι εἰς μετάνοιαν, καθ' ἃ κελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοὶ, ἀλλ' ἐξουσίᾳ ποιούμενοι τὴν συγχώρησιν. *Theod. hæret. Fabul. l. 4. c. 10.*

Lib. 2. de pœnit. c. 2.

Lib. 1. de penit. c. 16.
Lib. 2. c. 3.

deſinit iactare retia. Quomodo ergo poteſt qui famem patitur animæ ſuæ ſtudioſus Deum precari, ſi ſacram deſperet alimoniam?

Nonne eadem ratione dicere nunc liceat ad hunc modum: Fruſtrà Pœnitentia prædicatur, dum eius antè fructus conceditur, quam ad eam agendam ſeriò acceſſeris. Poſtquam in portum inuectus eſt nauta, tempeſtatis non meminit. Defer coronam ſtadium ingredienti Athletæ, certandi ſtudium abijciet. Piſcator vbi piſcium vim quam ſperabat captauerit, retia iactare deſinet. Quid igitur abeſſe poterit, quin is quem tu inconſiderata iſta facilitate ad Sacramentorum vſum compellis potiùs, quàm admittis, contentionem, curamque omnem à ſe amoueat id labore ſuo aſſequendi, quod jam nullo negotio conſecutus fuerit?

Præterea priſcam illam pœnitentiæ diſciplinam ad præparandam muniendamque Euchariſtiæ viam maximè ſpectaſſe inde etiam intelligitur, quod Canones quibus pœnitentium gradus deſcribuntur, eos Euchariſtiæ, veluti pœnitentiæ ſcopi & complementi perceptione vniuerſi concludunt, *Placuit eos*, inquit Concilium Ancyranum, *inter audientes vno anno conſtitui, tribus autem alijs annis agere pœnitentiam, tertio autem anno reconciliari Sacramentis.* Et in alio Canone, *Biennio maneant in pœnitentia, tertio verò anno communicent, ſed ſine oblatione. In quarto verò anno perfectionem ſuam recipiant*; id eſt Euchariſtiam. Gregorius etiam Nyſſenus in Epiſtola Canonica, *Reſtituantur Eccleſiæ, & ad boni participationem*

participationem admittantur. Gregorius item Thaumaturgus, cuius primùm in libris quatuor pœnitentium gradus diſtincti deſcriptique extant, videlicet gementium, qui κλαῦσις, audientium; qui ἀκρόασις, proſtratorum; qui ὑπόπτωσις, orationibus communicantium; qui σύστασις dictus eſt, Sacramentorum eos participatione terminat ac definit, quam μέτεξιν τῶν ἁγιασμάτων vocat. Idem videre eſt apud Baſilium, Gregorium Nyſſenum, & alios Græcos Patres.

Quinetiam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis illuſtre exemplum antiquæ huius diſciplinæ proditum eſt, quo egregiè comprobatur SS. Patrum ſolenne illud, Euchariſtiam remiſſionis peccatorum ſignaculum eſſe ac velut coronidem. Euſebius enim S. Dionyſij Alexandrini Epiſtolam profert, in qua ſcriptum eſt, Serapionem quendam, qui piè ſemper ſanctéque vixiſſet, perſecutionis tempore humanæ infirmitatis vitio lapſum, eamque ob rem fidelium Communione dejectum, reliquam vitam in pœnitentiæ ſtudio ac labore conſumpſiſſe. Cumque ad extremum penè ſpiritum aliquando veniſſet, vocis vſum, quem triduo amiſerat, repentino miraculo ei redditum, vt per nepotem admodum puerum Sacerdotem accerſi juberet, à quo reconciliaretur, & ſacra ei Euchariſtia miniſtraretur quod vbi juſſiſſet, rurſus eum vocem defeciſſe. Sacerdotem verò, quòd morbo impeditus accedere ipſe non poſſet, puero Euchariſtiæ particulam tradidiſſe, qua ad Serapionem de-

Eccleſ. Hiſtor. lib. 6. c. 36.

lata secundo miraculo vocem eum recepisse, diuinitusque certiorem factum, Sacerdotem Eucharistiam, quam deferre non potuisset, ad ipsum misisse, eaque accepta continuò vitâ defunctum. Qua de re S. Dionysius scribit in hæc verba, *An non igitur satis constat, eum fuisse reseruatum, & vsque eò in vita mansisse, quoad esset penitùs culpæ vinculis solutus, & ita labe, qua erat idolis immolando aspersus, omninò deleta, posset pro multis bonis quæ gessisset in vita in numerum Confessorum referri.*

Ex quo manifestè intelligitur SS. Patres ita certum habuisse remissionem peccatorum Eucharistia perfici & consummari, vt instante necessitate per eam etiam solam peccatores reconciliari, animæque maculas elui existimarent, quamuis id vsitatè nisi adjuncta Sacerdotis absolutione fieri non posset.

Prorsus igitur vniuersæ Antiquitatis testimoniis constat, Eucharistiæ Communionem pœnitentium reconciliationis velut apicem fuisse ac fastigium: adeoque cum nemini ad reconciliationem aditus fuerit, nisi post lethalia omnia crimina, quibus se à baptismo inquinasset, diuturnæ laboriosæque pœnitentiæ feruore decocta, quemadmodum ipsa quæ tum viguit Sacramenti huius administratione demonstratum est, manifestè sequitur, agendam peccatoribus fuisse pluribus diebus pœnitentiam, antequam ad Communionem admitterentur.

CAPVT IX.

SEXTVM ARGVMENTVM. VIOLATIONEM Baptiſmi, quæ peccatorum omnium mortalium communis eſt, cauſam fuiſſe SS. Patribus ad longam & laborioſam pœnitentiam peccatores adigendi.



QVAM SS. Patres cauſam habuere vt peccatoribus longo tempore ingemiſcendi, illachrymandi, precibus, eleemoſynis, jeiuniis, diuinam miſericordiam inflectendi, antequam ad Sancta Sanctorum accedere fas eſſet, neceſſitatem imponerent, ea ſextum nobis ſuppeditabit argumentum. Si enim cauſam illam eiuſmodi eſſe conſtiterit, vt ad omnia prorſus lethifera peccata pertineat, cui dubium eſſe tandem poterit, quin ex illorum mente & doctrina ob quæcumque eius generis delicta plures dies pœnitentiæ vacandum ſit antequam Communio adeatur.

Quis verò eſt in præſtantium illorum Eccleſiæ Doctorum monimentis vel mediocriter verſatus qui compertum non habeat, grauioris illius & auſterioris pœnitentiæ cauſam ab eis ſemper afferri violati Baptiſmatis noxam, quæ lethifero quouis peccato ſine vlla dubitatione contrahitur.

D. quidem Auguſtinus rationem reddens cur de eorum potiùs ſalute qui morte inſtante baptizantur, quam de illorum qui extremo tantum illo tempore pœnitentiam petunt benè ſperare debeamus: *Qui nondum*, inquit, *accepit baptiſmum, non-* *Aug homil. 41.*

dum violauit Sacramentum: qui autem violauit Sacramentum male & perditè viuendo, ET IDEO REMOTVS EST AB ALTARI, *ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur cum viuit, dum sanus est*: Et infrà, *Ergo qui veraciter egerit pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat obstrictus, &* A CHRISTI CORPORE SEPARATVS *quandocumque defunctus fuerit ad Deum vadit.*

An non hæc verba luce clariùs ostendunt peccata omnia quibus baptismi sanctitas violaretur, (id est, nullo dissentiente, omnia prorsus peccata mortifera) peccatori necessitatem attulisse, vt *remotus ab altari & à Communione separatus* aliquamdiu pœnitentiam ageret.

Et verò alij Patres omnes cum de imposita peccatoribus laboriosioris longiorisque pœnitentiæ necessitate quo Christi misericordiam flectant, & ad optatissimam illam à qua peccando exciderunt sacri ipsius corporis fruendi felicitatem aspirare possint, grauiùs acriusque disputant, vnum istud potissimùm vrgent violati Baptismi piaculum quod Augustinus commemorat; illam peccatorum gratiam eo Sacramento collatam extinguentium grauitatem; illam denique *diuinæ iustitiæ rationem quæ exigit*, (quemadmodum sacra Synodus Tridentina præclarè docet,) *vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerunt: aliter verò qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono scienter*

Concil. Trident. sess. 14. cap. 8.

templum Dei violare & Spiritum Sanctum contristare non formidauerint.

Quamobrem ab eadem Synodo, Patrum omnium vestigiis inhærente hoc inter Baptismi & pœnitentiæ Sacramentum discrimen statuitur, quod ad eam nouitatem & integritatem quam baptismus affert *per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus id diuina exigente justitia nequaquam peruenire possumus, vt merito Pœnitentia* LABORIOSVS QVIDAM BAPTISMVS *à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Ibid. cap. 2.

Quod intelligens Cardinalis Bellarminus hanc ipsam Concilij doctrinam aduersus nostri temporis hæreticos Patrum omnium autoritate confirmat, *Qui semper*, inquit, *peccantibus post baptismum grauissimos labores imposuerunt antequam eos reconciliarent:* Atque hinc Nouatorum errorem coarguit, qui falso sibi persuaserunt eâdem facilitate commissa post baptismum peccata condonari, quâ ante baptismum, secundamque reconciliationem nihilo operosiorem aut laboriosiorem esse debere quam primam; quo certissima diuinæ traditionis & Sacrarum Scripturarum oracula funditus euertunt. Bellarminus de Baptism. c. 18.

Per Domini gratiam (inquit Ioannes Damascenus) *lachrymarum fons baptismus appellatur,* TAMETSI LABORE AC TEMPORE OPVS HABEAT. Ioan. Damasc. vel si quis alius aut. Hist. Barlaami & Iosaphat. Idem habet Damasc. l. 4. de fide c. 10.

[a] *Quot afferemus lachrymas* (inquit Psellus) *vt fonti baptismi exæquentur? Etenim nisi tantæ fuerint lachrymæ, vt per eas nostræ iniquitates obruantur, non inue-* a Psellus in disput. An detur plena

remissio Monachalem habitum suscipienti, quod à S. Gregor. Nazianz. mutuatus est.

nientur eis superiores. Et infrà: *Diuinum quidem lauacrum sicut superiùs est dictum etiam siue lachrymis largitur remissionem peccatorum. Quamobrem quod talis lauacro adest potestas, & quod facilè condonari possunt quæ ante baptismum peccata sunt, vt quæ sint admissa propter ignorantiam ostensum est: quæ autem post baptismum multis lachrymis indigent, & non facilè condonantur, quoniam prudentes scientesque peccamus.*

Ἰάσιμα τοιγαροῦν καὶ τὰ μετὰ τὸ βάπτισμα γενόμενα τραύματα. ἰάσιμα δὲ, οὐχ ὡς πάλαι διὰ πίστεως μόνης τῆς ἀφέσεως διδομένης, ἀλλὰ διὰ δακρύων πολλῶν, διά τε ὀδυρμῶν, καὶ κλαυθμῶν, καὶ νηστείας, καὶ προσευχῆς, καὶ πόνου τῇ ποσότητι τῆς γεγονυίας ἁμαρτίας συμμετρουμένου. οὔτε γὰρ ἀπαγορεύειν ἐδιδάχθημεν τοὺς μὲν οὕτω διακειμένους, οὔτε προχείρως μεταδιδόναι τῶν θείων. μὴ βάλλετε γάρ φησι τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, μὴ ῥίψητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων.

Atque vtroque prior Theodoretus Cyri Episcopus de omnium qui à baptismi sanctimonia lapsi sunt reconciliatione sic scribit. *Medicabilia sunt etiam quæ post baptismum fiunt vulnera. Medicabilia autem non vt olim per solam fidem data remissione*, SED PER MVLTAS LACHRYMAS, ET FLETVS, ET LVCTVS, ET IEIVNIA, ET LABOREM COMMISSI PECCATI MAGNITVDINI RESPONDENTEM. *A Christo enim edocti sumus eos qui sic affecti sunt nec desperare debere, nec illis facilè sacra impertiri. Nolite inquit sanctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos.* HAS ECCLESIA DE POENITENTIA LEGES HABET.

I nunc, quære qui tibi fidem habeat asserenti nunquam Ecclesiæ morem fuisse, vt qui mortalibus culpis baptismi sanctitatem inquinassent plures dies pœnitentiam agerent antequam Eucharistia donarentur. Ac scito te nihil acturum, nisi anteà vel cuncta veterum monimenta aboleas, vel Patribus omnibus fidem abroges, eosque inscitiæ cœcitatisque coarguas, cum Ecclesiæ legibus sancitum affirment, quod tu ab Ecclesiæ

mente & ſpiritu omnino alienum arbitraris.

Quod ſi tanti Epiſcopi ex omni ferè antiquitate eruditiſſimi & ſacrarum Eccleſiæ legum peritiſſimi diſertum apertumque teſtimonium tibi non ſufficit, Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, quem is vt magiſtrum in omnibus ferè aſſectatur, docebit te comparationem illam pœnitentiæ cum baptiſmo à ſe acceptam, quippe qui multo antè tradiderit, *vt ſemel aqua & ſpiritu, ita denuò lachrymis & exomologeſi nos mundari.*

τούτους ἡ ἐκκλησία, καὶ περὶ μετανοίας ἔχει τοὺς νόμους. *Theod. hæretic. Fab. lib. 5. c. 29.*

ὥσπερ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὕτως ἀπὸ δακρύων, καὶ ἐξομολογήσεως καθαιρόμεθα πάλιν. *Chryſ. homil. 6. in Matth.*

Nec minùs ante Chryſoſtomum, Gregorius Nazianzenus ipſius in Conſtantinopolitana Sede deceſſor, *Noui*, inquit, *lachrymarum baptiſmum, ſed aſperiorem & laborioſiorem, quo quidem ille tingitur, vt qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum lachrymis lauat, cui ipſæ quoque vitij cicatrices fœtent, qui lugens & contriſtatus ingreditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam ac Niniuitarum humilitatem cui miſericordia impertita eſt, imitatur; qui Publicani verbis in templo vtitur, ac ſuprà inſolentem & ſuperbum Phariſæum iuſtificatur, qui denique Chananææ in modum deprimitur, & miſericordiam implorat, ac micas poſcit, hoc eſt canis vehementi fame correpti pabulum.*

οἶδα καὶ πέμπτον ἔτι τὸ διὰ δακρύων, ἀλλ' ἐπιπονώτερον. ὡς ὁ λούων καθ' ἑκάστην νύκτα τὴν κλίνην αὐτοῦ καὶ τὴν στρωμνὴν τοῖς δάκρυσιν. ᾧ τῆς κακίας προσώζουσιν καὶ οἱ μώλωπες. ὃς πενθῶν καὶ σκυθρωπάζων πορεύεται. ὃς μιμεῖται τὴν ἐπιστροφὴν Μανασσῆ, καὶ τὴν τῶν Νινευιτῶν ἠλεημένην ταπείνωσιν. ὃς φθέγγεται τὰς τοῦ τελώνου φωνὰς ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ δικαιοῦται παρὰ

Vt igitur hoc lachrymarum baptiſmo prioris baptiſmi jactura reparetur Publicani humilitatem ſanctiſſimus Doctor imitari jubet, ab altaris aditu & Sanctorum cœtu longiùs abſcedere, indignum ſe arbitrari qui vel oculos in cœlum leuare audeat, nedum cœlorum regem hoſpitio excipiat; pectus aſſiduè percutere, non idoneum arbitrari vt ſedem

μεγάλαυχον Φαρισαῖον. &c. Gregor. Nazianzen. or. in Sancta Lumina.

Christo præbeat: Denique satis superque habere si Deum exorare liceat, vt *propitius sit misero peccatori*, non sibi tantum arrogare vt ad maxima illius beneficia confestim aspiret.

Aug. homil. 50.

Quinetiam in Chananæam tanquam in exemplar intueatur, canemque se cogitans, ac *canem horribilem oculis Dei*, vt loquitur Augustinus, quippe *reuersum ad vomitum suum*, non statim filiorum panem inuadat, sed cadentibus è mensa Domini micis contentus eodem Christum quo mulier illa apud D. Augustinum Sermone compellet: *Modicum quoddam & exiguum beneficium desidero* NON MENSAM INVADO SED MICAS QVÆRO.

Aug. Serm. de Temp. 74. c. 6.

Hæc mens ac sententia magni Ecclesiæ Doctoris, cui Theologi cognomen ob eruditionis præstantiam antiquitas posuit. Quo verò magis pateat doctrinam eiusmodi ab illius ingenio minimè natam, sed per vniuersas Ecclesiæ oras vbique traditam, à contraria mundi extremitate repetamus eius æqualem Sanctum Pacianum Barcinonensem Episcopum, hæc eadem in Hispania grauissimè detonantem aduersus Nouatianos, qui inhumana quadam austeritate commissa post baptismum crimina per Ecclesiam dimitti non ferebant: *Si pœnitentibus*, inquit, *remissio peccatorum dari potuit* (*ais*) *baptisma non fuit necessarium insulsissima comparatio! Baptismum enim Sacramentum est Dominicæ Passionis: pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donum est, id est gratuita donatio: Labor verò iste paucorum est, qui post casum resurgunt,*

Pacian. Ep. 3. ad Sympronianum.

resurgunt, qui post vulnera conualescunt, qui lachrymosis vocibus adiuuantur, [a] *qui carnis interitu reuiuiscunt.*

Neque vero hoc mirabitur qui quod Ambrosium scripsisse cuncti sciunt, pauci vt par est considerant, paulò diligentiùs expenderit, *Facilius* nempe se innocentes *inuenisse*, quam veros pœnitentes, hoc est, *qui innocentiam seruauissent, quam qui congruè egissent pœnitentiam.* Cuius rei eam ipsam quam Pacianus causam affert: quod scilicet vt quis congruè pœnitentiam agat, *Renunciandum sæculo sit, somno ipsi minùs indulgendum quam natura postulat, interrumpendus sit suspirijs, sequestrandus orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur. Sicut quendam Adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum posteà veteri occurrisse dilectæ, quæ vbi non interpellata mirata putauerit non recognitam, rursus recurrens dixerit; Ego sum: responderit ille; Sed ego, non sum ego. Vnde benè Dominus ait, Qui vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viuentes de hoc mundo decernere.*

a Alludit ad Apostoli verba. 1. ad Cor. 5. v. 5. vnde patet eum existimasse cum Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, alijsque incestum illum Corinthium germanum fuisse penitentem ab Ecclesia ejectum vt per penitentiam ad eam reuocari mereretur.

Ambr. l. 1. de penit. c. 10.

Ibidem.

Quod si sursum versus ad Ecclesiæ originem recurramus, Sanctos illos Ecclesiæ magistros præsertim Pacianum hæc omnia à Cypriano, Cyprianum à Tertulliano, vniuersos pariter à Traditione Scripturisque sacris hausisse deprehendemus. Vt enim intelligatur quantopere diuinæ iustitiæ satisfieri oporteat post amissam baptismi innocentiam, pen-

ſanda ſunt Apocalypſeos verba, toties à Cypriano commemorata, *Memento vnde excideris & age pœnitentiam.* Clariſſimè enim monent vt pœnitentiæ magnitudo peccati magnitudini reſpondeat, vt quo grauiùs crimen, eò grauior ſit ſatisfactio, eò autem eſſe grauiùs, quo majora & excellentiora bona diſperdit. Quamobrem ſpectanda modò eſt baptiſmi excellentia (præſertim vbi duobus illis Sacramentis, quibus homines perfecti Chriſtiani efficiuntur, Confirmationi & Euchariſtiæ conjunctus eſt) vt intelligi queat, quantum illius ſanctitate violanda crimen admittatur, & quàm ſit *in Dominum contumax & ingratus*, vt Tertullianus ait, *qui cum æmulo eius Diabolo pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubieciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem eius ſeipſum facit, vt denuò malus recuperata præda ſua aduerſus Dominum gaudeat.*

Tertul. de pœnit. c. 5.

Atque hac de re tanto ſtudio mundi Seruator nos admonitos voluit, vt ea velut clauſula & coronide quatuor Euangelij locos grauiſſimos terminauerit. Primò enim primum longiſſimumque omnium ſermonem, quo tota Religionis Chriſtianæ inſtitutio continetur, non aptiùs concludi poſſe arbitratus eſt, quam Chriſtianos admonendo, quanta futura ſit ſpiritualis ipſorum domus ruina, ſi infirmiori nixa fundamento tentationum impetu concutiatur.

Matth. c. 5. 6. & 7.

Altera huic ſimilis clauſula eſt illius ſermonis, quo neceſſariam ad religionem Chriſtianam præparationem exponit. Poſtquam enim docuit ſuum

Luc. 14.

esse non posse discipulum, *qui non renuntiet omnibus quæ possidet,* mox demonstraturus, quanti momenti sit præstantissimam Christi discipuli conditionem quam semel assecutus fueris retinere, quamque difficilè semel amissa recuperetur, altissimam & reconditam (quam etiam suo illo solenni in proponendis majoribus mysteriis Epiphonemate prosequitur, *Qui habet aures audiendi audiat*) sententiam adjungit; *Bonum est sal; sed si sal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram vtile est, neque in sterquilinium, sed foras mittetur:* quasi dicat: Præclarum est meum esse discipulum, & vita, verbo, factisque omnibus alios quasi condire: sed si sal iste amore rerum, quibus renunciandum erat infatuetur, & diuinæ Sapientiæ vigorem & acrimoniam amittat, quonam modo in pristinum statum restituetur, cum ad nihil aliud vtile sit, quàm vt foras mittatur, hoc est, vt in gehennam exterioresque tenebras proijciatur.

Iansen. Ipr. in illum Euangelij locum, Bonum est sal.

Tertiò mirificam ægri illius annum jam octauum & trigesimum decumbentis curationem simili prorsus sententia conclusit Christus. Æger enim ille baptizati hominis typus erat, vt piscina baptismi: mysticoque illius annorum numero charitatis penuriam, qua peccatum grande efficitur, expressam docet Augustinus. Hunc ergo hominem sanitate donatum sic affatus est Christus: *Vade. Noli ampliùs peccare, ne quid tibi deteriùs contingat.* Quare teste ipsa veritate hominis Christiani, qui à baptismate mortifero crimine sese obstringit, anima deteriorem in statum deuoluitur, quam Iu-

Ioan. 5.

Ioan. 5.

dæus, quam Paganus, quam ipſius illius hominis corpus octo & triginta annorum morbo ſic implicitum, vt niſi miraculo ſanari non poſſet.

Luc. c. 11. Quartò denique ſolennem illam Iudæorum condemnationem, quam SS. Patres ad fideles poſt baptiſmum lapſos tranſtulerunt, pari itidem concluſione Chriſtus ſubtexuit. Nam *cum immundus ſpiritus exierit ab homine*, quod in baptiſmo fieri conſtat, vbi à poteſtate tenebrarum eruimur, ſeptem dæmonum pejorum ſe comitatu inſtructum eodem redire denuntiat, ac *fieri nouiſſima hominis illius peiora prioribus*. *Reuerſus enim ad vomitum canis*, inquit Bernardus, *odibilis erit multo plus quam antè, & fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuò ſordes inciderit, vt ſus lota in volutabro luti.*

Bern. Serm. 2. de Aſſumpt.

Cum igitur Patres omnes neceſſitatem diuinæ juſtitiæ ſatisfaciendi veris pœnitentiæ fructibus, maximeque humili, ac verecunda Euchariſtiæ omiſſione, à peccati, quo baptiſmi gratia extinguitur, grauitate deducant, generali hac pœnitentiæ lege omnia pro rata parte peccata mortalia comprehendi neceſſe eſt, cum omnia inæſtimabile damnum illud afferant, ac proinde omnia immanium criminum nomine haud abſurdè affici poſſint, ſi quidem ſoli immanium criminum rei te autore ad agendam ante Communionem pœnitentiam compelli queant.

Si enim Adæ peccatum *ingens* à Patribus *præuaricatio* nominatur, eo quod conſtitutum ipſum

inter ac Deum fœdus violarit, quanto magis ea ratione Christiani hominis lapsus peccatum ingens censeri debet, cum arctiùs multo sanctiusque fœdus, quod in baptismo cum Christo ictum est disrumpat? Ideoque si primus ille homo statim ac primum illud fœdus perfregit, procul à ligno vitæ, quod Eucharistiæ figuram gerebat, ejectus est: quanto potiori jure Christiani, qui fœdus alterum frangunt indignos se Corporis Christi Communione efficiunt? Nonne igitur in maximis Dei beneficiis reponi debet, & *magnæ*, vt Scriptura loquitur, *Dei misericordiæ* ascribi, quod Christus Corpus suum & Sanguinem iis denuò concedit, qui ad ipsum post mortifera delicta, quibus illum grauissimè offenderunt, corde contrito & humiliato confugientes, veris pœnitentiæ fructibus aditum sibi rursum ad diuinas epulas aperiunt.

Alienandus Adam fuerat à ligno vitæ vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est, Ecclesia solent à Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica remoueri. *August. de Gen. ad litt. lib. 11. c. 40.*

Quod si tuos æstus imitari liberet, æquiori multo quam tu jure conquererer, *maximam vnam hanc esse quam Ecclesia possit accipere calamitatem*, quod animarum rectores non satis expendant in quantum malorum mare mortiferarum culparum vel leuissimæ homines præcipitent: quanto animi mœrore vicem suam dolere debeat, qui in antiquam Dæmonis seruitutem reuolutus sit: quantis denique gemitibus & lachrymis animæ suæ mortem ac perniciem eum lugere oporteat. *Si quem de tuis carum mortalitatis exitu perdidisses*, (inquiebat olim Cyprianus cum fœminas in persecutione lapsas increparet) *ingemisceres dolenter & fleres, facie inculta, veste*

Cypr. de lapsis.

mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti spiritaliter mortua superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera; Ecce majora delicta: peccasse, nec satisfacere: deliquisse, nec delicta deflere.

Capvt X.

Septimvm argvmentvm. Disciplinam istam non ad populi modo exemplum (vt nuperi hæretici contendunt) sed ad eius qui à Communione prohibebatur salutem spectasse, vt vel ex eo apparet, quod eiusmodi prohibitio arcana nonnunquam & occulta esset. Superiorum omnium argumentorum clausula.



Ed jam tempus est, vt superiorum argumentorum vim non cumulet modo, sed confirmet etiam vltima ratio, falsamque hæreticorum nostrorum opinionem confutet, qui longas illas & laboriosas satisfactiones Eucharistiæ Communioni à peccatoribus præmitti solitas, rem prorsus politicam fuisse, & exempli duntaxat causa institutam, fallaciter aut imperitè persuadere conati sunt.

Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ art. de Confess. & satisf. Scholastici viderunt in Ecclesia esse Satisfactiones: sed non animaduertebant illa spectacula instituta esse, tum exempli causa, tum ad pro-

Sed facilè perniciosæ doctrinæ vanitatem deijciemus, simulque demonstrabimus, non in eum modò finem, vt Ecclesiæ honos sarciretur, & quæ ex fidelium sceleribus in ipsam redundauerat, infamia elueretur, legitimum agendæ pœnitentiæ,

& à Communione abſcedendi tempus præſcriptum fuiſſe, ſed vel maximè, vt lapſorum ſaluti conſuleretur, iiſque religioſa abſtinentia & dilatione ſalutari veræ integræque ſanitatis recuperandæ via & ratio traderetur. Ad hoc enim comprobandum vnum illud ſatis fuerit, quod cum Eccleſia ſingularibus de cauſis eorum qui clàm deliquiſſent pœnitentiam à vulgi oculis ſubducendam cenſeret, vt ea jam aliis exemplo eſſe non poſſet: tamen ab interdictæ pœnitentibus Communionis lege eos non eximeret, quemadmodum proculdubiò feciſſet, ſi publicum duntaxat exemplum ſpectaſſet: ſed ea duntaxat aduerſus illos benignitate vtebatur, vt quo temporis ſpatio cæteros palàm in hominum oculis lugere cogebat, eodem iſtos ſolis Deo & Angelis teſtibus lugere pateretur.

bandos hos qui petebāt recipi ab Eccleſia. In ſumma non viderunt eſſe diſciplinam, & rem prorſus Politicam. Ideò ſuperſtitioſè finxerūt eas, non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere. *Idem habet Caluinus lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 39.*

Talem verò fuiſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam duobus duntaxat argumentis, quæ omnem dubitationem tollant, confirmare poſſumus. Primum eſt, quod cum mulier, quæ clanculum adulterio ſe polluiſſet, delicti conſcientia ſtimulata Sacerdoti vulnus ſuum aperiret, ne publica pœnitentia ſuſpicionem criminis faceret, viroque ad eam duriùs accipiendam, aut etiam necandam doloris ſtimulos adderet, autor eſt S. Baſilius, Eccleſiæ legibus, quæ nunquam prudentia vacant cautum fuiſſe, vt ea clàm pœnitentia defungeretur, ſtatutoque Canonibus aduerſus adulteros tempore, hoc eſt pluribus annis ab Euchariſtia ſe abſtineret. Qua ex re grauia multa & in primis obſeruanda de anti-

Epiſt. 2. ad Amphiloch. can. 34.

qua illa Euchariſtiæ interdictione perſpicimus.

Primùm, eam non ob ſola peccata publica, ſed etiam ob occulta indictam.

Deinde, non ſoli aliorum exemplo, ſed eius qui à Communione remouebatur ſaluti potiſſimùm inſeruiiſſe.

Tertiò, non ita pœnitentiæ publicæ, cui vulgò adhærebat alligatam fuiſſe, quin idonea de cauſa poſſet ac deberet ſeorſum obſeruari, cum tam dijuncta quam conjuncta magnam ad ſtabilem conſtantemque animarum curationem vtilitatem afferret.

Quartò, licet nunc pœnitentia publica paſſim non vſurpetur, nihil tamen obeſſe quominùs peccatorum mortiferorum rei poſſint, & ſæpè debeant ab Euchariſtia ſemoueri, vt ad eam, pro tanti myſterij dignitate accipiendam ſeſe componant, maximè cum diuino igne vehementiùs ſuccenſi antiquam iſtam ſanctamque diſciplinam, quam damnare nemo queat, niſi Sanctos omnes Patres velut duces cæcos damnatos velit, ſponte amplexantur.

Poſtremò illud hinc docemur (quod ab omnibus diligentiùs animaduerti velim) etſi priſcas Eccleſiæ leges, antiquamque diſciplinam, qua vigente tot ſæculis Eccleſia floruit, examuſſim ſequi, omnique ex parte reuocare hoc tempore minùs liceat, non continuò omnia illius delenda eſſe veſtigia, nec committendum, vt infinita quadam licentia negligentiaque ſoluti diffluamus, quandoquidem Sancti Patres mulieres ad pœnitentiam adigere,

gere, & ab altaris aditu prohibere non dubitabant, quæ ritus omnes & ſtata ac legitima omnia pœnitentium jura ſubire non poſſent.

Alterum exemplum eorum eſt, qui in Eccleſiaſticum Ordinem cooptati erant, & ſacris miniſteriis addicti, quos nemo neſcit pœnitentiæ publicæ ſaltem vulgò & paſſim obnoxios non fuiſſe: nec minùs tamen, ſi in mortiferum facinus prolapſi eſſent, ab altaris aditu depulſos, & ſecretò Deum pœnitentiæ operibus placare juſſos, antequam ad miniſteria priſtina redeundi daretur copia, ſi tamen daretur; raro enim admodum antiquioribus præſertim ſæculis id conceſſum.

Quod vtrumque perſpicuè docet S. Leo Epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem. *Alienum eſt*, inquit, *à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in Preſbyterali honore aut qui in Diaconij gradu fuerint conſecrati, ij pro crimine aliquo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi*, (hoc eſt pœnitentiæ publicæ colla ſubmittant.) *Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis Satisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.*

Idem patet ex S. Ambroſij in Diaconum quendam Gerontium animaduerſione, quem, vt Sozomenus teſtis eſt, *præſcripto tempore manere domi, & pœnitentia expiari juſſit.* Quod imitatus Sanctiſſimus eius ſucceſſor Carolus Borromæus, Clericos qui culpam majorem aliquam contraxiſſent, in Palatij ſemotiore loco abditos lugere peccata, & jeiuniis, precibus, voluntariiſque caſtigationibus ex-

Sozom. lib. 8. c. 6.

Ripam. in vita S. Caroli lib. 7.

piare certo tempore jubebat, donec pœnitentiæ fructibus Deo satisfecissent.

Ac post antiquorum illorum Patrum tempora Concilium Ilerdense in Hispania Ioannis I. ætate, ineunte sexto seculo ita decreuit, *De his Clericis, qui in obsidionis necessitate positi fuerint, statutum est, vt ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis vigilijs, jeiunijs, orationibus, & eleemosynis pro viribus quas Dominus donauerit, expientur.*

Concil. Ilerd. sect. 2.

Concilium verò Hibernicum apud Gratianum Presbytero in fornicationem lapso, & crimen sponte confesso annorum decem pœnitentiam injungit. Et inter alia statuit, *Vt tribus quidem mensibus priuato loco à cæteris remotus pane & aqua à vespera in vesperam vtatur: sacco indutus humi adhæreat: die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret: finitis tribus mensibus continuis exeat: tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere sicut laïcus.*

Dist. 82. c. Presbyter.

Fulbertus verò Episcopus Carnotensis rogatus, quid statuendum esset in Presbyterum, qui sacrum faciens Communionem omisisset, respondit in hæc verba, *Videtur diligenter inquirenda esse causa, qua Sacro-sanctam Communionem subterfugerit: videlicet vtrum hæretica infidelitas sit, an timor ex conscientia planè mortalis criminis: an timor ex conscientia ebriositatis aut libidinis, quæ quidem miseri Sacerdotes mortalia peccata esse, aut nesciunt, aut scire dissimulant, remordente conscientia mala, &c. Si ergo infidelitas in causa inuenta*

Fulbert. Ep. 83.

fuerit, aut aliud planè mortale crimen, deponendus est autoritate canonica vsque ad legitimam satisfactionem. Si autem appetitus ebriositatis aut libidinis, quandoquidem & ipsæ mortiferæ sunt, ab officio remouendus est, & tandiu abstinentia castigandus est, quousque relicto vitio, & per Dei gratiam superato reuocari videatur idoneus. At si ex frequenti Missarum celebratione tædium, ita corripiendus, & per annum integrum à Communione pellendus, sicut scriptum est in 13. Concilio Toletano c. 5. Si verò indiscretus timor de leui culpa, castigandus esse videtur cum pietate, sicut legitur in Capitulario lib. 1. c. 6.

Hæccine omnia consentiunt cum tuo illo audacissimo placito, publicos duntaxat pœnitentes ob atrocia crimina ad agendam pœnitentiam ab Eucharistiæ Communione semotos olim fuisse? An tu ebrietatem inter *atrocia crimina* numerabis; nisi fortè pari ratione omnia mortifera isto nomine appelles, quod quidem Deo judice illis deberi constat? Postremò an in ea opinione perstabis, vt neminem à Communione prohibendum contendas, quin ad agendam publicè pœnitentiam continuò adigatur, cum luce clariùs pateat Sacerdotes ab ea prohibitos, licet pœnitentiæ publicæ jugo nunquam subderentur.

Sed quid S. Prospero respondeas, qui eodem loco apud S. Leonem, quo Hieronymus apud Damasum fuit, grauissimis verbis scribenti, hominem Ecclesiasticum mortiferi delicti, quamuis occulti, reum, excommunicationis voluntariæ sententia seipsum percellere debere, vt animam suam mor-

tuam plangens efficacis pœnitentiæ fructibus Deo reconciliari possit. *At hi*, inquit, *qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis propterea videtur communicare, & officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parua sunt vt caueri non poßint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, & dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* (hoc est exceptis venialibus culpis) *illa crimina caueantur, quæ publicata suos autores humano faciunt damnari judicio.* (Quod planè congruit cum illo Augustini, *Neminem à Communione prohiberi posse, nisi aut sponte confessum aut conuictum.*) *Qui autem ea commiserint, & ideò prodere metuunt, ne sententiam justæ excommunicationis accipiant* (quod clarè indicat eos omnes, qui mortifera delicta, etiam occulta, Sacerdotibus panderent, à Communione remoueri consueuisse) *sine causa communicant. Imò verò dupliciter contra se iram diuinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi faciliùs placabunt illi, qui non humano conuicti judicio, sed vltrò crimen agnoscunt: qui aut proprijs illud confeßionibus produnt, aut nescientibus alijs quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solum amissa recipiant, sed etiam ciues*

Prosper. lib. 2. de vita contempl. c. 7.

supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniunt.

Non jam ergo ob externam duntaxat disciplinam peccatorum mortiferorum reos ab Eucharistia discedere par est, sed vt efficacis pœnitentiæ fructibus Deo reconcilientur, vt supernæ ciuitatis ciues efficiantur, vt ad gaudia sempiterna perueniant.

Sed minimè necessarium in re adeò clara longiorem operam ponere, cum sex septemve hæc argumenta satis superque fore videantur, vt vel ipse agnoscas, quàm inscitè asserueris; *Nunquam in Ecclesia vsu positum fuisse, vt lethalium criminum rei per plures dies pœnitentiam agerent, antequam ad sacram Communionem admitterentur, nisi ij soli, qui ob atrocia crimina publicâ pœnitentiâ defungebantur.*

Primò enim demonstrauimus, si distinctionis peccatorum ratio spectetur, Sanctos Patres existimasse, omnia peccata, quæ venialibus opponunt & crimina appellant, Eucharistiæ priuatione multanda.

Secundò, si debita peccatis pœna attendatur, mortifera omnia Excommunicatione affecisse.

Tertiò, si varia pro expiandarum varietate culparum pœnitentiæ genera quærantur, duplicem duntaxat pœnitentiam illos post baptismum agnouisse, alteram peccatorum venialium, alteram mortiferorum: huicque postremæ Communionis prohibitionem semper annexam.

Quartò, si omnium qui à gratia exciderunt, Deo reconciliandorum potestatem Sacerdotibus à

Deo collatam intueamur, eam vix in alios olim adhibitam, quam quos antè à cœleſti pane repuliſſent, adeoque ob vniuerſa delicta, quibus animi ſanctitas deperit, pœnam illam decreuiſſe.

Quintò, ſi ordinem in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento ab iis obſeruatum inquiramus, planiſſimum eſſe, ſi nulla major neceſſitas, velut inſtantis mortis, cogeret, eos qui baptiſmum violaſſent, nonniſi longa & laborioſa ſatisfactione peracta reconciliatos ab illis, & ad myſteriorum Communionem admiſſos.

Sextò, ſi ſalutaris huius ſeueritatis fontem & originem perſcrutemur, non aliam ab iis cauſam afferri, quam violatum baptiſmi Sacramentum, pactique cum Chriſto fœderis perfractionem, quæ in omnibus mortiferis delictis neceſſariò implicata eſt.

Vltimò denique, ſi finem & ſcopum ſanctiſſimi huius inſtituti noſſe cupimus, non ad fidelium modo exemplum ſpectaſſe, ſed ad peccatoris potiſſimum ſalutem, vt piis illis pœnitentiæ exercitationibus, & verecunda ab altari ſeceſſione ad vitam verè Chriſtianam, & diuinorum myſteriorum, ad quæ animo contendebat, ſanctitati congruentem conformaretur.

Ea porrò eſt rationum iſtarum omnium colligatio & conſenſio, vt qui ſimul vniuerſas contempletur, & lucem qua ſeſe inuicem colluſtrant aſpiciat, neminem repugnare illis poſſe exiſtimem, niſi fortè perturbati animi nebulæ officiant, vel alie-



narum opinionum præjudicia nullum veritati locum relinquant, hoc est, vt Tertulliani verba hic vsurpem, *Si non præsumptio aut iniquitas judicet, altera quæ desperat, altera quæ recusat veritatem.* Tertull. in Apolog. c. 10.

CAPVT XI.

DE CAVSIS, QVIBVS INDVCTI SS. Patres in administrando Pœnitentiæ Sacramento, quem suprà diximus ordinem seruarunt, ac primùm de absolutionis mora, quam adhibendam censuere, vt esset peccatoribus spatium & facultas salutari satisfactione crimina expiandi, & in Christiana sese obfirmandi vita & pietate.



PATET igitur nunc opinor, quæ sit Patrum, Conciliorum, Summorumque Pontificum de vsu & more quem damnare ausus es, mens & sententia. Id verò Ecclesiæ Catholicæ filio satis superque esse debet ad illius disciplinæ sanctitatem agnoscendam, quandoquidem vnum è præcipuis Religionis Christianæ fundamentis ruere necesse sit, si quis in dubium reuocet, num doctrina à SS. Patribus vno ore tradita, tot Conciliis stabilita, & per tot Summos Pontifices confirmata, sancta Catholicaque haberi debeat. Tibi quidem Sanctorum Ecclesiæ Doctorum sensu jam explicato nihil reliqui est quod causeris, quominùs illum amplexere, cum vltrò constitueris, *Fidelium animarum magistrum à priuatis opinionibus & Sanctorum Patrum mente alienis abhorrere oportere.*

Verum cum rerum diuinarum intelligentia fru-

ctus & merces fidei sit, si ea quâ par est reuerentia sanctissimos illos viros audiuerimus, pia docilitas dignos, vt speramus, nos efficiet, qui in illorum sententiam interiùs penetremus, diuinasque rationes, quarum ductum secuti hunc *disciplinæ cœlestis*, vt appellat Augustinus, Salutarem ordinem religiosè coluerunt, propiùs indagemus.

Vt autem dilucidior ea de re sit oratio, considerari potest pœnitentia, vel vt dispositio ad Sacerdotis absolutionem, vel vt præparatio ad Communionem Eucharistiæ. Quamuis enim penes illos hæc inter se indiuiduo nexu cohærescerent, neque alia esset pœnitentia quæ absolutioni, alia quæ Communioni (quæ absolutis statim exhibebatur, vt jam ostendimus) viam muniret, tamen duplicem veluti rationem ac respectum in pœnitentia distinguere possumus, & studiosiùs quærere. Primum, quid tandem illos doctrina sanctimoniaque præstantissimos viros adduxerit, vt tam diuturno tempore peccatores morarentur, antequam iis criminum remissionem concederent. Deinde quid spectarint, ac secuti sint, dum eos nonnisi longa & laboriosa satisfactione purgatos ad sanctissimam Christi mensam accedere voluerunt.

Quod ad primum attinet, ex vniuersæ illorum doctrinæ serie constat, hanc præcipuam illis fuisse causam, cur tandiu criminum per Confessionem editorum absolutionem protraherent, quod existimarent quoscumque demum à gratia lapsos, & æternæ damnationis reos ante omnia magno studio

dio incumbere oportere, vt ex Sacerdotis præscripto precibus, lachrymis, & cuiusquemodi bonis operibus Deum propitient, seipsos salubri satisfactione, vt ait S. Leo, & peccatis congruenti pœnitentia, vt Innocentius Papa, mente purgatos exhibeant, atque à diuina misericordia veræ solidæque conuersionis gratiam impetrent, antequam Ecclesiæ ministerio palàm reconcilientur.

Hinc S. Gregorius loco suprà allato, *vt ligandi atque soluendi potestas ritè exerceatur, videndum esse, quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat: tunc enim veram esse absolutionem præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis.* Atque vt nihil se docere ostenderet, quod à verbo Dei non didicisset; *Quod bene,* inquit, *quatriduani mortui resurrectio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia mortuum Dominus priùs vocauit & viuificauit dicens, Lazare, veni foras, & post modum is qui viuens egressus fuerat à discipulis est solutus, sicut scriptum est; Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, Soluite eum & sinite abire. Ecce illum discipuli jam viuentem soluunt, quem Magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem autoritatem soluere, quos autorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.* Gregor. hom. 26. in Euang.

Quam doctrinam quemadmodum sanctissimus Pontifex à superioribus Patribus, præsertim Augu-

ſtino, traditam acceperat, ita poſteriores ſacri depoſiti loco ad poſteros tranſmittendam ab ipſo acceperunt. Concilium Aquiſgranenſe Stephano V. Eccleſiam, & Ludouico Pio Romanum Imperium gubernante, cum plurima ex Sanctis Patribus & Canonibus ſumpta inſtituta Eccleſiæ Miniſtris obſeruanda proponere decreuiſſet, vt Epiſcopos & Preſbyteros conceſſæ ſibi à Chriſto ligandi ſoluendique poteſtatis rite adminiſtrandæ rationem doceret, hæc ipſa quæ diximus D. Gregorij verba, tanquam longè excellentiſſimam in hoc genere formulam refert.

Conc. Aquiſgran. an. 816. c. 37.

Ac S. Eligius Nouiodunenſis Epiſcopus, qui centum circiter annis ante hoc Concilium, centum itidem poſt S. Gregorium floruit, eundem locum integrum ab eo mutuatur, ad monendos pœnitentes, ne à Sacerdotibus facinorum ſuorum abſolutionem priùs flagitent, quam ea lachrymis diluerint, peccatiſque mortui per ſuſcitantem gratiam reuixerint. Sic enim in homilia 11. eos alloquitur: *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos facie ſquallida, & crine demiſſo, peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantum homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt, quia licet impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam diuina pietas vos abſoluere dignabitur. Tunc enim (vt B. dicit Gregorius) vera eſt abſolutio præſidentis, cum*

interni arbitrium ſequitur judicis. Quod cum eodem Lazari exemplo iiſdem Gregorij verbis ſuprà à nobis allatis confirmaſſet, eadem etiam clauſula hunc locum abſoluit. *Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod nos debemus per Paſtoralem autoritatem eos ſoluere, quos cognoſcimus autorem noſtrum per ſuſcitantem gratiam viuificaſſe.*

Idem Epiſcopus in alio Sermone cum plurima cuiuſque generis peccata mortifera enumeraſſet, ne iis quidem exceptis quæ leuiora videntur, qualia ſunt *contentiones, ebrietas, comeſſationes, concupiſcentia mala,* populum ſic adhortatur: *Qui ergo ex vobis talibus & his ſimilibus inuoluti ſceleribus fuerint, & per confeſſionem & pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtiment, niſi priùs veterem hominem cum actibus ſuis nunc enumeratis exſpolient, & nouum induant, & ipſi in eodem nouo homine (id eſt in Chriſto) noua creatura (id eſt noui homines) per pœnitentiam fiant, ſicut dudum per baptiſmum facti fuerant, vt hoc Apoſtoli dictum illis merito conueniat, Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. Si igitur condignam Deo pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, & ſi hæc eadem vlteriùs admittere non vultis, ſed cum Dei gratia & adjutorio in omni bonitate, & juſtitia, & veritate perſeuerare deſideratis; tunc ſcire poteſtis, quia noxia vetuſtate exuti, noua creatura facti eſtis, & verè Deo reconciliamini per Chriſtum, & per nos quibus dedit miniſterium reconciliationis,* &c. *Si autem, vt diximus, aliter eſt, nemo veſtrum ſe fallat, nemo ſe ſeducat, nemo cir-*

S. Elig. hom. 4.

cumueniat; non enim poteſt Deus vt homo vllis decipi fraudulentijs, clamante omnibus Apoſtolo, Nolite errare, Deus non irridetur. QVI ENIM PECCANDO FACTVS EST EI INIMICVS, NISI SATISFACIENDO NON POTEST RECONCILIARI VT FIAT AMICVS. *In reconciliatione autem veſtra nolite nos Epiſcopos attendere vt autores, ſed vt miniſtros: nam quis ſit autor manifeſtat nobis idem egregius gentium Doctor; cum enim dixiſſet, Ecce facta ſunt omnia noua, addidit, Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum. Ecce per quem fit reconciliatio, ſcilicet per Chriſtum, qui eandem nobis procurans per ſuam paſſionem, rediјt ad præmium. Sed ne imperfectum remaneret, quod procurauerat, & quoniam ipſe quidem corporalem præſentiam ab eis abſcondebat, quibus ſecundùm diuinitatem dignatus erat polliceri, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi; dedit Apoſtolis ſuis nobiſque eorum ſucceſſoribus poteſtatem ligandi atque ſoluendi in cœlo & in terra: quam poteſtatem ſoluendi vocat Apoſtolus, Miniſterium reconciliationis. Ideoque quia vices Chriſti agimus, quos ille inuiſibiliter abſoluendo dignos ſua reconciliatione judicat, nos viſibiliter reconciliando per officium noſtri miniſterij abſoluimus. Eos verò qui funibus peccatorum ſuorum ante Dei conſpectum adhuc tenentur adſtricti, nos quo modo abſoluere poſſumus?*

Denique idem Sanctus Epiſcopus pœnitentes abſoluturus, quali eos animi affectione præditos eſſe oporteret, hac egregia præſtantique oratione demonſtrat: *Deus omnipotens, iuſtus & miſericors, ille ſcrutator cordium & renum, intrinſecus corda noſtra in-*

ſpicit, & diuinitatis ſuæ potentia conſiderat, ſi per lamenta pœnitentiæ illi ſatisfeciſtis: nos autem qui puri homines ſumus, tantummodo facies intuemur: vnde ſaluti veſtræ conſulentes hortamur, vt ſi quis veſtrum fictè pœnitentiam accepit, aut pœnitere diſſimulauit, ad reconciliationis Sacramentum nullatenus accedere præſumat, ſed magis ſordes ſcelerum diluat fontibus lachrymarum, cæterarumque operibus virtutum. Si verò quantum humanæ fragilitati ſcire permittitur, dignè pœnituiſtis, & deinceps ne talia facere velitis, tota mentis contritione promittitis, dextras manus veſtras in ſublime extendite, vt abhinc cœleſtem conuerſationem, & vitam Deo dignam gerere oſtendatis.

Ex quibus conſtat Sanctos Patres à quibus fidei Chriſtianæ doctrinam accepimus, longè ab ea opinione abfuiſſe, quæ in quorumdam hodie mentibus inſedit, ad criminum vel grauiſſimorum expiationem nihil aliud poſtulandum, quàm vt peccator Preſbyteri ad genua ſtratus, labes ei ſuas & peccata aperiat. Docent enim planiſſimè, vt à Sacerdote delictorum remiſſio jure efflagitetur, legitimam & criminum grauitati congruentem agendam priùs peccatori pœnitentiam: vt *veterem hominem cum actibus ſuis expoliet, nouumque induat:* & ſalutaris pœnitentiæ fructibus dignum ſe præſtet qui *ab æterno judice inuiſibiliter abſoluatur.*

Quin etiam ita nonnunquam eos objurgant, qui doloris & gemituum diuturnitatem qua Deus flectitur, animæque macularum lachrymis diluendarum laborem detrectantes, ab Eccleſia nihilominùs reconciliationem expoſcerent; ita, inquam,

acriter in eos inuehuntur, vt qui illorum loquendi morem minùs teneat, in Nouatianorum errorem se inclinasse, concessamque Ecclesiæ remittendorum peccatorum potestatem eos denegasse facilè suspicetur.

Cyprianus Tract. de lapsis.

Quid enim aliud innuere videtur Cyprianus, cum lapsos admonet, vt à solo Deo remissionem expectent. *Nemo,* inquit, *se fallat, nemo decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt solus potest ille largiri qui peccata nostra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major, nec remittere, aut donare indulgentia sua seruus potest, quod in Dominum delicto grauiore commissum est; ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum, Maledictus homo qui spem habet in homine.*

Clerus Rom. Ep.31.ad Cyprian.

Nonne idipsum eodem tempore significare visus est Clerus Romanus, cum suam de lapsis sententiam exponens, tantum ait: *Eos separatos à nobis non dereliquimus, sed cohortati sumus, & hortamur agere pœnitentiam, si quò indulgentiam poterunt recipere ab eo qui potest præstare,* id est à Deo.

Atqui certissimum est Sanctos Patres hoc loquendi genere nihil aliud voluisse, quam non sperandam peccatori à Sacerdotibus veniam gratuitamque indulgentiam, nisi ante veræ solidæque pœnitentiæ fructibus misericordiam Dei emereri studuisset.

Id euidenter patet ex Cypriano, qui eodem illo libro vbi peccatorum remissionem solius Dei mi-

ſericordiæ reſeruare videtur, eorum remittendorum poteſtatem Sacerdotibus perſpicuè aſſignat, lapſoſque adhortatur, *Vt confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum*, inquit, *adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti Confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & REMISSIO FACTA PER SACERDOTES apud Dominum grata eſt.*

Notandus ordo. 1. Confeſſio. 2. Satisfactio. 3. Remiſſio per Sacerdotes.

Itaque manifeſtum eſt cum eos admonet delictorum indulgentiam à Deo ſolo expectandam, quia *ſolus Dominus miſereri poteſt*, nihil aliud ſpectare, quam vt doceat in eo inprimis elaborandum vt precibus Deum flectant, juſtaque ſatisfactione iram eius mitigent, quemadmodum egregiis his verbis quibus locum concludit, intelligitur: *Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus.* In abſolutione verò Sacerdotis ita demum collocandam fiduciam, ſi quæ libro eodem extremo præcipit, obſeruaſſent. *Si precem*, inquit, *ex toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiſcat; ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt: poteſt ille indulgentiam dare: ſententiam ſuam poteſt ille deflectere: POENITENTI, OPERANTI, ROGANTI poteſt clementer ignoſcere: poteſt acceptum ferre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

His demum Sancti Patres, non aliis, remiſſionem factam per Sacerdotes apud Dominum ratam fructuoſamque cenſebant, *Pœnitentibus, operantibus, rogantibus, ijs*, (vt ait idem Martyr) *quorum timor in*

Ibidem.

Deum pronus eſt, & in ruina licet animus conſtitutus mali ſui memor eſt : qui pœnitentes ac dolentes peccata ſua perſpiciunt, grauiſſimum conſcientiæ crimen agnoſcunt, ad intelligentiam delicti ſui oculos cordis aperiunt, nec deſperantes miſericordiam Domini, NEC TAMEN IAM VENIAM VINDICANTES: Quippe qui intelligant, *Deum, quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum judicis maieſtate eſſe metuendum.* Iis denique *qui quam magna deliquerunt, tam granditer deflent*, qui operam dant *vt* ALTO VVLNERI DILIGENS ET LONGA MEDICINA NON DESIT, *vt pœnitentia crimine minor non ſit.*

Ad eundem modum accipi debent quæ ex Cleri Romani Epiſtola ſuprà attulimus. Sicut enim Sancti illi Preſbyteri Eccleſiam Pontificia Sede vacante adminiſtrantes, procul aberant ab eorum errore qui remittendorum peccatorum Eccleſiæ poteſtatem negarunt; ita Eccleſiæ indulgentiam in alios conferendam non cenſuerunt, quam qui ex animo pœnitentes criminum ſuorum vim agnoſcerent, eamque optimam ad ſanitatem viam exiſtimarent, *ſi non ſit minor medicina quam vulnera, non ſint minora remedia quam funera.*

Id perſpicuè profitentur in Epiſtola ad Cyprianum, Preſbyteros quoſdam qui falſa benignitatis ſpecie, prauaque facilitate ad præproperam reconciliationem peccatores impellebant, grauiter accuſantes. *Vbi enim*, inquiunt, *indulgentiæ poterit medicina proficere, ſi etiam ipſe medicus intercepta pœnitentia indulget periculis : ſi tantummodo operit vulnus, nec ſinit*

Clerus Rom. ad Cypr. Ep. 31.

neceſſaria

necessaria temporis remedia conducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si verum dicere volumus, occidere.

Eadem Epistola pœnitentibus præcipiunt quam insistere viam debeant, vt ab Ecclesia mereantur absolui. *Multum illis proficiet*, inquiunt, *modesta petitio, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lachrymas: aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem. Imò si dedecoris admissi magnitudinem, si pectoris & conscientiæ suæ lethalem plagam, & sinuosi vulneris altos recessus verè medica manu tractant, erubescant & petere, nisi quia maioris est rursum & periculi & pudoris auxilium pacis non petisse.*

Hæc est vniuersorum Ecclesiæ Doctorum vnanimis sententia. Vno enim consensu verbo & factis contestantur, non ita facilè ac vulgò existiment, eam animi affectionem parari, quæ obtinendæ satis sit mortiferorum veniæ peccatorum, quibus Christianos Iudæis, Ethnicisque deteriores fieri docet Euangelium. Eiusmodi quippe vulnerum curationem adeò difficilem & operosam existimarunt, vt solis pœnitentium lachrymis illam à Deo impetrari posse non crediderint, nisi totius Ecclesiæ gemitus accederent. Quare jubebant eos [a] *Charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere,* [b] *patrocinium sibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requirere,* [c] *tenere pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris aduolui, exoratricem Ecclesiam deprecari.*

a *Tertull. de pœnit. c. 9.*
b *Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 10.*
c *S. Pacian. in Parænesi ad pœnit.*

Hac nempe ratione suscitationem animarum à Christi bonitate obtinendam arbitrati sunt, quemadmodum Christus ipse non ante filium viduæ suscitauit, quam eum matris lachrymæ misericordia commouissent. *Hæc mater*, inquit Ambrosius, *sancta Ecclesia est, ipsa est quæ compatitur quodam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitijs ad mortem cernit vrgeri.* Itaque *si graue*, inquit, *peccatum est, quod pœnitentiæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro vnicis filijs vidua mater interuenit.*

Ambros. l. 5. in Luc. Vide etiam l. 2. de pœnit. c. 10.

In his Ecclesiæ lachrymis, in hoc *columbæ gemitu*, vt loquitur Augustinus, maximè spem suam peccatores collocare debent: *Solam enim* IESVS *flere non patitur Ecclesiam, compatitur dilectæ suæ*, in Lazari à mortuis reuocatione Marthæ & Mariæ lachrymis suas admiscet, & *cum fratres super te lachrymas agunt*, inquit Tertullianus, *Christus patitur, Christus Patrem deprecatur, facilè impetratur semper quod Filius postulat.* Denique vt ab eximio antiquitatis Doctore diuinitus scriptum est, *Donauit Christus Ecclesiæ vt vnum per omnes redimeret*, (hoc est, vt vni peccatori veniam communibus omnium fidelium lachrymis & gemitibus impetraret,) *quæ Domini* IESV *meruit aduentum, vt per vnum omnes redimerentur.* Quem in sensum accipi posse existimat idem Pater etiam hæc Apostoli verba, *Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio sicut estis azymi*, quoniam, inquit, *tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum est fletu & oratione & dolore est: & quasi fer-*

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 7.

Tert. de pœnit. c. 10.

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 15.

mento eius se totam conspergit, vt per vniuersos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ aut compassionis collatiua quadam admixtione purgentur.

Itaque pœnitentium illorum quos olim animi sui de admissis criminibus sensum & dolorem publicè testatum facere minimè pudebat, conditio hoc erat potior, quod Ecclesia mœrore atque omni demissione prostratos conspiciens, eorum pectoribus, vt Cypriani verbis vtar, ad eluenda ipsorum peccata, pœnitentiæque partem in se transferendam, pectus suum copulabat. Quod singulis peccatoribus nunc quidem minùs commodè tribuere potest, quos pœnitentium more in publicum prodire non videt. Nam cum Sacerdoti peccata confiteri justorum pariter & peccatorum sit, nec minùs venialia quam mortalia deferri ad eum soleant, non licet Ecclesiæ dijudicare atque internoscere spiritualiter mortuos, quos *suarum ad vitam reuocare debeat contemplatione lachrymarum*, vt Ambrosij verba referam, quorumque grauioribus peccatis majore & pleniore pœnitentia propitiandus sit Deus. *Ambros. l. 5. in Luc.*

Nec tamen Ecclesiæ complorantis gemitibus vsque adeò peccatores confidere fas erat, vt sua ipsi peccata minùs deflerent, Saülemque Regem quem obstinatorum peccatorum exemplar Scriptura exhibet, imitarentur, qui vt obseruauit S. Gregorius, Samuelem obsecrans *vt portaret peccatum suum* de illo pœnitentiæ ærumnis delendo securus erat. *Gregor. l. 6. c. 2. in 1. Reg. c. 15.*

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 7. Nam, vt egregie Ambrosius, *mouebitur misericordia Christus cum viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet; Vbi posuistis eum, hoc est, In quo reorum statu est, in quo Pœnitentium ordine? Videam quem fletis, vt lachrymis suis ipse me moueat. Videam, si jam peccato ei cuius venia poscitur, defunctus est.*

Quibus omnibus perspicuè intelligitur, quam sapienter ab vniuersa Ecclesia, quamque sanctè ac salubriter tot seculis traditum obseruatumque sit, vt nonnisi post longam seriamque pœnitentiam, atque vt jubent Summi Pontifices, post congruam grauitati generique culparum satisfactionem mortifera delicta dimitteret.

Licet verò & alteram proferre causam salutiferæ huius tarditatis, Sancti enim illi viri diuino lumine illustrati, & in Sancti Spiritus schola eruditi pœnitentiam ludibrio habendam non putabant, nec vlla ratione ferendam Christianorum hominum vitam quæ perpetua quadam confessionum & criminum vicissitudine inuolueretur. Animorum conuersiones, nisi stabiles & constantes non probabant, grauioremque contumeliam Christo fieri interpretabantur, si quis in eius discipulorum gregem mox eum deserturus & proditurus irrepat, quam si ab eo abesse perseueret. Hinc in peccatoribus non absoluendis modo, sed vel ad pœnitentiam admittendis tanta cautio; cum melius esse judicarent iter pœnitentiæ omninò non inire, quam negligentius & mollius ingredi, Ne, vt ait Ambrosius, *in ipsa pœnitentia fieret quod posteà indigeret pœnitentia.*

Ambros. l. 2. de pœnit. c. 11.

Quamobrem Synodus Agathensis non facilè *pœnitentiam juuenibus committendam esse* decernit, *propter ætatis fragilitatem*, quæ flexibilis est, & ab optimis consiliis ingenij mobilitate facilè desciscit. *Conc. Agath. can. 11.*

Quis verò non videat, nisi qui tenebras sibi ipse offundere velit, eum peccatorum conuersionis fundamenta non firmissima ponere, nec eorum ad vitam in melius referendam adducendorum optimam inire rationem, qui improuidam facilitatem, & inhumanam quandam lenitatem aduersum illos adhibeat, qua id vnum assequi possit, vt ex eorum animis criminum memoriam obliteret, lachrymas comprimat, gemitus sedet, vulneribusque lethalibus sexcentis languentes falsa sanitatis opinione illudat. Vim acerbitatemque morbi sentiat oportet ægrotus, vt in illum denuò incidere formidet. Criminis pœnam peccator pendat, vt eius metu atque horrore percellatur, & *violentiæ pœnitendi*, inquit Augustinus, *cedat consuetudo peccandi.* Gemitibus & lachrymis diutiùs incumbat, vt longinquior mora debitum flagitiis eius æternum supplicium repræsentet. Spatium denique illi sit, vt quantam se in calamitatem voluntaria contumacia dejecerit, expendat, in eaque seipsum cogitatione & voluntate magis ac magis confirmet, quiduis patiendum, quiduis ferendum, quiduis priùs dimittendum, quam vt in miserabilem statum, vnde emergere nititur, rursus se præcipitem ferri sinat. Alioquin, *si citò rediret homo*, inquit idem Augustinus, *ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.* *Aug. Tract. 49. in Ioan.* *Aug. Serm. 34. de diuers.*

Auguſtini verò Magiſter Ambroſius in hæc 118. Pſalmi verba, *De lege tua miſerere mei*, ſcribit nimiam erga peccatores indulgentiam nihil aliud commodi afferre, niſi vt deteriores fiant, & à Deo grauiùs exacerbato in paſſiones ignominiæ tradantur. *Meritò*, inquit, *quia vulnus grande ac vetus eſt, & diu ſerpens, perfectioris medicinæ remedia depoſcit, obſecrans vt Domini legitima miſeratione curetur. Citò enim refricatur vulnus, quod ſanatum medicinæ lege non fuerit, imò etiam ſeriorem curatio ſentit profectum. Ideoque ſi virus in interiora proſerpit, medicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit ergo medicinæ ratio, vt aut ſectione, aut aduſtione curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, fruſtrà medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus huiuſmodi ægrum legitimè dicit eſſe curandum, vt poſſit medicina proficere. Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia, ſapientiaque miſeretur, vt ea dimittat quæ ſcit jure poſſe dimitti, ne cum alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obnoxium. Conſideremus etiam, ne & ipſum deteriorem faciamus, cuius miſeremur injuſtè. Plerumque enim non coërcere delinquentes majoris auſteritatis eſt quam ſi vlciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui cum aliquid inhoneſtum commiſerint, nullum culpæ pretium ferunt.*

Ambroſ. in Pſalm. 118.

En inconſultæ erga peccatores facilitatis emolumentum! En mirabilem quæ in eos hinc redundat vtilitatem, vt nempe deteriores fiant, prauęq; confidentię cauſa, qua ſibi crimina, nulla pœnitentia functis dimiſſum iri ſperant, à Deo juſtiſſimè derelicti, in majora turpioraq; flagitia fœdiſſimè prolabātur.

At verò cum ex diuinæ justitiæ lege, dignoque fidei majestate & Euangelij sanctimonia vigore curantur, quæ ad superiorem vitam expiandam pœnitentia præscribitur, in piâ Christianâque vitâ instituendâ firmiores deinceps illos munitioresque præstat. Solitudo & secessus, quæ vulnerum ex hominum consuetudine susceptorum prima quasi medicina esse debet, vitam amare solitariam, atque hominum plerorumque congressionem, quasi auram pestiferam, imbecillitatique eorum in primis infestam vitare docet. Eleemosynæ ad redimenda peccata indictæ, charitatem & benignitatem in egenos, qua cœlestem vitam promereantur, paulatim incendunt. Preces quas veniæ impetrandæ caussa fundere iubentur, grauissimum illud Scripturæ præceptum, quo Christiani vitam perpetuam orationem esse oportere decernitur, factis implere consuefaciunt. Laboriosæ pœnitentiæ functiones vitam illam desidiosam & inertem, omnium matrem vitiorum, quam seculares plerique omnes consectantur, excutiunt. A legitimis etiam ac licitis se abstinentes, quod SS. Patres veris pœnitentibus præcipiunt, multo magis ab illicitis temperare discunt. Lachrymarum acerbitas voluptatum pristinarum sensum extinguit, atque, vt præclarè Ambrosius: *Vsus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita, dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.* *Ambr l. 2. de pœnit. c. 10.*

Huius igitur disciplinæ sanctitatem atque vtili-

tatem tot Pontificum, Conciliorum, Sanctorumque autoritate sancitam agnoscamus, cuius origo ab ipsa diuinæ mentis ratione ducitur; qui ex stabili iustitiæ suæ lege peccata aduersus se admissa pari & æqua satisfactione elui, atque ex sapientiæ suæ præscriptione satisfactionem illam inter confessionem criminis & Sacerdotis absolutionem interponi postulat. Ipsa enim naturalis æquitas & communis experientia docet, si quid in ciuili etiam vitâ aduersus homines peccatum fuerit, restitutionem in gratiam, nisi pensatis priùs injuriis, fieri aut postulari non solitam.

Capvt XII.

Pertexitvr institvta explicatio causarum quibus impulsi SS. Patres absolutionem differendam censuerunt. Ex eorum mente, nec puncto temporis peccatores ad Sacerdotis absolutionem fructuosè percipiendam componi solere, nec solis pœnitentium vocibus Sacerdotem de sincera eorum conuersione certiorem fieri. Vbi etiam nonnihil de expedita illa & facili quam quidam prædicant via, quosuis homines ad Contritionis actus, vt vocant, perducendi.



Qvod si quis aduersus doctrinam SS. Patrum explanatam à nobis contendat, Dei gratia hominem quemuis sceleratissimum ab improbitate ad pietatem puncto temporis traduci, omissisque tot moris & cautionibus reconciliationi idoneum fieri repente posse: non inuitus assentiar, atque vltrò agnoscam, interdum *ad restituendam* (D. Bern. Ep. 8. ad Brunon.) *innocentiam,*

innocentiam, vt ait D. Bernardus, *efficaciorem esse velocem clementiam, quam diuturnam pœnitentiam. Hoc salutis compendium sanctus ille Latro consecutus est, vno eodemque die simul & confessus latrocinia & introductus in gloriam: breui quodam contentus ponte Crucis ad transigendum de regione dissimilitudinis in terram viuentium, & de luto fæcis in paradisum voluptatis. Hoc subitum pietatis remedium percepit felix illa peccatrix, cum repentè vbi superabundauerant delicta, abundare cœpit & gratia. Absque multo pœnitentiæ labore dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum, & in breui meruit charitatis accipere latitudinem, quæ, vt scriptum est, cooperit multitudinem peccatorum. Hoc & ille paralyticus in Euangelio duplex atque celerrimum potentissimæ bonitatis persensit beneficium priùs mente quam carne curatus.*

Verum ad exempla illa omnia cum eodem Bernardo respondendum, *non tam exempla esse quam miracula* ipsius gratiæ status qui per seipse totus ex miraculis constat: mutationes esse dexteræ excelsi; inusitata infinitæ misericordiæ nullisque subjectæ legibus opera, quibus perturbandæ non sunt communes ac solennes leges & formulæ, quos ad vsitatum & maximè vulgarem gratiæ ordinem expendere conuenit, quemadmodum Medicinæ institutiones familiari & stato naturæ cursu diriguntur.

Certum est autem gratiam vulgò haudquaquam ita celeres in animis hominum motus & conuersiones efficere. Diuinus est quidam dies, vt præclarè Gregorius Magnus, qui itidem vt naturalis diluculo suo constat, nec nisi sensim ac pedetentim

augeſcente ac crebreſcente luce mentium noctem tenebraſque diſpellit.

Nouus homo, ſicut & vetus, haudquaquam repentè effingitur; rudiores primùm habet conceptus; paulatim, ac diuturno interdum tempore indiget vt naſcatur. Quare eſt cur animarum moderatores vehementer pertimeſcant, ne abortiones tantum ſua illâ præproperâ feſtinatione procurent, Deumque audiant aliquando arguentem, ipſos in ſpirituali animarum generatione eo modo ſe geſſiſſe, ac corporis mater, quæ vt primum prægnantem ſe ſentiat, fœtum excutere conetur, quo citiùs vitæ ac lucis participem faciat, naturalique cuſtodia, qua diutiùs eum teneri angatur, liberet.

Ad hunc planè modum Sacerdotes quidam aduerſus peccatores benigni admodum ac miſericordes ſibi videntur, ſi eis præcipiti abſolutione vincula relaxare, eoſque per Sacramenta quaſi in lucem edere properarint. Nec attendunt ſe inconſultæ illius matris inſtar primam in ipſis exorientis vitæ ſcintillam obruere. Qui ſi gratiæ ordinem curſumque tenuiſſent, eoſque via ac ratione ab Euangelio præſcripta, hoc eſt, precibus, jeiuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus ad perfectiora pœnitentiæ ſtudia paulatim euexiſſent, procedente tempore ad veram eos ac ſolidam conuerſionem perducere potuiſſent.

Ita nimirum egere SS. Patres. Ita nos agere ac Medicorum ſolertiam imitari præcipiunt. *Medicus*, inquiunt, *medendi tempus expectat, vt digeſtis ægritu-*

Ambroſ. in Pſalm. 37.

dinibus medicinæ ſubſidia deferantur, ne acerba adhuc & immatura vt aſſerunt ægritudo curationis remedijs reluctetur, & beneficium ſentire non poſſit. Nam etiam medendi periti, cum vident notas ægritudines, vt ipſi appellant, medicinam quidem non adhibent, ſed tamen medicinæ tempus expectant: nec deſerunt inualidum, ſed lenioribus verbis aut quibus poſſunt palpant delinimentis; ne aut intermiſſa ægritudo deſperatione animi graueſcat, aut crudior medicinam reſpuat, eo quod ad maturitatem peruenire nequeat, ſi indigeſtæ inſolens rerum huiuſmodi medicus adhibeat manus. Idem lib. 3. Ep. 19.

Quare eruditus in primis huius ætatis Epiſcopus, ſcientiaque Eccleſiaſtica præcellens, edito in Euangelium Commentario rectè admonuit, Sacerdotes ad poteſtatem retinendorum peccatorum, quam à Chriſto acceperunt, exercendam adduci debere *propter pœnitentiæ immaturitatem*, vt ea ſcilicet ſenſim matureſcat, *paulatimque perficiatur.* Ianſen. Epiſ. Iprenſ. in c. 20. Ioan.

Cæterum quis tandem diuinam illam SS. Patrum prudentiam hodie æmulari poſſit, ſi in animum inducat, hominem perditiſſimis moribus, dummodo certam formulam, quam actum Contritionis vocant, vſurpet, atque oris ſono, vel ad ſummum mentis cogitatione profiteatur dolere ſibi, quod in Deum ſummè bonum, ſummeque amandum peccauerit, in alium è veſtigio virum euadere, conuerti medullitus, æternaque illa corona, quam Sancti Spiritus oracula tantis laboribus atque ærumnis emendam docent, ſubito dignum exiſtere?

Equidem vt liberè dicam quod ſentio, nihil ad

animarum ſalutem perniciosiùs video fieri poſſe, inani illa fiducia, quam in adumbratis neſcio quibus Contritionis & Dei amoris actibus reponere jubentur, pro certoque habere ſimul ac precationes quaſdam ad hoc ipſum compoſitas recitarint, continuò eos motus animis ſuis diuinitùs illapſos.

Contritio & amor Dei in voluntate verſantur. Voluntatis autem actio non eſt cogitatio, ſed impulſus quidam, inclinatio, & quaſi propenſio cordis in rem objectam. Porrò Deum vel ore vel mente conteſtari nos eum diligere, animumque ad ipſum conuertere, cogitatio eſt, mentiſque agitatio, ac proinde non motus amoris in Deum, ſed ad ſummum amoris quo eum proſequimur, ſi modo proſequimur, teſtificatio: velut amicitiæ profeſſiones amicitiæ ſigna ſunt, non ipſa amicitia, quam illis notis non ſemper ſubeſſe nimium experientia teſte compertum eſt.

Quid eſt igitur amor Dei, quid vera Contritio de peccato? Suum quiſque excutiat animum, in quo ſi quid amoris paulò ardentioris aut mariti erga vxorem, aut patris erga liberos, aut amici erga amicum repererit, vim illius affectioneſque perpendat. Sic enim facilè intelliget, quid ſit Deum ex animo diligere, eſſeque non paucos qui ſe Dei amoris actus ſæpiùs edere cogitent, cum germani illius amoris ne veſtigium quidem vel vmbram habeant.

Quid enim volunt, aut quid ſentiunt homines, cum pudiciſſimam fœminam mariti amore teneri

aiunt? An eam crebriùs secum cogitare maritum sibi esse cordi, quemadmodum similem de amato Deo cogitationem Dei amorem isti vocant? Id verò nemini vnquam in mentem venerit. Quin etiam mulieres complures reperias, quæ in summo erga viros amore nullam vnquam eiusmodi cogitationem effinxerint. Omninò ea demum mulier virum suum amare dicitur, in cuius voluntate nutus ac veluti pondus inest, quo dulci quadam atque abdita violentia ita in illum rapitur, vt ei inseruire, ei morem gerere, eius voluntatibus obsequi, in omnibus eum delectare studeat, solis eius commodis moueatur, eius gaudiis gaudeat, eius doloribus vehementiùs quam suis doleat, eius præsentiâ incredibiliter capiatur, absentiâ langueat, nihil adeò vereatur ac ne qua in re amoris sui integritatem violasse videatur, denique vel capite suo, si ita res ferat, illius vitam libentissimè redimere parata sit. Eiusmodi affectio animi omnium hominum judicio, amor dicitur, non meræ voces aut inanes cogitationes, quæ è mente prodeunt, non è corde funduntur.

Ex hac rudiori atque imperfecta amoris delineatione dijudicandum, vtrum Dei amor in animis nostris principatum teneat. Si nimirum ita nos intimo quodam sensu comparatos deprehendamus, vt à rebus caducis & mortalibus abstracti ac diuinis addicti simus; vanam & fallacem seculi gloriam pro nihilo ducamus, æternæ felicitatis spe & expectatione lætemur, Dei offensum in nos ani-

mum mortis instar pertimescamus, assiduo illi in omnibus obsequendi ac vehementi studio efferamur, occasionis cujuslibet vnde ad peccatum aditus pateat effugiendæ certissimum propositum teneamus; denique parentes, fratres, sorores, propinquos, amicos, facultates, opes, honorem, famam abdicare potiùs atque abijcere, quam à Christi seruitute atque ab arcta Euangelij via discedere, ex animo parati simus. Si hunc ergo in nobis sensum atque hanc mentem aliquâ saltem ex parte non amantes nosmetipsos ac ludificantes inesse deprehendamus (quod quidem factis atque instituta vitæ ratione, non animi cogitationibus quæ facilè imponunt, perspicitur) est quod Dei nos amore duci confidamus, atque infinitæ ipsius misericordiæ, quod ignis à Christo in terram delati scintillas in animas nostras injecerit, gratiam habeamus. Sin hæc à nobis absint omnia, frustrà vel quibusdam prolatis voculis, vel susceptis quibuslibet cogitationibus, Dei nos amoris actus edidisse nobis ipsi gratulabimur.

August. Ep. 144. *Cum nos*, inquit Augustinus, *huius charitatis quâ lex verissimè impletur, pauperes egentesque sentimus; non de inopia nostra diuitias eius exigere, sed orando petere, quærere & pulsare debemus.* Idem ab Euangelio sexcenties inculcatur. Tamen quoniam, vt præclarè *Confess. lib. 12. c. 1.* idem Sanctus Doctor, *Longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans quam sumens*, postrema illa qua per orationem & laborem ad amorem Dei pergitur via, longior huius ætatis pœnitentibus ac

moleſtior videtur. Quare in priore ab eodem Patre damnata conſiſtunt. Nudi licet & miſeri, certis vocum formulis charitatis theſauros, vbi libuerit, conficere ſibi poſſe confidunt: cumque in cordibus meram glaciem gerant, ſimul atque Contritionem in ſe commouere voluerint; glaciem illam extemplo ſoluendam, ſponteque exarſuram, & in ſplendidas diuini amoris flammas abituram putant.

Equidem ſi fatentur, quod profectò, niſi apertè Pelagiani eſſe volent, fateantur neceſſe eſt, fieri nullo modo poſſe, vt quis vel Deum amet, vel actum Contritionis edat, niſi & amorem illum & Contritionem ſingulari miſericordia Deus ipſe in eius animum immiſerit, vnde tandem acceperunt Spiritum Sanctum qui vbi vult ſpirat, gratiarum ſuarum longè maximam, quæ eſt peccatoris conuerſio, iſtis eorum formulis addixiſſe; Saluatore ipſo B. Auguſtini verbis pronuntiante, eam demum eſſe veram ac directam gratiarum illius conſequendarum viam, ſi ardenter petas, ſi ſtudiosè quæras, ſi inſtantiùs pulſes, ſi viduam illam Euangelicam æmulere, quæ odioſis flagitationibus ab iniquo Iudice per vim quod poſtulat velut extorquet, amicumque itidem illum, qui amicum precibus fatigare non deſiſtit, donec ab eo inopiæ ſubſidium quaſi eripiat.

Hanc rationem peccatores ineant oportet, ſi veram ac ſinceram ad Deum conuerſionem meditantur. Hac via illam aſſequi contendant, ſi ſe miſeros tantæque felicitati promerendæ impares ſen-

tiunt. Continuis gemitibus à Deo eam postulent; ipsius misericordiæ sanctam ac religiosam vim adhibeant; denique diuini Spiritus gratiam omni piorum operum genere elicere studeant.

Hæc scilicet vera & germana sunt solidorum Contritionis actuum concipiendorum adjumenta; quos, cum in præclarissimis Dei donis sint habendi, ab eo solo sperare conuenit, qui gratiæ suæ munera iis est pollicitus, qui in iis ardenti studio flagitandis perseuerarint. *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. Promissa tua sunt, Domine,* inquit Augustinus, *& quis falli timeat, cum promittit veritas?*

Matth. 17. v. 8.

Aug. Conf. lib. 12. cap. 1.

Neque tamen inficias ierim, illas orandi formulas, quas vulgò Contritionis, vel Dei amoris actus vocant, pias esse ac religiosas. Alioquin Scriptura ipsa huiusmodi persperſa orationibus damnanda veniret, ac nominatim diuini Psalmi in quibus Propheta Regius voces ignitas, vehementis in Deum amoris, acerrimique quem ex peccatis capiebat doloris testes, passim intorquet.

Quin & huiusmodi actus piis animis perutiles esse posse non inuitus agnosco. Cum enim in intimis eorum sensibus piarum illarum motionum quasi semina recondita sint, & in iis velut in templo suo Spiritus Sanctus insidens eorum mentes vsque illustret & accendat; haud sanè mirum videri debet, si amor quo in Deum feruntur per illas sui indices voces erumpens, eo ipso excitetur magis ac vehementiùs exæstuet.

Iidem

Iidem etiam actus peccatoribus conducunt, quia per eos quò tendere debeant, quid ab ipsis Deus postulet, quî eorum animos, vt diuini amoris mandato satisfaciant, affectos esse oporteat, commodè docentur. Quin etiam precibus quas ad obtinendam Contritionem pœnitentes fundunt admisceri eos licet. Nec mediocriter proderit hortari, vt se ad istum modum Dei amori ac cultui deinceps totos tradere velle profiteantur.

Quare ne orationi meæ obtrectatorum calumniis insidiæ struantur, moneo iterum ac denuncio, me ab illis Contritionis, amoris Dei, cæterarumque omnium virtutum actibus, qui in piis libellis circumferuntur, reprehendendis longissimè abhorrere. Rectum eorum vsum laudo ac vehementer probo, abusum duntaxat insector: atque id vnum contendo cum de anima à peccato atque à Dæmone abstrahenda & ad Deum reuocanda agitur: rem illam non vsque adeò obuiam & promptam cuique esse, vt cum primum rogatus fuerit, an peccatum omni studio execretur, ac deinceps totum se Deo tradere decreuerit, illeque id affirmarit verbo, res continuò verba comitetur; atque is eodem temporis puncto diruptis quibus arctissimè tenebatur vinculis, vsque ad Dei ipsius sinum euolet; cor eius lapideum è vestigio in carneum commutetur; cumque anteà rebus creatis tota illius addicta mens esset, subitò ad vnum Christum sua studia omnia conuertat. Speret hoc si quis volet. Mea quidem sententia Augustino, cæterisque Patribus

assentire tutiùs fuerit, monentibus toties, vt præcipitem ac præproperam medicinam fugiamus; vt ad Christi gratiam & misericordiam penè omnium maximam, ea quam ipse præmonstrauit via contendamus, *petendo, quærendo, pulsando.* Vt denique conuersionis nostræ fundamentum in diuturna ac diligenti pœnitentia statuamus, præclaram illam Proverb. 20. Sapientis vocem ob oculos semper habentes. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.*

Addo prætereà ex mente Patrum, quocumque tandem modo peccatoris animam afficiat Deus, atque intrinsecus gratia moueat, Sacerdotem qui non simplex minister ad peccatorum remissionem credentibus ac pœnitentibus declarandam, vt hæretici volunt; sed à Christo ipso constitutus est judex, vt causâ cognitâ liget & soluat, retineat vel dimittat peccata, vt à postremo Concilio definitum est, nihil nisi ex notitia quam ei de peccatoris animo atque interna affectione habere licet, pronuntiare in tribunali hoc posse aut debere. Vnde autem notitiam illam capere queat, si illo ipso temporis puncto absoluat hominem quo innumerabilium quibus se obstrinxit flagitiorum vim ad eum confitendo detulerit? Fac enim ipsum inusitata quadam ratione & miraculo à Deo repentè fuisse conuersum. Quo tandem id argumento Sacerdoti constabit? Abdita cordis solus scrutatur Deus. Hanc potestatem sibi reseruauit. Homini de iis duntaxat quæ videntur ac sentiuntur judicare concessum

eſt: & à Chriſto ipſo arborem ac radicem è fructibus æſtimandam accepimus. Verba, quantumvis ſpecioſa, folia non fructus ſunt. Quare Iudæos verbis tantum legis non factis inſignes, in Euangelio, Auguſtino teſte, ficus illa ſignificauit, quam Chriſtus foliis refertam, fructu vacuam inuenit. Ficuum enim, hoc eſt, gratiæ tempus nondum venerat.

Quare non meris vocibus, non vanis ſponſionibus Sacerdos certi quidquam (quod quidem ſpectare & exquirere debet quantum fieri humanitus licet) aſſequi poteſt de interna Pœnitentium affectione, occultiſque ſenſibus quos in eorum animis ad abſolutionem præparandis gratia ingeneret neceſſe eſt. Factis perſpicuis, pœnitentiæ ſolidis fructibus, veris vitæ emendatæ argumentis iſtud explorent oportet.

Non hæc cogitata, non decreta mea ſunt. Prohibeat Deus, ne eò proteruiæ ac temeritatis abripiar, vt in tanti momenti rebus quidquam de meo pronuntiare audeam. Loquor vt diſcipulus non vt magiſter; nec aliud mihi conſilij eſt, quam vt Sanctiſſimorum illorum Doctorum, quos vniuerſa ſuſpicit Eccleſia, mentem & præcepta exponam: de quibus præclarè Bellarminus cum in hoc ipſo Pœnitentiæ argumento verſaretur: *Quod attinet*, inquit, *ad reprehenſionem SS. Patrum, qui clariſſima illa lumina vituperare audet, non illis ignorantiæ aut imperitiæ, ſed ſibi ſuperbiæ atque arrogantiæ notam inurit.* *Bellarm. lib. 4. de Pœnit. cap. 10.*

Audiamus ergo quid vnus è maximis, qui in Petri throno conſederint, Pontificibus hac de re do-

cuerit; qua ratione tres Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem descripserit, & quid de cuiusque necessitate judicij habuerit. *Quid prodest*, inquit, *confiteri flagitia, si Confessionis vocem non sequitur afflictio Pœnitentiæ? Tria quippe in vnoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente: videlicet conuersio mentis, confessio oris, & vindicta peccati* (hoc est, vt vulgatioribus verbis vtamur, Contritio, Confessio, & Satisfactio.) *Nam qui corde non conuertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? Vnde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat dicens: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ conuersionis. Hic certè jam ad salutem confitetur, quia plus* (fortè *pus*) *loquendo de vulnere eijcit; quam* (fortè *quod*) *conuersione compunxit. Tertia ergo species, id est vindicta, quasi medicina necessaria est, vt apostema reatus, quod conuersione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicinâ sanetur. Signum ergo veræ conuersionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conuersum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Vnde Ioannes Baptista malè conuersos Iudæos ad se confluentes increpans ait: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ. In fructu ergo non in folijs aut ramis Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est.*

Gregor. lib. 6. in c. 15. lib. 1. Reg.

Confeſſionis ergo verba quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſeipſa ſed propter fructum expetenda ſunt: quia idcircò omnis confeſſio peccatorum recipitur vt fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Vnde & Dominus arborem folijs decoram fructu ſterilem maledixit, quia confeſsionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.

Hæc luculentiſſima verba cum audieris, quid prætereà requiras vt accuratiſſimè doceare, vel quænam veræ pœnitentiæ ex Chriſti & Eccleſiæ mente partes ac virtutes eſſe debeant; vel quam normam tum peccatores, vt confeſſionem quæ Deo accepta & ipſius miniſtris probata ſit exhibeant, tum Sacerdotes, ne in iis regendis inconſultæ ſeſe facilitatis reos ſtatuant, ſequi oporteat.

Quantum aberat præclarus Pontifex ab eo, vt in ſola confeſſione omnia poneret, cum eam demum veram agnoſcat quæ è cordis ad juſtitiam amore tendentis conuerſione naſcatur, quamque auſteræ pœnitentiæ labores conſequantur.

Quantum aberat ab eo, vt illorum proteruiam atque imperitiam ferendam putaret, qui poſtquam innumerabilium criminum ſordes apud Sacerdotem euomuerunt, ſi tantiſper abſolutio differatur inſignem ſibi injuriam illatam cenſent: cum contra clariſſimè doceat, vtrum peccator jure abſoluendus ſit ex oris confeſſione ſtatui non poſſe, nec eum verè conuerſum haberi debere, niſi cum *digna afflictionis auſteritate delere nititur quod loquendo confitetur.*

Quantum denique abhorrebat ab ea opinione,

vt fallacibus hominum meliora de se in posterum spondentium vocibus fidem à Sacerdotibus habendam, & obuios quosque ab iis seruili potiùs necessitate, quàm judiciaria autoritate absoluendos putaret; cum tam firmiter asseueret veram pœnitentiam ex fructu non ex foliis aut ramis æstimari debere; verba confessionis folia esse; adeoque minimè accipienda, nisi cum confessionem fructus pœnitentiæ subsequitur. Denique Sacerdotes, Dei iram iis imminentem, qui peccata confessi nec salutari satisfactione eluere curantes, arbori illi quam foliis luxuriantem fructibus vacuam Christus execratus est similes efficiuntur, commodiùs auertere non posse, quam si eos accipiant, quemadmodum Ioannes Baptista Iudæos ad Baptismum ipsius confluentes accepit, vocesque illas sancta seueritate plenas in eos itidem intorqueant, *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.*

Constat igitur quacumque ratione hominis mens à Deo permota intrinsecus fuerit, tamen à Sacerdote vt judicem agat, causaque perspecta ex Concilij decreto potestatem exerceat, certiora quam verborum judicia & argumenta vulgò quæri oportere. Intelligentia verbis, cor operibus se prodit & indicat. Illa linguam ad cogitationes significandas, hoc manum, id est actiones ad intimos motus aperiendos adhibet. Vt hominis animum penitùs perspectum habeas, non quid dicat, sed quid agat spectes oportet.

Quod quidem non eo tantum verum eſt, quod orationi noſtræ facilè ſimulatio & fucus aliquis obrepit, ſed etiam quod in animis hominum tantæ ſint latebræ, tantique receſſus, vt ſe quiſque ſæpiſſimè ignoret, luculentaque illa Gregorij vox quotidiana experientia confirmetur: *Sæpè ſibi de ſe mens ipſa mentitur, fitque vt aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Et fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Greg. Paſt. part.1. cap.9.

Ita plerumque vſu venit, vt quis Sacerdoti ex animo aſſeuerare putet, ſibi certum eſſe recedere à vitiis, cui tamen idipſum in animo non ſedeat, aut non ita ſedeat, vt ad improbam vitam abijciendam melioremque amplectendam ſatis firmus ac robuſtus ſit.

Quis pœnitentiam eâ quam Antiochus 2. Machabæorum libro profitetur perfectiorem illuſtrioremque audiuit? Peccatum agnoſcit, acerrimum ex ſuperbia ſua dolorem teſtatur, vrbi ſanctæ priſtinam libertatem, Iudæis opes & copias reſtituturum, templum donis magnificentiſſimis exornaturum, veri Dei ſacrificiis ſumptus de ſuo ſuppeditaturum, ipſiuſque nomen & gloriam per orbem vniuerſum diſſeminaturum pollicetur. Quis hodie Sacerdos tales viri Principis voces veras rataſque non habeat, atque ad eum modum vita defuncti ſalutem exploratiſſimam non putet? Is tamen Scriptura teſte ſceleſtus tum fuit, totque illis pœnitentiæ indiciis, illis precibus, illis pollicitationibus

adeò ſplendidis Dei miſericordiam promereri non potuit. Nec eſt quod eum quis ſimulatè loquutum putet, quem res ipſa declarat ex animo ſibi viſum ea expromere, quod & hodie pluribus contingit, qui vbi ſeipſos primum deceperunt alios ſubinde facilè decipiunt.

Satin' hoc tam inſigni Sancti Spiritus oraculo diſcimus, verba & voces ad explorandam peccatoris conuerſionem parum valere? Quin etiam videas interdum vim lachrymarum profundentes, quarum ſi cauſam inueſtiges, nihil aliud reperias niſi humana permotione, aut inſolita quadam & extraordinaria imagine percuſſam mentem, velut memini me legere in vita Beatæ Mariæ De Incarnatione ab Andræa Duuallio Doctore Sorbonico conſcripta: Puellam quandam fletibus colliqueſcere ſolitam inter confitendum peccatum quod quatuor poſt horis redintegratura eſſet. Nec defuere qui cum totam noctem humi cubaſſent, flagelliſque ſe conſcidiſſent, poſtridie in idem peccatum cuius tam acerbas à ſe pœnas exegerant relaberentur.

Quocirca nihil meo judicio à Sacerdote, ne in re tam graui Dei ſpiritus prudentiam violet, conſultiùs fieri poteſt, quam vt juſtum ſpatium ſumat ad vitæ & factorum cuiuſque ſeriem ac perpetuitatem ſpectandam, vt qualem ſe in iis quæ ad prauas atque inueteratas affectiones exuendas, arctamque cœli viam paulatim ingrediendam ipſe præſcripſerit, exequendis præbeat, accuratiùs exploret. *Eſt*

qui

qui ſimulet ac ſe occultet vno die, ſimulationem vero illam vno aut altero menſe tenere non poſſit. Eſt qui externa certarum actionum ſpecie veram conuerſionem præ ſe ferat, qui cæteris omnibus factis contrarium plane declaret. Vt ſtatuas verene homo ad Deum reuerti meditetur, multo magis qualem ſe intus ac domi, atque in rebus gerendis, quam in Eccleſia ac pietatis officijs præſtet, eſt peruidendum. Vitæ æquabilitatis, certæque quamuis mediocris, ad virtutem firmitatis & conſtantiæ major habenda ratio, quam nonnullarum actionum quæ ſplendoris plus habent, quam ſtabilitatis & cum reliqua vita conſenſionis. In vitijs extinguendis, ac prauis animi motibus coercendis vehemens ſtudium pluris faciendum, quam zelus ſæpe improuidus in rebus maioribus foris aggrediendis, antequam firma ac ſolida intimæ pietatis fundamenta conſtituta ſint. Denique hoc loco tribus illis Euangelij vocibus ac præceptis quam diligentiſſime parere oportet, VIDETE, VIGILATE, ORATE. Videndum acrius ac dipiciendum quid pœnitens ipſe toto pœnitentiæ curſu, quid in illo Deus efficiat. Vigilandum aſſidue, vt contra hoſtium fraudes atque inſidias muniatur. Poſtremo Orandum continenter, vt & in ipſum gratia cœleſtis, & in nos lux intelligentiæ, ad peccatoris vel vnius cum Deo reconciliationem, hoc eſt ad rem omnium longe difficillimam neceſſaria cœlitus eliciatur.

Ad ſuperiorem doctrinæ SS. Patrum explanationem facere non poſſum, quin præclaram Iuonis

Carnotensis Episcopi epistolam coronidis vice superadijciam. Ea quippe paulo ante dicta egregie confirmabit, quicquid Deus intus in pœnitentis animo efficiat, tamen sacerdotem qui ea demum quæ videt dijudicat, nec videt nisi quæ foris patent, absolutionis sententiam merito suspensam tenere, quoad intimos ac reconditos animi motus perspicuis pœnitentiæ fructibus probatos habeat: Eademque opera planum fiet etiam Beati illius præsulis ætate, hoc est duodecimo Ecclesiæ seculo, sacrum illum, quem tu vnquam obseruatum negas morem viguisse. Ecclesia criminum, hoc est (quemadmodum alibi abunde demonstrauimus) peccatorum mortalium reos quoscumque à sacra communione prohibente.

Accipe ergo sententiam Iuonis Presbytero, qui ab eo cur Ecclesia lentius quam Christus ipse peccata dimitteret quæsierat, respondentis.

Iuo ep. 230. *Quærit fraternitas tua quomodo inter se conueniant prophetica sententia, quæ dicit: In quacumque hora peccator ingemuerit, saluus erit; Et Synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquamdiu à Corporis & Sanguinis Christi communione suspendit. Repugnare tibi videntur, dissentireque sententiæ Capitis & Corporis: vt quos Caput, id est, Christus, celeriter à peccato liberat: eos Corpus Christi, id est Ecclesia sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæstio facilè soluitur, si interni Iudicis animaduersio, & humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite & corpore, rationis ordo hoc*

exigit, vt internus Iudex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interius: Iudex vero qui tantum videt in facie, vsque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum qui sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno iudici: & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio cui manifesta est interna conuersio. Ecclesia vero quia occulta cordis ignorat, non soluit ligatum licet suscitatum, nisi de monumento elatum, id est publica satisfactione purgatum. Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere & in cilicio positos ab introïtu Ecclesiarum statuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, si iam sunt intus viuificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbis non dissentire Propheticam & Synodalem sententiam; cum illa deferat quod suum est capiti; & ista concedat quod suum est corpori. In discretione tamen Episcoporum est, secundum affectum Pœnitentiæ tempus abbreuiare vel prolongare dicente Beato Augustino: In actione pœnitentiæ pro qua reus ab altari separandus est, (hoc est in pœnitentia mortalium peccatorum) *non adeo consideranda est mensura temporis vt doloris.*

CAPVT XIII.

ACCVRATAM ANIMI PRAEPARATIONEM quam Eucharistiæ requirit in causa fuisse, cur SS. Patres non ante peccatoribus eius copiam facerent, quam illi se diu multumque pœnitentiæ exercitationibus purgare studuissent.



XPLICATVM hactenus quid Patres spectarint, cum peccatores iusserunt legitimo temporis interuallo peccata deflere, priusquam eorum condonationem Sacerdotis ministerio sperare possent. Nunc explicandum quid sit, cur adeo nefas existimarint, quemquam criminis seu mortiferi peccati sibi conscium Communionem adire, priusquam se pœnitentiæ operibus mundare studuisset. Nulla vero alia eius rei causa quærenda est, nisi adorandæ Victimæ, quæ super altaribus nostris quotidie immolatur, eximia sanctitas, quæ ab omnibus qui eius participes fieri velint, integritatem suæ, vt captus hominum est, respondentem efflagitat. Hoc fundamentum, hæc summa est omnium præparationum, quas diuinum hoc mysterium à nobis requirit.

Matth. 24. *Vbicumque fuerit corpus*, inquit Seruator in Euangelio, *illuc congregabuntur & aquilæ*. Quod quidem SS. Ecclesiæ Doctores non de ea tantum intellexerunt fidelium vltima congregatione, quâ vniuersa Christi membra capiti coadunabuntur, cum egressi è sepulchris electi velut aquilæ renascentes *ra-*

pientur in nubibus obuiam Christo in aëra, vt testatur Paulus; verum etiam de ea quæ quotidie in Ecclesia fit circum Christi corpus immortale & gloriosum, quæ scilicet illius figura est & apparatus quidam, eiusque primitias & arrhas velut quasdam iam nunc exhibet. Atque hoc illud est quod Ecclesia sacrâ illa veterique cerimonia, quâ diuinissimum Christi corpus in altari medio supernè appensum cernitur, testatum esse voluit, hac videlicet imagine Christum ipsum vltimo die in nubibus cœli velut in solio sedentem, atque inde orbem vniuersum iudicantem nobis ob oculos ponens. *Thessal. 1. c. 1. v. 16.*

Quare ijdem Patres Seruatorem docent verbis illis significasse eos aquilas esse debere, qui circum corpus eius congregentur, animas scilicet sublimes & in cœlum erectas, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahuntur aut repant, rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ assiduè sursum euolent, & ipsum iustitiæ solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur, seque instar aquilarum Spiritu Dei renouatas rebus & factis demonstrent.

Quod si vltimo illo die Sanctorum corpora in cœlum sursum non ferentur ad gloriosum Christi corpus in medio æthere conspicuum mirabiliter aggreganda, nisi animarum suarum quibus iterum coniungentur gloria circumuestita; quanto æquius est ex diuinis illis Beatissimorum Patrum regulis, animas nonnisi Spiritu Sancto & gratiæ

abundantia completas ad ſublimem illam cum Chriſto quæ glorioſi ipſius corporis paſtu efficitur ſocietatem aſſurgere. Quod ipſum prima omnium Communio ſolennem Spiritus Sancti illapſum, per quem Apoſtolorum infirmitatis reliquiæ & extrema quaſi rubigo deterſa eſt, ſubſecuta declarauit. Hoc idem Eccleſia olim ſemper tenuit, vt nimirum baptizatis, licet in Chriſti corpus per baptiſmum inſertis, nonniſi poſt gratiæ plenitudinem Sacramento Confirmationis acceptam diuina Euchariſtia impartiretur.

Atque hinc rei quam inueſtigamus rationem, ac ſalutaris illius cunctationis, quam SS. Patres aduerſus eos qui gratiæ plenitudine amiſſa in ægritudinem & morbum Ethnicorum atque infidelium morbo grauiorem inciderant, vniuerſi adhibuerunt, cauſam aſſequi poſſumus. Videlicet id agebant, vt lapſi erigere ſe, & in priſtinum, quoad fieri poſſet, ſtatum vera & grauitati peccatorum conſentanea pœnitentia rurſus emergere valerent. Quare ſæpe numero ijs diuinam illam Apocalypſeos vocem ante oculos ponunt, *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam.* Cumque autore Apoſtolo iubent eos probare ſeſe antequam cœleſtem illum panem edant, ne ipſis in detrimentum ac damnationem cedat, quamuis eadem opera iubeant eos Sacerdoti ſe ſiſtere, vt per illius poteſtatem criminum ſuorum gratiam veniamque accipiant, probationem tamen illam ad Euchariſtiæ Sacramentum vt par eſt adeundum neceſſariam

nequaquam nuda confeſſione definiunt, ſed in animæ maculis ante Communionem dignorum pœnitentiæ fructuum vi eluendis potiſſimum collocant.

Nunquam ſuper ea re mentem aperire ſuam magis quam Cypriani temporibus Eccleſia neceſſe habuit. Ingens Chriſtianorum multitudo, quos diræ perſecutionis impetus proſtrauerat, reſurgere geſtiens, Sacramentorum Communioni Eccleſiæ indulgentiâ reſtitui poſtulabat. Quod ſi nihil aliud ad dignam Euchariſtiæ perceptionem præſtandum ipſis fuiſſet, niſi vt crimen mox abſoluendi confiterentur, ſane eiuſmodi gratiam haud magno negotio impetraſſent.

Neque enim dici poteſt eos delicti aperiendi ac ſe reos profitendi metu, ad illa præproperæ Communionis ſacrilegia, atque ad Chriſti menſam ſine miniſtrorum illius autoritate inuadendam proſiliiſſe. Palam enim ad Epiſcoporum benignitatem eliciendam Martyres deprecatores adhibebant, atque ita reos ſe haud grauatè profitentes, id vnum poſtulabant, vt clementius remiſſiuſque acciperentur.

Sed cum Eccleſiæ in retinendis legibus ad animarum curationem Apoſtolica autoritate traditis firmitatem & conſtantiam perſpectam haberent; cumque intelligerent paruam illi atque inutilem confeſſionem viſum iri, niſi ex Sacerdotum præſcripto grauibus diuturnæ pœnitentiæ ærumnis ea diluerent, ac benigne ſecum actum iri, ſi vel ex-

tremo spiritu, vel saltem longissimo post tempore sacra Communione donarentur: Odiosæ dilationis ac molestiarum quibus Eucharistiæ restitutionem redimi oporteret subeundarum tædium eos impulit, vt durioris pœnitentiæ iugum quod intolerabile videretur, quoquo modo excuterent. Hinc illæ lachrymæ, hinc turbæ, hinc tumultus.

Quid ageret in his angustijs Ecclesia? Si blanda illa facilitas ac mollis indulgentia sanandis hominibus esset accommodata ecquando opportunius adhiberi potuit? An vero Sanctissimi illi Antistites salutis gregum suorum cupidissimi, ac vel ouis vnius infimæ tuendæ causa sanguinem profundere parati, legi, quam leuiorem ac minus necessariam ducerent, laxamenti ac remissionis aliquid dare dubitassent, vt tot hominum illam Communionis dilationem non ferentium, ac nisi citra diuturnæ illius pœnitentiæ molestias benignius admitterentur, Ecclesiæ schisma denuntiantium, casibus ac ruinis occurreretur.

Verum ista ipsa in animas amoris vehementia prohibebantur Sanctissimi viri, ne illis præproperæ Communionis venenum in certam earum perniciem peruersa facilitate indulgerent. Lapsorum illi quidem misericordia grauiter, & longe quam nos grauius commouebantur, sed inani & adumbrata acerbæ nec salutem sed exitium allaturæ miserationis specie sese abripi non sinebant, illamque Ambrosij sententiam etiam antequam ab eo esset edita, pernouerant: *In ipsa Ecclesia vbi maxime* *Ambros. in Psalm. 118.*

misereri

misereri decet, teneri quam maxime debere formam iustitiæ, ne quis à Communionis consortio abstentus, breui lachrymula atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus Communionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat.

Quantam in veros pœnitentes misericordis atque indulgentis animi lenitatem, tantam aduersus eos qui pœnitentiam detrectabant in tuendis Euangelij regulis firmitudinem exhibebant. In illos mente mitissima; in hos, instar Prophetæ, aheneа fronte vtebantur: atque vt alteris amantissimorum patrum studia, quorum in liberos charitas nulla re magis quam emendandis eorum moribus vitijsque coercendis enitescit, præstabant; ita in alteros iudicum seueritatem, atque immotam aduersus iniqua eorum postulata constantiam sibi adhibendam censebant.

Ex his ergo *charitatis vberibus*, quæ in Cypriano demiratus est Augustinus, & ex hoc simul cœlesti diuinoque vigore, præclarissimi Africæ Primatis ad Cornelium Pontificem in eandem sententiam scribentis verba profecta sunt. Ea quippe suauissimi amoris abundantiâ & plusquam heroïcâ fortitudine æque plena esse conspicias, neque minus spirare paternam Sanctissimi Præsulis benignitatem, quam inuictum fortissimi Martyris animum. *Si iudicium nostrum*, inquit, *voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio & defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum: nec Ecclesia istic alicui clu-*

Aug. lib. 1. de Bapt. contra Donat. c. 19.

Cypr. ep. 55. ad Cornel.

ditur, nec Episcopus alicui denegatur : patientia & facilitas & humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi : opto vniuersos commilitones nostros intra Christi castra & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo studio & voto colligendæ fraternitatis : etiam quæ in Deum commissa sunt non pleno iudicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo. Amplector prompta & plena deuotione cum pœnitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes. Si qui autem sunt qui putant se ad Ecclesiam non precibus sed minis regredi posse, aut existimant aditum sibi non lamentationibus & satisfactionibus sed terroribus facere; pro certo habeant contra tales clusam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi inuicta & fortia & Domino tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Christi præcepta custodiens occidi potest, non potest vinci.

Nec minus fortiter vniuersus Ecclesiæ Romanæ Clerus de ijsdem lapsis, qui se ad Communionem admitti postularent, priusquam longa & austera pœnitentia crimina diluissent, in Epistola ad Cyprianum scripta publicè loquitur. *Clerus Rom. ad Cyp. ep. 31.* *Absit enim*, inquit, *ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & neruos seueritatis euersa fidei majestate dissoluere; vt cum adhuc non tantum iaceant, sed & cadant euersorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non profutura præstentur, & noua per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus*

imprimantur, vt miseris ad euersionem maiorem eripiatur & pœnitentia.

Itaque quantumlibet lapsi contenderent, vt Communioni ante diuturnam pœnitentiam restituerentur: hoc vnum ab Ecclesia *Concilio frequenter acto non consensione tantum Episcoporum, sed & comminatione decretum est, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret.* Cypr. ep. 55. ad Cornel.

Quod Ecclesiæ decretum pluribus verbis in Epistola ad Antonianum Cyprianus explicat. *Persecutione sopita*, inquit, *cum data esset facultas in vnum conueniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in vnum conuenimus, &* SCRIPTVRIS DIV EX VTRAQVE PARTE PROLATIS *temperamentum salubri moderatione librauimus, vt nec in totum spes Communionis & pacis lapsis denegaretur; ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia cluderetur secuti seculum gentiliter viuerent;* NEC TAMEN RVRSVS CENSVRA EVANGELICA SOLVERETVR, VT AD COMMVNICATIONEM TEMERÈ PROSILIRENT, SED TRAHERETVR DIV POENITENTIA, *& rogaretur dolenter paterna clementia.* Idem ep. 52.

Hæc igitur illa est quam Sancti illi Episcopi, dignissimi Apostolorum successores, in eorum doctrinis & institutis intelligentissimi ab omnibus qui se criminibus contaminassent præmittendam communioni præparationem arbitrati sunt, vt sci-

licet legitima Satisfactione prius defungerentur. Hæc illa eſt quam ab Apoſtolo poſtulari exiſtimarunt ſui ipſius probationem, ne cœleſtis panis eſus iudicium damnationemque afferat non ſalutem.

Legantur quæ de hac re Clerus Romanus & Cyprianus ſcripſerunt. Id vnum agere reperientur, ſiue ſacrilegia à peccatoribus cœca præmaturæ Communionis cupiditate commiſſa deplorent; ſiue de quorumdam Preſbyterorum fallaci lenitate ad præproperam eiuſmodi communionem lapſos impellentium temeritate conquerantur; ſiue martyres hortentur, ne commentationibus ſuis tanti mali adiutores ſe præbeant; ſiue congruentem Euangelicæ veritati lapſorum tractandorum regendorumque rationem aperiant: hoc vnum, inquam, agere reperientur, vt ratum fixumque maneat: nemini qui à baptiſmi gratia exciderit, ante ad Communionem redeundi ius eſſe poſſe, quam ſe laborioſis diuturnæ pœnitentiæ exercitationibus expurgarit.

Cyprian. de lapſis.

[a] Quid cœci oculi Pœnitentiæ iter non vident quod oſtendimus. *Ib.*

Cohortãdo ad pœnitentiam viã legitimæ ſalutis oſtendis. *Cler. Rom. ad Cypr. ep.* 30.

[b] Si ad veniam delicti

Quamobrem lapſorum eiuſmodi impatientia *corpori Christi & ſanguini vim inferri* arguunt. Mirantur eò imprudentiæ progreſſos vt *Sacerdotibus iraſcerentur, quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus acciperent, aut ore polluto Domini Sanguinem biberent.*

Quarum omnium reprehenſionum expoſtulationumque vna eſt cauſa quod Communionem inuaderent antequam ſalutare [a] *pœnitentiæ iter* eſſent emenſi: antequam [b] *ad veniam delicti ſui Do-*

minum iustis & continuis operibus inflexissent, antequam acrioribus remedijs [c] *neque leuioribus quam vulnera sint* saluti suæ consulere conati essent.

sui Dominum iustis & continuis operibus inflectat. *Ib.*

c Non sit minor medicina quam vulnus est. *Clerus Rom. ad Cyp. ep.* 31.

Presbyterorum importunitatem & audaciam, qui inconsultâ facilitate lapsos pœnitentiæ iugo soluere, Communionique è vestigio restituere moliebantur, vehementer & asperè exagitant. Grauiter queruntur Presbyteros eiusmodi hoc esse lapsis, [d] *quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.* Qui sic agant *contra Euangelij vigorem, contra Domini ac Dei legem facere* affirmant, *irritamque ac falsam pacem* impertiri *periculosam dantibus & nihil accipientibus profuturam.* Quid ita? Quia, vt ait Cyprianus, *non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam*: Quia *operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur.* Quia praua illa facilitas *persecutio est alia, & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, vt lamentatio conquiescat, vt dolor sileat, vt delicti memoria vanescat, comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum,* NEC DOMINVM GRAVITER OFFENSVM LONGA ET PLENA PATIENTIA DEPRECETVR.

d Cyprian. de lapsis.

Ibidem.

Simillimè Clerus Romanus Presbyterorum illorum nimiam indulgentiam damnat, nec minus grauibus verbis perniciem, quam pestifera illa assentatio lapsis afferret, exponit. Ita enim ad Cyprianum de illis scribens loquitur: *Certi sumus, in-*

Cler. Rom. ad Cypr. ep. 30.

quit, *quod ſpatio productioris temporis impetu iſto conſeneſcente, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam, ſi tamen deſint, qui illos arment ad periculum proprium, & in peruerſum inſtruentes* PRO SALVTARIBVS DILATIONIS REMEDIIS EXITIOSA DEPOSCANT ILLIS PROPERATÆ COMMVNICATIONIS VENENA.

Quod ſi eorumdem Sanctorum ad Martyres admonitiones etiam ſpectemus, facile intelligemus, quam neceſſarium duxerint crimina per pœnitentiam ante Communionem expiari. Cum enim ſtantes atque victores pro victis & lapſis in integrum reſtituendis deprecarentur, Eccleſia Romana Sanctuſque Cyprianus ad Martyrum libellos reſpondent: Poſtulationis illorum rationem haberi æquum eſſe, [a] *Si ab Euangelica lege non diſſonet:* [b] *Si iuſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum,* [c] Si quidem *Martyres*, inquiunt, *aut nihil poſſunt, ſi Euangelium ſolui poteſt; aut ſi Euangelium non poteſt ſolui, contra Euangelium facere non poſſunt, qui de Euangelio Martyres fiunt.* [d] *Vt merito nulli magis tam ſit competens, nihil contra Euangelium decernere, quam qui Martyris nomen ex Euangelio laborat acquirere.*

a *Cler. Rom. ad Cyprian. ep.* 30. & *Cyprian. de lapſis.*
b *Cypr. ibid.*
c *Cypr. ibid.*
d *Cler. Rom. ad Cyprian. ep.* 30.

Cuiuſmodi vero erant poſtulata illa Martyrum, quibus Sancti Paſtores annuere ſe poſſe negant, quod ea cum Euangelica veritate Chriſtique documentis non ſatis congruerent? An lapſos antequam per Sacerdotis abſolutionem reconciliati eſſent ad Communionem admitti iubebant? Longe aliud docet vnius illorum Epiſtola quæ inter Cy-

priani Epistolas legitur. Hoc enim illos voluisse demonstrat, vt quos ipsi commendassent *pacem haberent exposita causâ apud Episcopum & facta Exomologesi*, quo vno verbo continebatur quicquid publicè à peccatoribus suppliciter ac demissè in Ecclesia summum ob admissa crimina dolorem testificantibus fieri consueuerat, quo se ad veniam per Sacerdotalium manuum impositionem obtinendam componerent.

Et ideo frater peto, vt sicut hic cũ Dominus cœperit ipsi Ecclesiæ pacem dare secundũ præceptum Pauli, & nostrũ tractatum, exposita causa apud Episcopum, & FACTA EXOMOLOGESI, habeant pacẽ non tantum hæ, sed & quas scis ad animum nostrum pertinere. *Lucian. Celerino ep. 22.*

Et vero quî tandem Martyribus in mentem venisset, vt lapsis sine absolutione præuia Eucharistiam impertiri flagitarent, quasi grauis & molestus labor esset à Sacerdote absolui? Hoc igitur vnum optabant, vt qui à se commendati essent, meritorum suorum causa à laboriosis diuturnæ austeræque pœnitentiæ exercitationibus per Episcopos laxarentur, statimque ad Eucharistiam admitterentur. Atque id ipsum est quod S. Cyprianus vniuersaque Romana Ecclesia fieri posse negat, [a] quin *Domini præcepta rescindantur*, [b] *Euangelica veritas infringatur*, [c] *fidei majestas euertatur*, [d] *& palpationibus perniciosis sauciæ mentes* in fraudem impellantur.

a *Cypr. de lapsis.*
b *Cler. Rom. ep. 30.*
c *Idem ep. 31.*
d *Cyp. ep. 28.*

Denique si quæ à Sanctissimis illis viris hac de re præcipiuntur expendamus, quantoque cum studio peccatores moneant, [e] *non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam*: quis tam obdurata sit mente & tam hostili in pœnitentiam animo, qui adeo salutaribus consilijs, [f] *quæ se de Scripturis cœlestibus & discere & docere* ipsi testificantur, repu-

e *Cler. Rom. ad Cyprian. ep. 31.*
f *Cypr. de lapsis.*

Ibidem. gnare ausit? *Quæso vos, fratres*, inquit Cyprianus, *acquiescite salubribus remedijs, consilijs obaudite melioribus, cum lachrymis nostris vestras lachrymas iungite, cum nostro gemitu vestros gemitus copulate. Rogamus vos vt pro vobis Deum rogare possimus: preces ipsas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis vt misereatur oramus. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam. Nec vos quorumdam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cœcitate, vt nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est, sicut scriptum est, Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis. Eiusmodi homines quantum potestis effugite, perniciosis contactibus adhærentes salubri cautione vitate. Sermo eorum vt cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsa pejus interficit. Illic superest sola pœnitentia quæ satisfaciat. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam cludunt. Ita fit, vt dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Vos vero, fratres, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus mali sui memor est, Pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens &*

longa

longa medicina non desit: Pœnitentia crimine minor non sit.

Quod si quis dixerit S. Cyprianum Romanumque Clerum de ijs agere qui persecutionis terrore dejecti à fide desciuissent, neque istiusmodi crimina nunc apud nos extare: haud difficile erit responsionis huius vanitatem, quam supra breuiter indicauimus, prorsus aperire. Cleri enim Romani & S. Cypriani testimonio constat, non eos tantum qui publicè Christum eiurassent, aut Idolis sacrificassent, aut cibos immolatitios degustassent, sed illos etiam qui pretio dato Libellos à Magistratibus redemissent, quibus à persecutionis periculo tuti præstarentur, quasi Imperatorum edictis paruissent, in lapsorum numerum repositos, & ad pœnitentiam vnâ cum ijs qui publicè Christum abiecissent, adactos, licet aliquanto remissiorem.

Docet vero Cyprianus ad Antonianum scribens, fornicatores & adulteros *Libellaticis* illis nocentiores esse, & acerbiori pœnitentia plectendos. Vnde colligit cum Ecclesia pœnitentiæ locum adulteris daret, multo magis eandem humanitatem ijs tribuere debuisse, qui cum præ fidei infirmitate Christi nomen publicè profiteri non auderent, Libellos à Magistratibus accepissent, ne id facere cogerentur. *Quanto multo*, inquit, *& grauior & pejor sit mœchi quam Libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccauerit: hic existimans sibi satis esse quod non sacrificauerit, errore deceptus sit; ille matrimonij expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad cloacam &* Cyp. ep. 52.

cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus & Dei templum deteſtabili colluuione violauerit, ſicut Apoſtolus dicit: quibus tamen & ipſis pœnitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur ſecundum ipſum Apoſtolum. Nec ſibi in hoc noui hæretici blandiantur, quod ſe dicant Idololatris non communicare, cum ſint apud illos & adulteri & fraudatores qui tenentur Idololatriæ crimine ſecundum Apoſtolum dicentem: Hoc enim ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator aut immundus, aut fraudator, quod eſt Idololatria, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. Et iterum, Mortificate itaque membra veſtra quæ in terra ſunt, exponentes fornicationem, immunditiam & concupiſcentiam malam & cupiditatem, quæ ſunt Idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei. Nam cum corpora noſtra membra ſint Chriſti, & ſinguli ſimus templum Dei, quiſquis adulterio templum Dei violat, Deum violat: & qui in peccatis committendis voluntatem Diaboli facit, Dæmonijs & Idolis ſeruit. Neque enim mala facta de Sancto Spiritu veniunt, ſed de aduerſarij inſtinctu, & de immundo ſpiritu natæ concupiſcentiæ contra Deum facere & Diabolo ſeruire compellunt.

Cum igitur vulgatiſſima ſint hodie flagitia, vt ſtupra & adulteria, quæ olim Eccleſia ſeueriori pœnitentia mulctanda cenſebat, quam fidei proditionem quæ non in apertam perfidiam erupiſſet: facile intelligitur Eccleſiam vniuſmodi pœnitentiæ legibus cuiuſquemodi peccata mortifera conſtrinxiſſe, ſiue ea fidei integritatem, ſiue morum ſanctimoniam violarent: Adeoque perperam exiſti-

mari, quæ à SS. Patribus de Pœnitentiæ necessitate disputantur, ea ad nostri temporis peccatores minimè pertinere, quos sæpe reperias multis sceleribus contaminatos, quæ Deus magis execretur, quam fidei negationem vi tormentorum extortam.

Demonstrant præterea Pauli sententiæ quas in eodem loco Cyprianus adducit, non solis impudicitiæ delictis, qualis est fornicatio & adulterium, pœnitentiæ necessitatem incumbere, sed vniuersis peccatis mortiferis, quæ ex Apostoli mente genus quoddam Idololatriæ efficiunt, quia *qui in illis committendis voluntatem Diaboli facit, ex cuius instinctu ea nascuntur, Dæmonijs & Idolis seruit.* Hæc est enim Cypriani sententia & cœterorum passim Ecclesiæ Doctorum. Vnde præclarè ab Augustino scriptum est, se cum à vera Religione alienus esset, ipsa superstitione sacrificasse Dæmonibus, quamuis ijs pro se sacrificari nollet. *Non enim vno modo* (inquit idem alibi) *sacrificatur transgressoribus Angelis.* Cyprianus. Confess. l. 4. c. 2. Ibid. l. 1. c. 17.

Quin etiam in eadem ad Antonianum Epistola S. Cyprianus scribit vniuersis quæ post baptismum committuntur mortalibus delictis eam pœnitentiam quæ lapsis indici consuerat à Deo constitutam. *Miror autem*, inquit, *quosdam sic obstinatos esse, vt dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit, Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod vtique ei dicitur quem constat cecidisse, & quem Dominus hortatur per opera rursus exur-* Cypr. ep. 52.

gere, quia scriptum est, Eleemosyna à morte liberat: & non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris baptismi & Redemptoris nostri gratia liberauit, sed ab ea quæ per delicta postmodum serpit.

Idem in Epistola 14. ad Clerum Carthaginensem pœnitentiam illam laboriosam quæ lachrymis & gemitibus, & assidua bonorum operum exercitatione peragi debet, vnicum lapsis post baptismum fidelibus remedium superesse demonstrat: *Memento*, inquit, *vnde cecideris, & age pœnitentiam:* (quod ad omnes spectat qui à baptismi gratia exciderint.) *Pœnitentiam autem ille agit qui diuinis præceptis mitis & patiens, & Sacerdotibus Dei obtemperans obsequijs suis & iustis operibus Dominum promeretur.*

In Epistola vero 55. ad Cornelium Episcopum vrbis Romæ duas duntaxat in cœlum vias agnoscit, Innocentiam & Pœnitentiam. Ex quo efficit, nullum ijs qui baptismi sanctitatem violauerint ad salutem aditum superesse, nisi satisfactione salutari vulneribus medeantur suis. *Primus*, inquit, *felicitatis gradus est, non delinquere*, (hoc est ab omni mortifero peccato se abstinere) *secundus, delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra & illibata quæ seruet; hîc succedit medela quæ sanet: quod vtrumque isti offenso Deo perdiderunt, vt & amissa sit gratia quæ de baptismi sanctificatione percipitur, & non supersit pœnitentia per quam culpa curatur.*

Denique ne quis dubitandi locus supersit, declarat non semel idem Sanctus, non in fidei tan-

tum caufis, fed *in minoribus etiam delictis quæ non in Dominum committuntur* (hoc eft quæ gloriam & honorem ipfius Dei non attingunt, fed mores aut debitum proximo officium) *pœnitentiam agi debuiffe* IVSTO TEMPORE, neque profitendi publicè apud Ecclefiam, quam verè & fincerè fcelerum quemque pœniteret, (quod illi vna *exomologefis* voce complectebantur) poteftatem factam fuiffe, *nifi infpecta vita eius qui pœnitentiam ageret*: Eaque omnia præcedere oportuiffe, fimul *cum impofitione manuum Epifcopi & Cleri, antequam ad communicationem venire quis poffet*. Ep.10.& 12. vid. fupr. Part. 1.c.13.

Nihil igitur relinquitur dubitationis, quin temporibus D. Cypriani totius Ecclefiæ confenfu (quæ quidem ab Ecclefia huius temporis, nifi ab hæreticis, & per facrilegam ac nefariam vnitatis dilacerationem disiungi non poteft) plurium dierum interuallo ante Communionem pœnitentiam peragi oporteret, vbi quis partum in baptifmo Euchariftiæ accipiendæ ius lethalibus peccatis amififfet. Cum vero Clerus Romanus in Epiftolis ad eundem Martyrem fcriptis teftis fit, ab Apoftolorum inftitutione fanctam illam difciplinam acceptam; Dei nutu effectum eft, vt ad pofteros deduceretur. Si enim Traditionis Ecclefiafticę feriem fequamur, eundem in pofterioribus ætatibus Ecclefiæ fenfum, eundem fpiritum reperiemus.

Quod vt breui conficiamus, nec longiori fermone implicemur, vniuerfæ Orientalis Ecclefiæ fententiam repræfentabit Vox illa publica & fo-

lemnis omnium Liturgiarum autore Chryſoſtomo, EXEANT QVOTQVOT SVNT IN POENITENTIA: Occidentalis vero Eccleſiæ celeberrimum illud præſtantiſſimi eius Doctoris ad Ianuarium ſcribentis effatum, quod poſteri ſemper oraculi vice habuerunt: Eum qui ſe mortiferis peccatis obſtinxerit, autoritate Antiſtitis debere ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem autoritate reconciliari, quoniam hoc eſt indignè Euchariſtiam accipere, ſi eo tempore quis accipiat quo debet agere pœnitentiam.

August. in ep. 118.

His duobus clariſſimis grauiſſimiſque teſtimonijs liquet id quod ex Eccleſiæ doctrina tradunt SS. Patres, vbi quis ſe aliquo crimine (qualis fornicatio, adulterium, furtum, blaſphemia, & alia eiuſmodi, quibus qui ſe contaminat à regno Dei, iudice Apoſtolo, excludetur) Euchariſtiâ indignum fecerit, iuſtum & legitimum temporis ſpatium intercedere oportere quo pœnitentiam agat, & quo ſi ad Euchariſtiam accederet, indignè illam acciperet. Hoc vero temporis ſpatium Confeſſionem antecedere non debet, quandoquidem rata & firma Eccleſiæ ſententia eſt, delicta Sacerdoti aperienda, vt eius præſcripto Pœnitentia agatur: Si quidem, vt præclare docet Gregorius, *Afflictio pœnitentiæ ad redimenda peccata tum demum idonea eſt, cum Sacerdotis iudicio fuerit imperata, cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* Ex quibus prorſus conſtat, ſi SS. Patrum inſtituta tenere voluerimus, ei qui ſe mortalibus

Greg. in 1. Reg. l. 3.



flagitijs inquinauerit, ea primum confessione pandenda, deinde seria solidaque pœnitentia eluenda, antequam ad Communionem se referat.

CAPVT XIV.

QVID SIT SS. PATRIBVS POENITENTIAM agere. Vbi nostri temporis Hæreticorum error de vi vocis Pœnitentiæ *confutatur.*



ÆTERVM vt Patrum doctrina quam hactenus enarrauimus de adigendis ad pœnitentiam peccatoribus antequam Communione donarentur, rectius possit percipi, videndum quid pœnitentiæ voce intellexerint. Cauendum enim hoc loco Hæreticorum error, qui nihil aliud huic verbo subijciunt, nisi mutationem meram consilij & voluntatem à peccatis abstinendi, referendique in melius vitam. Contra Catholici omnes Controuersiarum Scriptores luculentè demonstrant, ex communi Scripturæ & Patrum vsu, voce illa pœnam significari qua nos ipsi ob peccata afficimus, vnaque complecti, tum pœnitendi affectum & interiorem animi dolorem, tum externas corporis afflictationes & voluntarios cruciatus ex eo dolore quasi radice proficiscentes, quos & Scriptura passim notat dum [a] *in sacco & cinere, in ieiunio & fletu & planctu agere pœnitentiam* iubet.

Aduersarij ab ipso Pœnitentiæ nomine fundamenta iacere incipiunt errorum suorum, &c. Sed in eo multum errant Doctores isti grammatici potiusquam Theologi, quod vocũ significationes ex etymologia potius ducunt, quam ex cõmuni Scripturæ & bonorum Authorum vsu. Nam si non originem, ac deriuationẽ sed vsũ spectemus, videbimus nõ solum נחם & μεταμέλεσθαι, sed etiã שוב μετανοεῖν; & ipsum conuersione Nihil aliud VINDIC-

præcipue Pœnitere, velit nolit Erasmus, externum dolorem ac Pœnam ex interna profectam significare, &c. Itaque μετανοήσωσιν eo loco (*Matth.* II. & *Lucæ* IO.) significare potest, nisi corde simul, & corpore auersari peccata præterita, ET TAM DE ILLIS A SEMET REPETERE: *Bellarm. de Pœnit. lib.*1.*c.* 7.

a *Dan.* 9. *v.* 3. *Matth.* 11. *v.* 21. *Ioel.* 2. *v.* 12. &c.

Ne itaque peccatores ſeipſi palpentur, ac falſo ſibi perſuadeant ſe interiori pœnitentiæ ſenſu affici, niſi externis actionibus id approbent, dum facultas adeſt, neque quominus id faciant, vllo quod amoliri non queant impedimento retardantur. Fons viuus eſſe non poteſt niſi manantibus aquis foras exundet: neque Euangelio iudice vlla bona arbor, niſi bonos fructus pariat. Vt vera fides ſine oris confeſſione, vera charitas ſine bonorum operum prouentu; ita vera pœnitentia ſine ſatisfactionis fruge nulla eſt. Cum enim pœnitentia nihil aliud ſit SS. Patribus quam iudicium & ſententia voluntaria peccatoris in ſeipſum ad præuertendum Dei iudicium, conſtat vtique iudicium eiuſmodi æquum & legitimum eſſe non poſſe, niſi ſonti pœnam irroget, hoc eſt, ipſi peccatori: Hæc autem pœna in laborioſis pœnitentium exercitationibus & voluntarijs afflictationibus poſita eſt.

Iſid. Hiſpal. lib. 2. de Offic. Eccleſ.

Pœnitentia (inquit ſanctus Iſidorus) *nomen ſumpſit à pœna qua anima cruciatur & caro mortificatur.* Vnde Anſelmus: *Aliud eſt pœnitere, aliud pœnitentiam agere. Pœnitere eſt ante acta deflere & deflenda non committere. Agere pœnitentiam, eſt per pœnitentiam ſatisfacere ieiunando, eleemoſynas dando*, &c. Similique ſententia magnus Auguſtinus: *Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. Quid ita? Quia ad emendanda crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit; nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, ſed opera quæruntur.*

Anſel. in c. 3 Matth. vel ſi quis alius eſt autor horum Commentar.

Aug. ſerm. 57. de Temp.

Nam ſi à ſancto Ambroſio quæſieris quem verè

pœnitentem

pœnitentem putet. *Pœnitentem* (inquiet) *hominem dico qui plangit quod peccauerat, & rogat Dominum vt non iterum faciat quod admiserit. Pœnitentem hominem dico, qui diebus ac noctibus ingemiscit, & cum Propheta dicit; Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis. Pœnitentem hominem dico qui repellit quod male fecerat, & rogat Dominum vt veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se priuat. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, & quod fecerat mali deserit.* *Ambros. ser. 33. post 1. Domin. Quadrag.*

Si S. Pacianum roges, quæ sint opera Pœnitentiæ, qui actus propriè Pœnitentium? *Vides*, inquiet, *in sarmentis fructum requiri, id est bona opera pœnitentiæ, sicut Joannes ait, Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Vides sarmenta purgari, quæ sunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonij, vitæ labores,* *Pacian. ep. 3.*

QVI ACTVS PROPRIÈ POENITENTIVM SVNT.

Si D. Hieronymum percunctere, qui sensus esse debeat, qui affectus pœnitentis. *Sentiens*, inquiet, *anima se peccasse, & habere vulnera, & in mortuis carnibus viuere, & indigere cauterio, constanter dicit ad Medicum: Vre carnes meas, reseca vulnera, humores omnes, ῥεῦμα noxium adure, hellebori potione constringe. Mei vitij fuit vt vulnerarer: mei doloris sit vt tot tormenta sustineam, & postea sanitatem recipiam.* *Hieron. in Michæam. c. 7.*

Si à S. Augustino petieris, quid sit agere pœnitentiam. *Qui bene*, inquiet, *agit pœnitentiam, suus ipse punitor est. Sit oportet ipse in se seuerus, vt in eum sit* *Aug. ser. 34. de Diuersis.*

a Hom. 50. sub finem. *misericors Deus.*[a] *Neque sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere: nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis.*

Si S. Cæsarium Arelatensem Episcopum consulas, quid sit agere pœnitentiam? Respondebit, Cæsar. hom. 8. *Minuta peccata tum à nobis redimi cum infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto in Ecclesia ieiunio ieiunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius conuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris quoties petierint, indulgemus. Verum pro capitalibus*, inquiet, *criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ & rugitus & gemitus, & longe protracta ieiunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nosipsi valere possumus, erogandæ. Vltro nos ipsos à Communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes*, &c.

Si ex S. Gregorio sciscitere, num satis sit delicta confiteri, imo & ab ijs se abstinere, nec tamen operam dare vt plena satisfactione compensentur: Greg. lib. 6 in c. 15. lib. 1. Reg. Negabit vero, ac docebit: *Idcirco omnem confessionem peccatorum recipi, vt fructus pœnitentiæ subsequatur:*[a] a Part. 3. Pastor. Admon. 31. *Admonendosque esse qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat deleuit. Nec*

qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit, vt verba præmissa superbiæ, verbis subjunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat soluat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus è contrario appositis lamentis insequamur. Neque enim (vt ibidem ait) *Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrarijs medetur: vt qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus; & qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringendo surgamus; & cor quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat; & quod vulnerauerat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ.*

Si ex S. Isidoro Hispalensi Episcopo scire aueas, quid sit agere pœnitentiam. *Ille*, inquiet, *dignè pœnitentiam agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet & deflendo quæ gessit, tanto in deplorando profusius, quanto extitit in peccando procliuius.* Isidor. Hispal. lib. 2. sent. c. 13.

Denique si ad Bedam referas, quid sit agere pœnitentiam. *Sacrificate*, inquiet, *sacrificium iustitiæ, id est, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus pœnitentiæ: tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit pœnitentia.* Beda in Psal. 4.

Patet itaque ac perspicuum est, Patres omnes in eam conspirare sententiam, vt & peruersum Lutheri dogma conuellant, nihil aliud pœnitentiam esse nisi nouam vitam: & grauissimum Catholicæ do-

ctrinæ caput ſtabiliant; Hoc eſſe agere pœnitentiam, peccata ſatisfactione ſalutari expiare, lachrymis eluere, gemitibus & ſuſpirijs veniam à Deo exprimere, eleemoſynis redimere, bonis operibus tegere ne imputentur, ieiunijs abolere, carnis denique interitu ac ſugillatione extinguere. Quare cum ex conſentienti & perpetua eorumdem Patrum doctrina nemo mortiferi peccati reus antea ad Euchariſtiam adire debeat, quam agendæ pœnitentiæ munere defunctus ſit, atque indignè Chriſti corpus ſumat, quiſquis eo tempore ſumit quo debet agere pœnitentiam: facile intelligitur, quâ inſcititiâ affirmare audeas, *Nunquam in Eccleſiæ vſu poſitum fuiſſe, vt mortiferorum delictorum rei plures dies pœnitentiam agerent, antequam Communione donarentur:* & qua confidentia temeritatis eos accuſes, qui criminum conſcientia ſtimulati, & inſpirato cœlitus ad recuperandam baptiſmi dignitatem ardore inflammati, animum inducant aliquandiu pœnitentiæ exercitationibus incumbere, iiſque animæ labes & maculas abſtergere, priuſquam tam ſancta, tamque tremenda myſteria attingant.

Caluin. lib. 3. Inſt. c. 4. §. 58. & lib. 4. c. 12. §. 8.

Non ſum neſcius Caluinum eò impudentiæ progreſſum, vt omnes Patres hac in parte *immodicæ auſteritatis* accuſarit. Sed cuius tandem Catholici animus tantam Hæreſiarchæ iſtius procacitatem æmulari ſuſtineat, ne dicam impietatem, quæ eò pertinet, vt Eccleſiam probet tot ſeculis, quibus vt cum maxime floruit, veram & rectam reuocandarum

ad Deum animarum rationem ignoraſſe, eaſque nouercali potius animo quam materno tractauiſſe, cum innumeris ac minime neceſſarijs illas laboribus exerceret ac frangeret, gratiæque tot ſubſidijs ac muneribus diu fruſtraretur, quæ Euchariſtiæ perceptio afferre ſolet?

Non cadit in ſobrium hominem hæc cogitatio: nec ferenda eſſet arrogantia, quæ præſtantiſſimis Eccleſiæ Doctoribus ſpiritu Dei, ſanctorumque ſcientia cumulatis, aut diuinæ miſericordiæ immenſitatem minus quam ſibi perſpectam, aut charitatem & zelum remiſſiorem in fratrum ſalute maturanda, aut tenuius fuiſſe lumen quo zelum illum regerent, ſuſpicaretur. Verum cum propoſitum oculis ſemper haberent ſolenne Domini interdictum, ne ſanctum canibus detur, eam demum idoneam in peccatores manſuetudinem, æquamque miſericordiam ducebant, quæ cum lege ac verbo Dei congrueret, quemadmodum Regius Propheta orat, *Miſerere mei ſecundum eloquium tuum.* Quod explanans D. Ambroſius mirificè locum hunc illuſtrat. *In ipſa*, inquit, *Eccleſia vbi maxime* *D. Ambroſ. in Pſal. 118.* *miſereri decet, teneri quam maxime debet forma iuſtitiæ, ne quis à Communionis conſortio abſtentus, breui lachrymula atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus flectibus* COMMVNIONEM, QVAM PLVRIMIS DEBET POSTVLARE TEMPORIBVS, FACILITATE SACERDOTIS EXTORQVEAT. *Nonne cum vni indulget indigno plurimos facit ad prolapſionis contagium prouocari?* FACILITAS ENIM

VENIÆ INCENTIVVM TRIBVIT DELINQVENDI. *Hoc ideo dictum eſt, vt ſciamus ſecundum verbum Dei, ſecundum rationem diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus ipſe ſi ſerpentis interius inueniat vulneris cicatricem, cum debeat reſecare vlceris vitium ne latius ſerpat, tamen à ſecandi vrendique propoſito lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter breuem inciſionis, vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ vſus inereat? Recte ergo & Sacerdos vulnus graue ne latius ſerpat, à toto corpore Eccleſiæ quaſi bonus medicus debet abſcindere, & prodere vlcus criminis quod latet, non fouere: ne dum vnum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Eccleſia.*

Non ergo ſeueritate vtitur in peccatores, ſed ſalutari miſericordia & manſuetudine cum verbo Dei congruente, qui eos Euchariſtiæ deſiderio tantiſper angi ſinit, vt ad illam dignius recipiendam pœnitentiæ exercitationibus ſe comparent.

Itaque locum hunc tandem aliquando concludere licet illuſtri D. Ambroſij ſententia quam ſuperius iam deſcripſimus, de peccatoribus qui Euchariſtiæ cibum imbecillitati ſuæ vehementiorem aliquanto tempore ſibi ſubduci nolunt. NONNVLLI, inquit, IDEO POSCVNT POENITENTIAM, VT STATIM SIBI REDDI COMMVNIONEM VELINT. HI NON TAM SE SOLVERE CVPIVNT, QVAM SACERDOTEM LIGARE: SVAM ENIM CONSCIENTIAM NON EXVVNT, SACERDOTIS INDVVNT.

Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. 9.

CAPVT XV.

DILVITVR QVOD ADVERSVS PATRVM doctrinam de peragenda ante Communionem pœnitentia obijci potest: Illos Eucharistiam impertijsse morituris qui nullam ante pœnitentiam egissent. Vbi & quid Patres de morientium pœnitentia senserint, explicatur.



IHIL video quod adeo perpetuæ & consentienti Patrum doctrinæ de necessaria lethalium peccatorum per pœnitentiæ satisfactionem ante Eucharistiam expiatione, vel ad speciem opponi possit, nisi fortasse hoc vnum: Eos Communionem etiam extremo spiritu flagitantibus non negasse, quamuis antea nulla pœnitentia excultis. Ex quo effici posse videtur, minime ratos fuisse, pœnitentiæ peractionem Communioni necessariò esse præmittendam.

Verum nihil aliud hinc rectè colligas, nisi nullam adeo generalem regulam esse, in qua exceptioni locus non sit; nec legem adeo iustam, quam non temperet & inflectat æquitas; neque disciplinam adeo sanctam, quam prudentia Christiana interdum præterire non cogat. Quod ipsum libentissimè fatemur, vltro agnoscentes incidere posse tempora, quibus ex ipsa SS. Patrum mente reconciliari peccator possit & Communione donari, etsi laborioso pœnitentiæ munere ante defunctus non fuerit: vehementerque errare, qui secus opinetur,

omnemque prorſus abſolutionem & Communionem improbet, quæ ſatisfactionem anteuertat. Qui error Petri Oxomenſis iure ab Eccleſia damnatus eſt, præſertim eum multis alijs ijſque grauiſſimis adjunctus eſſet, quos in eodem Libello Hiſpanus iſte Theologus coaceruauerat, capitalem Sacramento pœnitentiæ labem ac perniciem importantes.

Cum vero id vnum hoc loco agatur, vt quid Patres ſenſerint exponamus, plurimi intereſt generalem regulam à ſingularibus exceptionibus, legis præſcriptum ab indulgentiæ temperamento, communem vulgaremque diſciplinam ab ijs quæ nonnunquam extra ordinem ac ſummum ius conceduntur, accuratè ſecernere.

Et quidem plurimis & apertiſſimis Antiquitatis teſtimonijs demonſtratum à nobis eſt, Patres omnes in ea fuiſſe ſententia, vt qui candidam baptiſmi veſtem mortiferi peccati labe inquinaſſent, non ante ſacræ menſæ accumberent, & diuina immaculati Agni carne veſcerentur, quàm multo tempore pœnitentiæ lamentis ſordes eluiſſent. Hæc conſtans & perpetua illorum doctrina.

Iam quod opponitur, vbi ſancta illa diſciplina obſeruari minimè poterat, peccatoribus graui & periculoſo morbo affectis, nec pœnitentiæ agendæ idoneis, nihilominus Euchariſtiam ijs, tanquam vltimum & maxime neceſſarium viaticum, ab Eccleſia conceſſam: ita non infirmat quæ de Sanctorum illorum mente docuimus, vt vel maxime comprobet,

comprobet, ac planum faciat, quanti ſalutare hoc inſtitutum fecerint, quod adeo ſtudioſè ſeruarent, vt niſi cogente neceſſitate, cum illius retinendi facultas excluſa eſſet, ab eo dimoueri ſe numquam paterentur.

Quanquam vt argumentationis iſtius inanitas facilius etiam intelligatur, non illud tantum attendendum, SS. Patres ad Communionem moribundos admiſiſſe, qui nullam dum valerent pœnitentiam obijſſent: ſed illud in primis animaduertendum, quo animo id egerint, quoque loco habuerint præproperas illas reconciliationes quas nulli pœnitentiæ fructus anteceſſiſſent.

Etenim ſeras iſtiuſmodi vicinaſque morti pœnitentias, emendandæque vitæ ſignificationes tam parui ſemper fecit Eccleſia, vt totis tribus ſeculis miniſterij ſui autoritatem, & quam à Chriſto accepit ſoluendorum criminum poteſtatem erga eos adhibere recuſarit, qui cum vniuerſum tempus ætatis turpiter & flagitioſè traduxiſſent, extremo demum ſpiritu ad eam confugiebant. Imo vero cum inhumanæ Nouatianorum acerbitati, qui nimia & immodica ſeueritate (vt eſt Hæreticorum genius præceps ad extrema) ſpem omnem pacis lapſis eripiebant, ſtudioſius obſiſteret, concertatioque hæc ipſa aduerſus eos qui è peccatis emergere niterentur mitiorem placabilioremque eam efficeret: tamen indulgentiam ac ſpem veniæ, quam omnibus vel nocentiſſimis offerebat, ijs ſolis concedendam non putauit, qui inſtante morbi diſcrimine, cum

peccata ſatisfactione redimere non poſſent, veniam poſtulabant.

Cuius rei autorem habemus Cyprianum in Epiſtola ad Antonianum: vbi importunam Nouatianorum in lapſos duritiem toto pectore refellens, & ſumma eloquentiæ vi demonſtrans, non occludenda ijs penitus Eccleſiæ viſcera, neque omnem veniæ ſpem eripiendam: indignos tamen hac Eccleſiæ benignitate habitos ſignificat, qui inſtante obitu eam expeterent, atque in ſupremis illis anguſtijs liberationem criminum quærerent, quæ iam pœnitentia expiare non poſſent. *Et idcirco,* inquit, *frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum.*

Cyp. ep. 52. ad Antonian.

Prima Synodus Arelatenſis ſub initium quarti ſeculi anno 314. congregata, ad quam Conſtantinus Imperator maximam Epiſcoporum frequentiam ex omnibus Occidentis regionibus euocarat, per quos Donati ſchiſma opprimeretur, idem ſtatuit in apoſtatas, qui cum ætatem egiſſent, pœnitentiæ, Dei, ſuique immemores, reconciliari ſe ab Eccleſia ſub mortis ictum poſtulabant, & ad Communionem admitti. Vetat enim hoc ijs tribui, niſi poſtquam conualuerint, & dignos pœnitentiæ

Ab Arelat. 2. Vocatur magna Synodus & ex omnibus mundi partibus congregata. *Can.* 18. & 24.

fructus exhibuerint, vt apertis celeberrimæ Synodi verbis vltimo canone sancitur: *De his qui apostatant & * antequam se ad Ecclesiam repræsentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt Communionem, placuit, eis non dandam Communionem, nisi reualuerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* Concil. Arelat. I. c. 23. *Alias, Nunquam se ad Ecclesiam repræsentant.

Quin & centum circiter post annis S. Exuperius Episcopus Tholosanus Innocentium I. Pontificem quasi de re dubia consulit, *Quid de his obseruari oporteret, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt.* Cui ita responsum ab Innocentio, vt quæ diximus perspicue confirmet. *De his*, inquit, *obseruatio prior durior: posterior interueniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur pœnitentia*, (hoc est, vt eis sola pœnitentia præscriberetur, quâ si conualuissent, peccata diluerent) *sed Communio negaretur*, &c. *Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesijs suis reddidit, iam depulso terrore Communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis, & ne Nouatiani Hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur.* Innoc. ep. 3. ad Exuperiũ

Cæterum licet Ecclesia antiquissimam istam disciplinam aliquantum postea remiserit, absolutionemque & Eucharistiam indulgentiæ causa ijs in morte non negandam censuerit, qui omissis dum valerent pœnitentiæ fructibus tanto se bene-

ficio indignos præbuiſſent: in ea tamen ſententia vſquequaque permanſit, præproperas atque intempeſtiuas eiuſmodi reconciliationes parum admodum tutas videri. Quare cum morientes, qui per pœnitentiam diligenter, vt perpetuus mos ferebat, præparati non eſſent, ad Communionem admittere cogeretur, eo faciebat animo, vt diuinæ illos miſericordiæ iudicioque permitteret, nec certam ijs ſpem dari poſſe profiteretur, Deum ratum habiturum in cœlo quod eius miniſtri in terris vi quadam & neceſſitate adducti egiſſent.

Hæc erat SS. Patrum de pœnitentijs atque conuerſionibus illis extremis ſententia. Atque hinc maximus Eccleſiæ Doctor fideles admonet grauiſſimis verbis, quæ veris pœnitentibus non minus ſolatij, quam ijs qui Dei benignitate abutentes pœnitentiam aſſiduè procraſtinant terroris & formidinis afferre debeant. *Dico*, inquit Auguſtinus, *in conſpectu Dei timori veſtro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, ſed malo ſuo. Certus ſum quia homo baptiZatus ſi vitam, non audeo dicere ſine peccato, quis enim ſine peccato? Sed vitam ſine crimine duxerit* (hoc eſt, ſine peccato mortifero) *&* *alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicenti: Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: quando vitam finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam, de laborioſa ad quietam, de miſera ad beatam. BaptiZatus autem deſertor & violator tanti myſterij, ſi agat pœnitentiam ex toto corde.... Si egerit veraciter pœnitentiam, &*

Aug. hom. 4.

ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam viuere debuit, poſt reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, à populo Diaboli ſeparabitur. Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam & accipit, mox reconciliatur & hinc vadit: fateor vobis non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis bene viuens ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſtea bene viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: vnde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum..... Vis te de dubio liberare, vis quod incertum eſt euadere? Age pœnitentiam dum ſanus es..... Tene certum, dimitte incertum.

Verum igitur illud quidem eſt, inde à quarto ſeculo moris Eccleſiæ fuiſſe, vt peccatoribus graui morbo oppreſſis, qui pœnitentiæ fructibus diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere non poſſent, aditus tamen ad reconciliationem & ad diuinorum myſteriorum vſum non præcluderetur. Sed vt rectè dijudicari queat, quidnam ex hoc more, imo ex hoc communis ac perpetui moris (quo peccatoribus ante pœnitentiæ functionem communionem attingere nefas erat) laxamento non abſurdè colligi debeat;

illud insuper animaduertendum quod ijdem docent Patres, Ecclesiam ea mente id egisse, vt quantum illis apud Deum reconciliatio eiusmodi opis afferret, magnoperè dubitandum arbitraretur, nec quenquam qui *fallere* nollet, posse ijs veniæ ista via assequendæ *securitatem dare*; quam illi demum à Dei benignitate non immeritò sibi pollicerentur, qui reconciliationem supplices peterent, postquam ea dignos se vera seriaque pœnitentia præstitissent.

Quis iam vsque adeo sibi ipse inimicus & salutis immemor sit, qui vbi sempiterna felicitas vel miseria agitur, non *certum teneat, dimittat incertum*? Qui non in hoc seculo delictis expiandis laboris aliquid tribuere malit, quam in æternorum cruciatuum periculum venire? qui denique satius non putet à Christi corpore separatum ad tempus, hac veluti damnationis imagine percelli, quam nimio illius studio elatum, neque repulsæ salutaris patientem in discrimen adduci, ne ab vniuersa Christi societate supremi Iudicis sententia in perpetuum præcidatur.

Atque vt intelligatur ea re potissimum morientium pœnitentiæ diffidisse SS. Patres, quod veris ac solidis fructibus deficeretur, audiendus in alio Sermone idem Augustinus. *Ego vos*, inquit, *dilectissimi fratres, hortor atque commoneo, vt si quis ex vobis conscius criminum suorum, indignum se Communione Ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo?*

Aug. serm. 57. de Tempore.

NISI ERRORES PRISTINOS RELINQVAT, ET POENITENTIAM PETAT; VT QVI CRIMINVM SVORVM SORDE POLLVTVS EST, EXOMOLOGESIS SATISFACTIONE MVNDETVR? *Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio:* PARVM EST PECCATOREM POENITERE, NISI POENITENTIAM PEREGERIT. AD EMENDANDA ENIM CRIMINA VOX PECCATORIS SOLA NON SVFFICIT; NAM IN SATISFACTIONE INGENTIVM PECCATORVM (hoc est, mortalium) NON VERBA TANTVM, SED OPERA QVÆRVNTVR. *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari. Sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus?* QVOMODO POENITENTIAM AGERE POSSIT, QVI NVLLA IAM PRO SE OPERA SATISFACTIONIS OPERARI POTEST? *Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicumque inuenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc seculo, si sanus esse vult in futuro.*

Hoc idem etiam vehementius scripsit Faustus Episcopus Regiensis, cum de istis ad mortem vsque protractis conuersionibus sententiam rogatus, spectansque quid vulgo accidat, non quid

præter consuetudinem, diuinæ misericordiæ abundantia efficere, si libeat, possit, respondit in hæc verba. *Inimica persuasione mentitur, qui maculas longa ætate contractas subitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confessio esse potest, satisfactio esse non potest. Nam quia Deus non irridetur, ipse se decipit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam iam semiuiuus adsurgit, vt tunc officiosus appareat, quando Dominicæ seruituti omnia corporis & animæ subtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis sanitatem, non solum accipiendi voluntas, sed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: Si, inquit, peccator pœnitentiam egerit pro peccatis suis (egerit, memorauit, non solum dixit, acceperit) in sua, inquit iustitia quam operatus est, viuit. Aduertis quod huiusmodi medicina sicut ore poscenda, ita opere consummanda est. Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit; & illo tunc incipit velle quo non potest. Opus itaque est, vt quam in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio; tanta sit in vulnerum curatione deuotio.*

Faustus Episc. Reg. ep. ad Bened. Paulinum.

Quanto maiorem hæc verba & quæ superius ex Augustino descripsimus in improuidos & negligentes illos vim habeant, qui posteaquam grauissimis criminibus Deum offenderunt, adduci non possunt, vt ei pœnitentiæ actione satisfacere studeant, fixum scilicet animo tenentes, se apud Deum satis superque liberandos atque absoluendos, si modo immania scelera Sacerdoti enarrauerint? Si Patres parum certam moribundi hominis, qui

qui se ad meliorem frugem redire velle contestatur, salutem habuerunt, quod pœnitentiam verè agere vix valeat, *qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest:* quid de ijs censerent, qui post violatam multis criminibus baptismi sanctitatem, se cum Deo reconciliatum iri confidunt, quantumuis pœnitentiam agere nolint, cum possint, nec aliam ob causam eam detrectant, quam quia animo sunt à pœnitentia alieno & abhorrenti. Si decumbentis imbecillitas atque impotentia non efficiat, quin SS. Patribus pœnitentia illius eo nomine suspecta salusque parum tuta videatur, quod offenso Deo facere satis non possit, qui sponte in istud ipsum vitium irruunt, quos nulla satisfactionis cura tangit, nullum criminum pœnitentiæ laboribus & ærumnis expiandorum, voluptatibus abdicandis elugendorum, bonisque operibus redimendorum studium tenet, ij socordiæ, & negligentiæ tanto periculo conjunctæ Patres autores dabunt, seque disciplinæ illorum aduersus morientes exemplo ac præsidio tuebuntur?

Quomodo pœnitentiā agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest. *August. serm. 57. de Temp.*

Etenim moribundus quidem singulari diuinæ misericordiæ beneficio eam gratiæ abundantiam accipere possit, tanto pœnitendi ardore cœlitus inflammari, vt voluntatis illius vis Deo iudice expleat, quod per corporis imbecillitatem minus exequi valeat. Atque hoc illud est quod Cæsarius docet: *Prodesse pœnitentiam quam quis nimia infirmitate desperatus petit, si cum grandi eleemosyna illam vnusquisque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam*

Cæsar. hom. 13.

tribuat; & quibuscum fecit injuriam veniam petat: & ita toto corde deliberet, & si euaserit quandiu vixerit, totis viribus illam cum rugitu & gemitu & cum multis eleemosynis humiliter ac fideliter agat.

Sed cum incerta nihilominus Patribus visa sit eorum salus, qui instante demum obitu se ad placandum Deum conuerterent, propterea quod plenus solidusque voluntatis motus rebus duntaxat & factis comprobetur; atque adeo vt de intima cordis mutatione liquidò constet, necesse sit, teste Augustino, *peccata ipse dimittat, non ipsum peccata,* hoc est, *eo tempore ea dimittat, quo & peccare possit:* quid causæ obtendat, aut quâ se ratione tueatur eius ignauia & pœnitentiæ odium, qui sanus valensque animi sui labes pœnitentiæ lamentis & exercitationibus quoad potest abstergere non laborat? Nam quì fidem faciat se pœnitendi voluntatem animo conceptam gerere, cum verba factis refellat, fierique omnino nequeat, vt pœnitendi sensus in animo verè infixus ad exteriorem pœnitentiæ actionem quantum facultas suppetit pœnitentem non impellat, quemadmodum fieri non potest, vt viua arboris radix suo tempore fructus & folia non pariat.

Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tẽpore quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiã ipsam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserũt, non tu illa. *Aug. hom.* 41.

Denique quo magis pateat, quam parui Ecclesia duxerit absolutiones Communionesque, quas pœnitentiæ fructus antegressi non fuissent, qui morbo oppressi eas consecuti erant, si forte conualescerent, quicquid factum illis fuerat, pro infecto habebatur. Non enim eos in reconciliatorum

V. Concil. Carth. 4. *can.* 76. & 78. *Epaunens. can.* 36. *Arausi.* 1. *can.* 3. *Nicæn. cã* 13. *Greg. Nyss. in ep. ad Letor. Synes. ep.* 67. *ad Theophil.*

numero reponebat Ecclesia, reconciliationem quam vi quodammodo eis & præter sanctissimas Patrum leges indulsisset, pro nihilo putans. Spectabat nihilominus, vt reos quibus diuinæ iræ pœnitentiæ operibus placandæ onus incumberet. Nihil inter illos aliosque qui peccatorum remissionem non accepissent discriminis statuebat: Pariter fletibus & lachrymis flagitiorum maculas iubebat expungere; longiore tempore à Christi corpore, vt eius perceptione indignos abscedere, nec se verè absolutos opinari (quamuis accepta in extremo periculo absolutione) quoad palam in oculis Ecclesiæ simul cum alijs penitentibus eam per impositionem manuum Episcopi consecuti essent.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione si superuixerint. *Conc. Carthag. 4. can. 78.*

Aperta sunt in eam rem Conciliorum decreta. Sed notandi potissimum Arausicani I. & Carthaginensis IV. Canones. *Qui*, inquiunt Arausicani Patres, *recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione* (per quam solenni ritu Episcopus pœnitentia functos à peccatis absoluebat) *eos communicare, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt. Quod si superuixerint*, STENT IN ORDINE POENITENTIVM, VT OSTENSIS NECESSARIIS POENITENTIÆ FRVCTIBVS LEGITIMAM COMMVNIONEM *cum reconciliatoria manus impositione recipiant*. Ex quo perspicuè intelligitur, Communionem quæ, *non ante ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus*, peccatoribus tribuitur, non

Arausi. 1. can. 3.

tam legitimam Communionem à Patribus habitam, hoc est Ecclesiæ legibus, & veræ illius voluntati consentaneam, quam velut vi quadam extortam, indulgentia, necessitate, coactioneque expressam, quam minimè largitura esset, si integra penitus & soluta libertate vteretur.

Synodus Carthaginensis IV. cum ei qui in infirmitate pœnitentiam petit, absolutionem & Eucharistiam dari statuisset, addit: *Si superuixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos qui pœnitentiam dederit probauerit.* Quæ verba declarant, quid causæ fuerit, cur morbo, quamuis graui afflictus, & suscipiendis pœnitentiæ laboribus impar, pœnitentiam nihilominus peteret, eaque illi indiceretur, vt nimirum disceret, animoque expenderet, quid pœnæ ob crimina esset commeritus, quantaque satisfactionis præsidio illa dissoluendi expungendique necessitate teneretur, si eam à diuina benignitate gratiam veniamque acciperet, vt prorogata vita necessaria ad pœnitentiæ functionem spatia, adjumenta, vires nancisceretur.

Conc. Carth. 4. can. 76.

Longissimè enim SS. Patres ab eorum opinione aberant, qui nullum maius à Deo beneficium tribui homini posse arbitrantur, quam vt ab inopina morte illum vindicet, & ad extremum vsque spiritum rationis & iudicij liberam ei facultatem permittat: rati scilicet quotquot ante obitum, cum aliqua de peccatis doloris significatione & volun-

tatis Deum deinceps ſanctius colendi, abſolutionem accipiunt, quantumuis flagitiosè vixerint, ſine vlla dubitatione ſalutem conſequi. Vnde nata vulgaris vox, Nunquam facilius quam è patibulo vel carnificina in cœlum conſcendi. A qua ſententia Sanctiſſimi illi viri adeo abhorrebant, vt S. Auguſtinus à Macedonio, qui tum Africæ cum imperio præerat, rogatus, cur Epiſcopi quibus probari deberent maleficiorum pœnæ, tam ſtudiosè pro reis damnatiſque deprecarentur, hanc præcipuam affert cauſam: quod charitate compellerentur de miſerorum illorum ſalute laborare, & vitam ijs quoad poſſent producere, vt morum emendandorum, offenſique criminibus Dei pœnitentiæ operibus placandi ſpatium ne deeſſet. *Nullo modo*, inquit vir ſapientiſſimus, *culpas quas corrigi volumus approbamus, nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum eſſe, quia placet; ſed hominem miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quanto magis nobis ipſis diſplicet vitium, tanto minus volumus inemendatum perire vitioſum. Morum porrò corrigendorum nullus alius quam in hac vita locus eſt; nam poſt hanc vitam quiſque id habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideo compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, vt non poſſint finire ſupplicium.* *Aug. ep. 54.*

Quod ſi tantuli negotij eſt ac temporis, hominem qui magnam ætatis partem in vitijs flagitijſque contriuerit, cum Deo in gratiam reſtituere; vixque vlla certior in cœlum via, quam carnificis

manu ſcelerum pœnas luere; corruit funditus quicquid ad Eccleſiæ pro nocentium vita deprecantis defenſionem ab Auguſtino affertur. Prompta enim erat & expedita Africæ præfecto reſponſio: Laudandam quidem Epiſcoporum ſollicitudinem & charitatem, ſed non continuò iudiciorum ſeueritatem infringendam, prohibendoſve principes, qui à Deo gladium acceperint, miniſtrique illius & vindices in maleficos conſtituti ſint, munere ſuo perfungi; quandoquidem trium, quatuorve horarum ſpatio ad mortem Chriſtianè ſanctéque obeundam ita comparari nocentiſſimi quique facile poſſent, vt à ſupplicij ignominia ad æternam gloriam proueherentur. Quid enim ad hanc orationem reponi poſſet, ſi nobiſcum Patres ſenſiſſent?

Sed vt planius etiam fiat, quantum à noſtris ſenſibus diſcreparent, quamque rarum & arduum exiſtimarent poſt longam ætatem prauè & nequiter actam cum Deo reconciliari, niſi *iuſto tempore*, vt toties ait Cyprianus, acriter & accuratè pœnitentia agatur; non alienum arbitror hîc referre, quod in Vitis Patrum prodit Ruffinus accommodatiſſimè ad hunc locum. *Erat in deſerto Thebaïdos nobiliſſimus Anachoretarum Pater, nomine Mutius. Hic cum fratrem quendam viſitaſſet decumbentem, vbi vidit eum quietem mortis difficulter accipere, & grauiter conſcientiæ ſuæ metu redargui, ait ad eum: Cur imparatus es, fili, ad profectionem? accuſatrix vt video ignauiæ tuæ tecum ſurgit conſcientia. Tunc ille exorabat eum dicens: Obſecro te, Pater, intercede pro me apud Deum,*

Ruffin. de Vitis Patrum lib. 2. c. 9.

vt mihi parui temporis ſpatium largiatur, quo poſſim emendare vitam meam. At ille dixit ad eum: Nunc ſpatium pœnitentiæ requiris, vbi vitæ tempus impleſti. Quid faciebas in omni hoc vitæ tuæ tempore? Non potuiſti vulnera tua curare: quin imo & recentiora ſemper addebas. At ille cum permaneret exorans, ait ad eum ſenex: Si vltra non addas malis tuis mala, orabimus pro te Deum. Bonus eſt enim & patiens & indulget tibi parum aliquid temporis vitæ, vt omnia debita tua perſoluas. Et cum poſt hæc oraſſet Deum, ſurgens de oratione, ait ad eum: Ecce tres annos Dominus tibi conceſſit in hac vitæ; tantum, vt ex animo ad pœnitentiam conuertaris. Et apprehenſa manu eius eleuauit eum de lecto. At ille ſurgens ſine aliqua dilatione ſecutus eſt eum in deſertum. Et vbi completi ſunt tres anni, poſtea reuocabat eum ad locum, vnd eum aſſumpſerat, iam non quaſi hominem, ſed quaſi Angelum ex homine Deo conſignans, ita vt omnes mirarentur de conuerſatione eius. Cumque conueniſſent ad eum fratres plurimi, ſtatuit eum in medio, atque ex ipſo materiam ſumens, per totam noctem doctrinam de fructibus pœnitentiæ & conuerſionis eius produxit ad fratres. Ipſo vero ſermonem faciente, quaſi dormitare frater ille cœpit paululum, & continuo in perpetuum quieuit.

Non hîc homo loquitur, ſed Deus; & miraculis quidem, quorum acerrima vox eſt, duo hæc ab vniuerſis Patribus tradita confirmat. Primùm rem eſſe plenam periculi ad extremum vitæ diem conuerſionem differre: ſeroque illum ſapere, qui de faciendo diuinæ iuſtitiæ ſatis, tum demum cogitare

aggreditur, cum ad reddendam rationem euocatur. Alterum, (si inusitatos quosdam euentus quibus eximia infinitæ bonitatis exempla interdum edenda Deo videntur, excipias) vix satis esse temporis momenta horasve pauculas multorum annorum debitis exoluendis: diuturnarum lachrymarum vi diuturna flagitia elugenda, & altis inueteratisque vulneribus diligentem longamque faciendam medicinam.

Cyprian. de lapsis.

Ex quibus omnibus iam intelligitur, quod ex morientium reconciliatione petebatur argumentum ad infringendam Patrum doctrinam de lethalibus criminibus ante Communionem pœnitentia piandis, eo ipso eam vehementius comprobari. Tum quia cum ea esset non lex, sed perpetuæ legis exceptio, legem ita non tollebat, vt firmiorem etiam efficeret: Tum quod hanc hominum reconciliandorum rationem, qua contra ptopriam voluntatem & præcipuam Ecclesiæ mentem vti cogebantur, parum tutam ducerent: Tum denique quod qui eo pacto Communione accepta conualuissent, eos istiusmodi reconciliatione, vt ita dicam, repudiata, ad pœnitentium ordinem referre se iuberent, *legitimam* Communionem *non ante recepturos, quam ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus* mentis ad meliora conuersionem testatam fecissent.

Conc. Arausf. I. can. 3.

Capvt

CAPVT XVI.

RVRSVS OCCVRRITVR OBIICIENTIBVS: Homines more Patrum diuturniori pœnitentiæ operam dantes, si absolutionis expertes moriantur, in salutis discrimen venturos.



ANTEQVAM longiorem hanc de pœnitentia ad Patrum normam exigenda disputationem claudamus, alteri Objectioni magis etiam populari, quæ secularium hominum de Dei gloria parum laborantium, ac suis commodis omnia metientium animos facile subit, occurrendum est. Si mea, inquiunt, pœnitentiæ agendæ causâ, absolutio differtur, atque interim me, vt sunt humana, mors opprimat, æternæ mihi damnationis periculum struitur.

Quam Objectionem aspernari facile liceret, atque vno verbo depellere breuiter respondentem, eam ab omnibus Patribus de animarum salute nihilominus quam nos sollicitis, pro nihilo habitam. Cum enim æquè vereri possent, ne pœnitentes ante perceptam absolutionem morerentur, tamen ea re deterriti non sunt, ne *omnibus post baptismum peccantibus*, vt Cardinalis Bellarminus agnoscit, *grauissimos labores imponerent antequam reconciliarentur*. Nec vero eadem ista formido Beatissimum Carolum Cardinalem morata est, quominus absolutionem à Sacerdote sæpissimè differri iuberet, quemadmo- *Bellarm. de Baptism. c. 7.*

dum alibi demonſtrabitur. Poſtremò conſtat inter ſaniores Moralis Theologiæ, & conſcientiæ, vt vocant, caſuum Interpretes, fas eſſe Sacerdoti quotieſcumque expedire videatur, præſcriptæ pœnitentiæ antequam hominem abſoluat, actionem exigere. Quo ipſo ſatis indicant quam parui fecerint inane iſtud terriculamentum, cuius obtentu facile ſe peccator quiſque iudicis ſui iudicem conſtituat, eumque reconciliationis ſententiam ne temporis quidem puncto differendam adigere poſſit.

Verum vt vltra etiam progrediamur, quamque ratio illa quæ prima ſpecie maxime plauſibilis videtur, reipſa ſit abſurda, planiſſimum fiat, conſideremus primo, quinam ſint quos tangat hic metus: tum qui ſint quos per cauſam illius formidinis à ſuo munere atque officio fungendo abducere conentur: denique veruſne ac iuſtus ſit iſtorum metus, quidque de illis qui eo ſtatu in quo mori vſque adeo fugiunt, hoc eſt, in medio pœnitentiæ curſu nondum per Sacerdotem abſoluti moriuntur, ex Patrum doctrina ſentiendum ſit.

Si igitur expendas primum qui ſint qui ſe ad peccata priuſquam abſoluantur tantiſper lugenda compelli nolunt, ac diſciplinæ huius æquitati inanem mortis ante abſolutionem impendentis metum opponunt: inuenies homines magnam partem flagitioſæ vitæ ſordibus immerſos, quorum animum ter quaterve quotannis, tenuis cœli & inferorum memoria ſubit, cum videlicet ſolenniori

die festo occurrente, peccata quæ intra octauum diem, vel etiam citius redintegrabunt confiteri, ciuilis officij causa coguntur. Istorumne tandem, dum Dei misericordiam precibus & lachrymis ante impetrare iubentur, quam se gratiæ illius reconciliatione dignos deputent, idonea, si superis placet, excusatio habebitur, dilationem illam iccircò subeundam sibi non videri, quod in ipso pœnitentiæ stadio iniquiorem atque infelicem mortem extimescant.

Obsecro te, quisquis hoc sentis, quæ, malum, est ista peruersitas? Decem, aut viginti plus minus ab hinc annis vitam prorsus Ethnicam viuis, Euangelici serui nequitiam referens qui de domini reditu nihil cogitat. In medio flagitiorum atque impuritatum cœno secura mente volutaris. Tuas in improbis voluptatibus perfruendis libidines nullus Dei metus exagitat: Tu illius germanus simillimusque es; *in cuius conspectu*, vt ait Scriptura, *non est Deus, cuius viæ inquinatæ sunt in omni tempore*; Nunc cum conueniris atque compelleris vt de susceptis criminibus cogites, vt ijs lugendis, Deique misericordiæ pijs operibus eliciendæ spatium sumas, ferre scilicet posse te negabis, quod metuas ne non absolutus moriare? Quis non videat vanum istud esse territamentum, ac ludibrium Diaboli arte confictum, vt miseris vnam quæ superest ad Deum seriò sese referendi, atque à laqueis quibus eos irretitos tenet, non specie atque opinione hominum, sed verè ac Deo iudice sese extricandi

viam præcludat? Mortis ac Dei iudiciorum metu à peccatis concipiendis abduci, atque ad ea, si forte iam concepimus, pœnitentiæ ope tollenda adduci nos par est. Hic contra dolosus hostis timorem eripit vt impellat in crimen, eumque obijcit ne crimina dignis pœnitentiæ fructibus eluantur, atque vt præcoci absolutione fallacia vulneribus remedia comparentur. Quod idem plerumque pudori accidit: eum enim pessimus Dæmon auertit, vt pudenda committamus, rursusque opponit ne commissa fateamur, & pœnitendo purgemus.

Cæterum excusationis istius leuitatem illa ipsa ratio vel planissimam facit, qua te metu expedire salutemque in tuto collocare instituis. Nisi enim tibi ipsi tenebras offundere iuuat, nonne diuturna experientia fateri cogeris, præproperam illam quam tantopere flagitas absolutionem id vnum tibi præstituram, vt pauculis omnino diebus in eo quem per eam assecuturus tibi videris gratiæ statu permaneas, teque mox in pristina scelera ad plures menses atque ad alteram vsque confessionem æstu quodam prauæ cupiditatis reuoluendum. Quare vt tibi in Dei gratiam reditus tam exploratus esset, quam dubium suspectumque esse par est, tamen nihil aliud consequerere, nisi vt ad beate moriendum quinos aut senos dies paratior existeres, ad pereundum vero in perpetuum solidos menses. At per salutarem quam tantopere fugis dilationem nihil aliud agitur, nisi vt ab exitiabili peccatorum seruitute semel expeditus, in Dei filio-

rum libertatem vindicere, cuius, autore Augustino, primus gradus est, *carere criminibus. Cum enim cœperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis Christianus homo) incipit caput erigere ad libertatem.* *Aug. Tract. 41. in Ioann.*

Nonne igitur absurde ac stultè sanitatem puncto temporis auolaturam firmæ ac stabili anteponas, quod illam momento parari posse putes, hanc tardius ac laboriosius quærendam esse intelligas? Quod si quid tibi vel odij peccatorum, vel animi in tanta calamitate demissioris, vel in Deo spei ac fiduciæ inesset, sine quibus ex animo pœnitens esse nemo potest, longissimè vtique ab huiusmodi cogitationibus abhorreres. Flagitia enim vt par est execrans animus adeo pœnis ac supplicijs quibusuis digna perspiceret, vt ad iram Dei quam meruere declinandam, nullam non tibi ærumnam ac vexationem vltro subeundam putares. Nec vero offensionem illius sedaturus, sed magis etiam accensurus tibi videreris, si quonam pacto iustitiæ illius per pœnitentiæ laborem faceres satis, nihil sollicitus, ea tibi continuò condonari postulares, ac facile Beati Petri delictum silentio lugentis, nec ad petendam quidem veniam verbum facere audentis, sensum cogitationemque susciperes. *Inueni*, inquit Ambrosius, *cur tacuit Petrus. Ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. Lachrymæ enim veniam non postulant, sed merentur.* Hæc pia animi affectio hominem vere pœnitentem decet, peccatorum suorum pondus diuinitus sentientem, non illa proter- *Ambros. lib. 10. Commēt. in Luc.*

ui animi confidentia, quæ de Deo gemitibus, precibus, ac bonis operibus placando ſecura, reconciliationem gratiæ illius continuò ſibi deberi contendit.

Cæterum nonne vel dejectione illa humilitateque animi, quam tibi peccati ſponte ſuſcepti calamitas ipſa indicit, prohiberi te oporteat, ne pœnitentiæ ſummiſſione contumaciter repudiata, Dei miſericordia te indignum præſtes? *Quid enim*, inquit Auguſtinus, *tam dignum miſericordia quam miſer? Et quid tam indignum miſericordiâ, quam ſuperbus miſer?* Quippe eodem Auguſtino iudice, ea eſt hominis poſt grauia crimina pœnitentiæ onera defugientis contumacia, vt ei vni, ſi cætera abſint peccata, æterna pœna debeatur. *Et reſiſtit mihi*, inquit, *filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei*, &c. *Quæ iſta ſuperbia eſt? Nonne ſola ſufficeret gehennæ, etiamſi adulterium nullum eſſet?*

Proſper in Sent. ex lib. 3. de lib. Arb. c. 10.

Aug. hom. 49.

Poſtremò nonne Dei fiducia abjecto metu ſpem tibi magnam facere debet, cogitanti non temerario fortunæ caſu, ſed ſuprema ipſius voluntate, atque æternæ prouidentiæ legibus vitam tuam omnem, mortemque gubernari. Si enim illius benignitas viuere te ſiuit, cum ad eum violandum conceſſæ vitæ beneficio abuterere: quanto æquius confidas, vbi ipſius gratiæ impulſum ſecutus totum te illi dedere ac vitam reliquam deflendis ſuperioribus peccatis addicere ſtatueris, non tibi lucis vſuram ab eo mox ſubtractum iri? Quod ſi eius patientia, autore Apoſtolo, in medijs te crimini-

bus, vt ad pœnitentiam adduceret, pertulit: quæ ratio eſt, tum cum illam ad quam te vocabat pœnitentiam aggreſſus fueris, ne te deſerat extimeſcere? Quî tandem conuenit, vt cum te per impœnitentiam theſaurum iræ coaceruantem tam amanter indulgenterque acceperit, tum demum iram in te profundere incipiat, cum te gratiæ ipſius vis ad theſaurum miſericordiæ ſerio labore colligendum cœperit accendere?

Iam vt ad ſecundum caput accedamus, quamque iſtius quem prædicant timoris rationem Sacerdotem habere oporteat, conſideremus: concedo ſane vt metuas ne non abſolutus moriare. An propterea cenſes mihi ab officio diſcedendum; vt videlicet improuida facilitate ſacrilegiorum tuorum particeps factus, in idem me tecum damnationis diſcrimen inijciam? Tu, ne abſolutionis expers moriare, times: ego vero ne præpropera quam flagitas abſolutio in deteriorem etiam ſtatum te adducat. Timeo, inquam, ne me abſoluente in terris, à Deo in cœlo condemneris. Timeo ne fallacem tibi pacem ingeram, quæ te vitiorum ſomno altius mergat. Timeo ne tuis meipſum criminibus irretiam, dum ea degeneri clementia foueo, nec te ad ea, vt Concilium iubet, ærumnis ac laboribus eorum grauitati paribus eluenda compello. Timeo ne dum te ad Dei menſam inconſultè adhibeo, anima tua impura etiam & inquinata venenum illic, non cibum hauriat; mihique aliquando iure à Christo exprobretur, toties diuiniſſimorum My-

steriorum violatam à me sanctitatem, quoties eam alijs flagitiosâ ignauiâ violandam concessero. Vtrius tandem timoris tui an nostri potior ratio habenda est?

Præclare in hunc locum Cyprianus, peccatores quidem qui se statim reconciliari postulent, excusationis nonnihil habere videri. *Quis enim non mortuus viuificari properet? Quis non ad salutem suam venire festinet? Sed præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ouium pastores esse debent, lanij fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.*

Cypr. ep. 11.

Non igitur Dei duntaxat gloriæ asserendæ causa, Mysteriorum illius violationem capitis nostri periculo, vt docet Chrysostomus, Christique Sanguinis dedecorationem ipsa sanguinis nostri profusione depellere debemus: sed etiam ipsa animarum vtilitatis ratio, quibus perfecta sanitas aliter restitui non potest, salutari illa dilatione vti compellit. Quocirca nec præceps eorum studium, nec vanam sollicitudinem pensi habere oportet: Animarum perinde ac corporum medicos non prauis ægrotantium cupiditatibus, sed diuinissimis cœlestis medicinæ præceptis eorum curationem accommodare & dirigere par est: quos si perniciosa indulgentia corruperint, exitij illorum apud æternum Iudicem culpam sustinebunt.

Chrys. hom. 83. in Math.

Qui peccantem, inquit idem Cyprianus, *blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat;*

Cyprian. de lapsis.

ſtrat; nec comprimit delicta illa, ſed nutrit. At qui conſilijs fortioribus redarguit ſimul, atque inſtruit fratrem, promouet ad ſalutem. Imperitus eſt medicus qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum mortale virus incluſum dum ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum cum ſenſerit ſanitatem.

Ergo vbi criminibus coopertus quiſpiam abſolutionem odioſius flagitat, non vſque adeo dimittendorum peccatorum conceſſam nobis à Chriſto poteſtatem meminiſſe debemus, vt nobis olim de eiuſdem poteſtatis vſu reddendam Chriſto rationem obliuiſcamur. Peccatorum quidem iudices ſumus, ſed ſuperiori iudici militamus. Atque vt ſalutis animarum cupidiſſimi ſimus, eis tamen fructuoſam operam dare non poſſumus, niſi Dei voluntate atque inſtitutis eam metiamur ac temperemus.

Si enim condonandorum peccatorum poteſtatem ita nobis creditam exiſtimabimus, vt pœnitentibus nihil ad capiendum ex ea fructum de ſuo afferendum putemus, in graui errore verſabimur. Quare in vtenda illa poteſtate ſerui fidelis prudentiam, vt debemus, minimè præſtabimus, ſi eadem indiſcriminatim aduerſus quoſlibet, omni affectionis animorum explorandæ cura ac ſollicitudine abjecta, vti volemus. Vix autem explorati

quicquam, post grauia præsertim crimina ac sæpius repetita, de ijs haberi possit, nisi firmius aliquid quam verba & voces afferant, ac veris pœnitentiæ operibus cor verè contritum demonstrent.
Gregor. lib. 6. in c. 15. lib. 1. Reg. *Tunc namque verè conuersum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.*

Rogat Samuëlem Saül vt peccatum suum veniæ à Deo obtinendæ causa in se suscipiat. Abnuit Samuël, *Et illâ Prophetæ constantiâ*, inquit celeberrimus Pontifex, *quidam nimis clementes huius temporis Sacerdotes arguuntur, qui conuersatione infirmi sunt, temeritate fortes: sese vix sustinent, & portanda suscipere aliorum onera audent: leuia sua non ferunt, & importabilibus se subijciunt. Ecce fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati, vt Sacerdos Ecclesiæ timeat, & peccatorum importabilium pondera subire pertimescat.*

Idem ibid.

Quonam igitur pacto tuorum me peccatorum sarcinam subire iubes, cum eorum ipse pœnitentiam defugias; illorumque par sis, qui vt ibidem ait idem S. Pontifex: *Ad peccatum fortes sunt, ad flenda peccata debiles volunt quidem peccati delectationibus resolui; sed pœnitentiæ nolunt acerbitate purgari...... Qui etiam sponte ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, sed pœnitere alios obsecrant: fide sola saluari æstimant, per pœnitentiam reuertere abjecti non curant.*

Ibidem.

Denique vt timoris istius fundamentum quale sit, quod tertio loco tractandum suscepimus, ex-

cutiatur: fateor graue quidem & acerbum eſſe pœnitentem non reconciliatum emori, velut cum Catechumenus ante Baptiſmum morte opprimitur. Paſtorem Euangelicum eiuſmodi caſus auertendi cauſa nihil non facere ac moliri oportet. Atque huius præter alia officij ratione adductus Auguſtinus cenſet Epiſcopo ingruente barbarorum manu quorum impetus fuga declinari poſſet, in ſtatione ac parœcia propoſito etiam vitæ diſcrimine perſtandum.

Sed primùm ægrè admodum id eueniat, cum præter aſſiduam ſollicitudinem quam Sacerdos pœnitenti cuius abſolutionem diſtulerit tribuere debet, nemo eſt Sacerdos cui eum impendente morte, etſi repentè oppreſſus Confeſſionem iterare non poſſit, abſoluere non liceat.

Deinde, vt quod perrarò accidere videtur poſſe, interdum accidat, illius tamen ſaluti confidere par eſſet, qui vehementi peccatorum dolore permotus, ac priſtinæ vitæ prauitatibus per pœnitentiæ fructus eluendis pro viribus incumbens, ante abſolutionem ad quam votis omnibus anhelabat, repentina morte extinctus eſt, cum præſertim conſilijs SS. Patrum obtemperans, non nudis illam & inanibus verbis ſed gemitibus, lachrymis, orationibus, eleemoſynis, atque omni piorum operum molimine peteret & conſectaretur.

Et quidem hæc de illis fuit ſemper Eccleſiæ ſententiæ, quæ in pœnitentia ſtadio morte occupatos perinde vt in Chriſti pace defunctos haberi,

eorum nomine oblata accipi, ac per diuinissimum sacrificium quietem illorum à Deo postulari iussit. Conc. Carth. 4. can. 79. *Pœnitentes*, inquit Concilium Carthaginense, *qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si in casu, in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit; memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.*

Idem à II. Concilio Arelatensi decernitur his Concil. Arelat. 2. can. 13. verbis : *De his qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit nullum* Communione *vacuum debere dimitti, sed pro eo quod honorauit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.*

Ex quo intelligitur, cum quis in pœnitentiæ decursu nondum reconciliatus, nec Sacramentis restitutus repente decederet, Ecclesiam ad detrimentum illud resarciendum omni ope allaborare solitam, ac pia quadam solertia quibuscumque modis testatum facere, casus illius acerbitate non se impediri, quominus eum & suorum numero filiorum, & corporis sui societate complecteretur, quamuis eam in hominum oculis viuens non recepisset. Quare propinqui illius vel amici Sacrificio aderant, solennia dona, hoc est panem in primis & vinum ex quibus sanctissima Eucharistia conficeretur, ipsius nomine oblaturi : quæ Ecclesia cum susciperet, eum Mysteriorum communione dignum profitebatur, quod, vt ait Concilium, *pœnitentiam honorasset* : cumque ille laboriosas idoneæ satisfactionis exercitationes ex animo subijsset, id quod Sacerdotum visibili ministerio defuerat, in-

uisibilis Iudicis potestate suppletum existimabat, vt absolueretur in cœlo qui in terris absolui non potuisset.

Verum alterius Gallicani Concilij ita illustris & expressa est de eadem re sententia, vt nihil sit quod vltra requiras. Quæ enim de subitis illis pœnitentium mortibus statuit, ita illis fausta ac solatij plena sunt, vt meticulosissimo cuique metum demere valeant, & durissimum quemuis coarguere, vanam illam quam præ se ferunt mortis ante reconciliationem obrepturæ formidinem pœnitentiæ declinandæ voluntati ab ijs temerè prætexi. *Pro his qui pœnitentia accepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viuentes, sine Communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu persequendam: quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysterijs iudicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.* Hoc est, qui ita forsitan se habebant, vt etiam extra mortis periculum, quamuis præscriptæ pœnitentiæ tempus nondum explessent, tamen Episcopo eos integrè ac perfectè reconciliare & sacra Eucharistia impartire licuisset, ea potestate quam illi Canones faciunt, pro varia pœnitentium affectione & habitudine, vel

Conc. Vasense sub Leone I. can. 2.

contrahendorum pœnitentiæ temporum vel producendorum.

Ita Ecclesiæ iudicio constat, animi Deo sese subijcientis humilitatem nemini vnquam detrimento esse: plus expedire peccatori piam & verecundam à Sacramentorum vsu discessionem, quam præcipitem audacioremque accessum; peccata eo citius à Deo homini condonari, quo diutius se reum ipse attendat, & in peccatorum luctu ac dolore versetur. Denique si nos ita pœnitentiæ incumbentes, vitijs extinguendis, vt vni Christo viuamus, sedulo operam dantes; illius, qui iudex nobis & medicus à Deo constitutus est, præceptis ac monitis diligentissimè obsequentes; debitam criminibus nostris mysteriorum interdictionem demisissimè accipientes, ac vehementi nihilominus illorum recuperandorum flagrantes studio, quoad dignis laboribus promerenda stimulemur, obitus repentinus interceperit: eadem Ecclesia censuit, etsi absolutionem tantoperè expetitam assequi à Sacerdote non detur, Deum certe misericordiæ in nos suæ non defuturum, peccatorumque omnium gratiam eo etiam benignius facturum, quo in ea petenda humiliores nos summissioresque præbuerimus.

Præclare Augustinus de necessitate baptismi disserens: *Sicut in illo latrone*, inquit, *quod ex baptismi Sacramento defuerat compleuit Omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem*

August. de Bapt. contra Donat. lib. 4. c. 24.

gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri. Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis; sed salutem hominis ex vtroque compleri: nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, vt alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in Latrone: Complente Deo siue in illo, siue in isto quod non ex voluntate defuisset: cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui. Ib. Cap. 25

Eadem mente Augustini Doctor Ambrosius Imperatorem Valentinianum vt à Deo electum, & ex huius mundi calamitatibus ad æternam felicitatem perfruendam ereptum commendat: quamuis ille ex Arbogastis insidijs immatura morte peremptus expers decessisset baptismi, quem ob eam caussam distulerat, vt à sancto viro perciperet, nouæ ac cœlesti vitæ patrem habiturus quem olim Arianorum errore occupatus hostis acerbissimi loco insectatus fuerat. *Audio*, inquit, *vos Principis casum maxime dolere, quod non acceperit Sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit*, &c. *Non habet ergo gratiam quam desiderauit? Non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit. Et vbi illud est: Iustus quacumque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit...... An quia solenniter non sunt celebrata mysteria? Ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint coronentur; non enim coronentur si non initian-* Ambros. de obitu Valentin.

tur. Quod si suo abluuntur sanguine; & hunc sua pietas, abluit & voluntas..... Nec nos quidem dubitamus de meritis Valentiniani, sed iam credamus vel testimonijs Angelorum, quod detersa labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio consecrauit.

Atqui baptismi Sacramentum, quod cœlestium donorum, gratiæque totius ianua est, & Religionis Christianæ mysteriorum princeps, quo in Christi corpus inserimur, sine quo denique nulla salus, non minus Catechumeno, quam Sacerdotis absolutio pœnitenti necessarium esse nemo non agnoscit. Quare cum duobus illis Patribus testibus Ecclesia censeat, etsi Christus disertè edixerit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non posse introire in regnum Dei; Fidelem* tamen, vt ait Bernardus, *& conuersum ad Dominum, non si nequiuerit, sed si contempserit baptizari, fructu priuari baptismatis:* Quis neget meritò de eorum salute spem bonam à Concilijs prætendi, qui vt egregie antiqui Galliæ Antistites, Mysteriorum cupiditate flagrantes, ijsdem ex conscientia peccatorum quibus eluendis in reorum numero diutius haberi volunt, indignos se iudicant, dumque per pœnitentiæ laborem ac piæ vitæ fructus, fidelium communioni purgatiores restitui desiderant, repentina morte abrepti Sacerdotum opera reconciliari, atque ad supremum exitium viatico instrui nequeunt Sacramentorum, hoc est Absolutionis & Eucharistiæ, quæ ad integram perfectamque peccatorum reconciliationem semper olim coniunxit Ecclesia.

Ioan. 3. v. 5.

Bern. ep. 77.

Conc. Vasense. 2 can. 2.

Quare

Quare fidenter pronuntiare licet, ex omnium Patrum ſententia, eum qui criminum ſuorum ac ſordium dolore concuſſus, pœnitentiæ laborem Dei placandi Sanctiſſimorumque Myſteriorum puriori animo adeundorum cauſa, conſtanter ſubit, longe certius animæ ſuæ ſaluti conſulere, quam qui ſalutarem illam moram æquo animo ferre non poteſt; qui præproperam ac præcipitem medicinam quærit; quique cum verum mutati conuerſiſique animi argumentum nullum ediderit, tamen Sacerdotem peccata ſibi dimittere, Chriſtique Corpori ore forte polluto ac manibus inquinatis, vt Cyprianus loquitur, accipiendi poteſtatem facere oportere contendit. Hoc enim de altero Sanctiſſimi illi viri diuino Spiritu inſtructi, ſine vlla dubitatione pronuntiaſſent: [a] Fieri non poſſe, quin Deus clementiam & miſericordiam aduerſus eos adhibeat, qui, vt ait Apoſtolus, iudicium eius anteuertunt, & voluntaria ſententia in ſeipſos vindictam exercent. [b] Ita facillimè homines aſſequi poſſe, ne à cœleſti altari æternum ſeparentur, ſi ex vero peccatorum ſuorum dolore ab altari Eccleſiæ aliquantiſper ſeipſi remoueant. [c] Atque vt interdum eueniat, quod rarò euenturum videtur, vt quis in media pœnitentia antequam reconciliari poſſit vita diſcedat, maximam ſpem fore diuinæ miſericordiæ opem ei non defuturam, viſibilemque miniſtrorum abſolutionem, quam non voluntas ſed neceſſitas excluſerit, inuiſibili ſummi Sacerdotis abſolutione ſupplendam.

a *Aug. hom. 50. Elig. hom. 8. &c.*

b *Aug. hom. 50. Ser. 252. & paſſim. Cæſar. hom. 8. & 13. &c.*

c *Canones omnes ſupra citati.*

De altero vero quid aliud dicere potuiſſent quam quod toties ſimilibus in cauſis declararunt: [d] In præpropera momentaneaque medicina nihil opis eſſe: [e] Irritam falſamque pacem periculoſam dantibus & nihil accipientibus profuturam, vbi non compelluntur lapſi ſanitatis patientiam quærere, veramque de ſatisfactione medicinam: [f] Qui ita poſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi reddi Communionem velint; non tam ſe ſolui cupere, quam Sacerdotem ligari. [g] Fruſtra denique in interiora veli & in inuiſibilia Sancta Sanctorum aditus tentaturum, qui medicinam cœleſtis diſciplinæ contemnens noluerit pauliſper à viſibilibus ſeparari: Qui enim noluerit humiliari vt exaltaretur, cum exaltari voluerit deijciendum, & in æternum ſejungendum ab æternis Sanctis, quiſquis hoc tempore per merita obedientiæ & per ſatisfactionem pœnitentiæ non ſibi prouiderit locum in corpore Sacerdotis.

d *Cler. Rom. ep. 31. ad Cypr.*
e *Cypr. de lapſis.*
f *Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. 9.*
g *Auguſt. hom. 50.*

CAPVT XVII.

PROPOSITAE QVAESTIONIS PARS TERTIA.

An verè dictum ſit ab Aduerſario hominem hiſce temporibus mortalium peccatorum ſibi conſcium, non poſſe ſine temeritatis nota plures dies pœnitentiam agere, antequam ad Communionem accedat.



TRIPARTITÆ quæſtionis, quam in ſecunda Libri huius Parte tractandam ſuſcepimus, altero capite firmiter vt confidimus ſtabilito, dubitare non poſſum, quin ipſa tertij quod ſupereſt Capitis pro-

positio piorum omnium sensus vulneret animosque commoueat, dum in dubium vocari audiunt, num hoc tempore sine temeritatis crimine obseruari fas sit, quod tot seculis in præcipuis pietatis Christianæ partibus numerauit Ecclesia.

Quocirca eadem qua Tertullianus in Libro de Baptismo vtitur, excusatione vtendum hîc mihi video. *Audiui, Domino teste, eiusmodi, ne quis me tam perditum existimet, vt vltro exagitem libidine styli quæ alijs scrupulum incutiant.* Tu enim cogis quæstionem homine Catholico alienissimam inducere qui postea quam mira inscitia negasti in Ecclesiæ vsu positum vnquam fuisse, vt lethalium peccatorum rei plures dies pœnitentia defungerentur, priusquam ad Communionem adirent, maioris cautionis gratia, & vt imperitiæ tuæ totius Ecclesiæ veteris contemptum adiungas, addis continuo: *Vt vt olim ab illa sit factum, nunc quidem temeritatis fore priuatum quempiam illius institutum imitari.* *Tertull. de Bapt. c. 12.*

Sed si tibi vitiosæ disciplinæ & praxeos tuendæ studium iudicij lumen eripuit, aliquid saltem memoriæ retinere debueras, nec obliuisci te in primo Commentarij tui aditu totius orationis fundamentum illud statuisse: *Nullam esse certiorem regulam, quaque facilius vel in hac re, vel in alijs omnibus errorem effugere possimus, quam si studiosè attendamus, quid Antiquitati, Sanctorum traditionibus, & priscis Ecclesiæ moribus atque institutis conueniat: hancque regulam sumptam esse ex primæ Epistolæ sancti Ioannis capite secundo.*

Expende, obsecro, ad certissimam hanc normam, quam Christiani animi communis sensus à te expressit, quid iudicij de tua ista censura haberi oporteat. *In omnibus*, inquis, *studiosè debemus attendere*, QVID ANTIQVITATI, SANCTORVM TRADITIONIBVS, ET PRISCIS ECCLESIÆ MORIBVS ATQVE INSTITVTIS CONVENIAT. Et tamen eodem te iudice sine temeritatis culpa obseruari non potest, quod omnis Antiquitas, vniuersa Sanctorum Traditio, & vniuersæ Ecclesiæ mores atque instituta tot seculis non approbarunt modo, sed & fidelibus omnibus commendarunt, & Canonum præscripto pœnitentibus imperarunt, vt Apostolorum doctrinam & institutionem, ab omnibus eorum successoribus religiosè retentam, & vt sanctissimam tutissimamque curandarum animarum, hominumque cum Deo reconciliandorum viam.

Quis hanc animi tui turbam discrepantiamque capiat? Tenendam esse regulam decernis; quam rursus qui teneant temeritatis accusas. A Spiritu sancto constitutam agnoscis; idemque qui illi pareant Diaboli organa censes, eorumque disciplinam diabolicam & *pessimi Dæmonis stratagema* pronuntias.

Sed quoniam Ecclesiam diuellere rudioribusque persuadere contendis illam hoc tempore perniciosum habere, quod tot seculis summè salutiferum habuit; paulo altius ordiendum mihi existimo ad tantam rem illustriorem faciendam, depel-

lendasque nebulas quibus fidelium animos à pœnitentiæ studijs abducere moliris.

Capvt XVIII.

ECCLESIA EX ANIMO SEMPER OPTARE, vt peccatores ex sacris omnium Patrum institutis ac doctrinis pœnitentiam agant, eosque abuti indulgentia, quam illa posterioribus sæculis adhibuit, qui temeritatis hominem arguant, quod disciplinam ab ea per tot ætates vbique seruatam nec vllo Canone aut decreto rescissam sequi velit.



Ecclesiam Catholicam externos interdum mores externasque actiones suas commutare variareque posse nemini dubium est: Vt autem animi sententiam mentemque commutet non magis fieri potest, quàm vt columna & firmamentum veritatis esse desinat. Quis enim non intelligat, eius esse in quem error cadat & lapsus, id quod olim senserit retexere ac recantare, adeoque Ecclesiam, si pristinos sensus deponere ac rescindere posset, non modo errori affinem, sed etiam erroris ream seipsa iudice fore, cariturámque insigni illa ac sibi propria laude, qua sapientis Archigtecti domus, ac fidelium animarum portus perfugiumque tutissimum & est & esse dicitur, quia non iam in immobilis Petræ firmitate, sed in arenæ fluctuantis instabilitate fundata ædificataque videretur.

Præterea manifestum est ex ipsis fidei nostræ principijs, doctrinam, quæ à cunctis Patribus vno

ore asseritur, non vt anceps & dubia, sed vt penes Catholicos explorata & indubitata, vt in omnibus Orbis Christiani regionibus probata, retenta, obseruataque, & ab ipsis vsque Apostolorum temporibus per vniuersas Ecclesiæ oras ætatesque deducta, non humanitus excogitatam, sed diuinitus traditam haberi oportere, ac proinde non minus fixam & immobilem, quàm ipse à quo tradita est Spiritus, nec cœlo & terra transeuntibus transituram.

Hoc ita posito, de quo Catholicorum nemini dubium esse potest, cum iam perspicuè demonstrauerimus, illam, quam tantopere auersaris, de sacra Communione lethalium criminum reis aliquandiu differenda sententiam, omnium Sanctorum Patrum sententiam esse certissimam, non vt priuatorum hominum, sed vt perpetuæ consuetudinis doctrinæque Ecclesiæ Catholicæ, tot Concilijs sancitæ, totius orbis vsu firmatæ, ab Apostolis constitutæ, & in ipsis Christi documentis fundatæ grauissimorum integerrimorumque testium; fieri profecto non potest, quin Ecclesia in hac ipsa sententia etiamnum maneat & ad mundi finem mansura sit.

Quare si quis tecum quæsierit, præstet ne generatim & vniuersè loquendo, eum qui mortifera peccata commiserit Eucharistiæ Sacramentum vt primum confessus est vsurpare, an peccati maculas lachrymis certo tempore diluere, antequam tremendis se sistat Altaribus, dubium non est, quin

Ecclesia, quod ad doctrinam attinet (nondum enim de disciplina & praxi loquimur) non aliud respondere nunc possit, quàm quod tot Patrum, tot Pontificum, tot Conciliorum vna semper voce respondit, multo esse sanctius, ac summæ, quæ sacro-sanctis Mysterijs debetur venerationi congruentius ad ea percipienda veræ ac sinceræ Pœnitentiæ fructibus sese ante componere.

Verum & si hæc Ecclesiæ etiam nunc sit mens ac semper fuerit, factum est tamen ab aliquot seculis refrigescente hominum pietate, vt illam non pro eo ac vellet omni ex parte exequi potuerit: Sed piæ ac benignæ Matris affectu ad filiorum suorum infirmitatem sese demittere aliumque eis morem indulgere compulsa sit, vt specie faciliorem & minus seuerum, ita longe minus vtilem, minusque perfectum: quemadmodum Medici ægrotis austeriora quæque remedia respuentibus, non semper quæ maximè salutaria, sed quæ illorum imbecillitati magis sunt accommodata subijciunt: vel (vt supremum Ecclesiasticæ gubernationis ac prudentiæ fontem intueamur) quemadmodum Deus ipse in Scripturis præter primas quasque consiliorum suorum rationes, multa indulsit propter temporum iniquitatem cordiumque duritiam, sicut in Euangelio Christus ipse testatus est.

Hac eadem duritia hominum Ecclesia sæpe inuita compellitur (vt in vltimo Concilio Oecumenico non semel conquesta est) ad degeneres ac remissos suorum mores sese accommodare atque

inflectere, non ſine ſecreto quodam & *inenarrabili*, vt Apoſtolus loquitur, *gemitu*, per Spiritum ſanctum in ipſa expreſſo, dum antiquam illam pietatem in filijs ſuis deformatam obſoletamque cernit. Atque hæc ſola eſt cauſa cur viciſſitudines mutationeſque in pœnitentiæ adminiſtratione ab aliquot ſeculis exortas Eccleſia ferat, quas tamen ab ipſa nec per ſupremum caput Pontificem Maximum in priuato eius Conſilio, nec per ſupremum idem caput in Conſilio ac Senatu Generali Eccleſiæ ſeu in Concilijs Oecumenicis, inductas & conſtitutas fuiſſe vnquam probabitur.

Quare videndum etiam atque etiam, ne in hac re aut ſimilibus confundamus ac permiſceamus leges ipſas cum ijs quæ præter leges indulta ſunt; inſtitutiones primas cum laxamentis atque accommodationibus ſubſequentium temporum; poſtremò ea quæ impellente & quaſi extorquente neceſſitate fiunt, cum ijs quæ ſponte ac libera voluntate perficerentur. *Quod enim pro remedio ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt*, vt ait egregius Pontifex, *conſtat primitus non fuiſſe ...... quia aliud eſt ordo legitimus, alia vſurpatio quam ad præſens fieri tempus impellit*.

Innocent. I. epiſt. 22.

Enimvero Eccleſiæ facilitate & indulgentia admodum abutatur, qui quod homines minus iam ſeuerè quàm olim ad Pœnitentiam compellat, excellentiſſimam agendæ pœnitentiæ rationem vetitam ab illa interdictamque fuiſſe tecum exiſtimet, ſanctiſſimamque illam humilitatem qua peccator ſeſe vt diuiniſſimæ Chriſti Majeſtatis aſpectu indignum

dignum

dignum à cœlesti submouet conuiuio, donec bonorum operum vsu mundatus sit, ab ipsa semper laudatam euectamque in cœlum, nunc tandem vt improbam noxiamque damnatam arbitretur.

Itanè vero quoniam Ecclesia infirmitatem tuam clementius ac benignius habens non te adigit ad vsum illum obseruandum, quem & per se sanctum, & saluti tuæ, si paulò firmior esses, in primis vtilem fore intelligit; tu eos qui illum sequi & retinere studeant carpere atque accusare audeas? Tu neminem qui fidelius te ac religiosius Deum colat ferendum putes? Tu peccatores aliquanto præstantiore quam vulgus ratione in viam redire, suisque vulneribus medicinam ista quam adeò facilè dilabi atque effluere videmus certiorem ac constantiorem exquirere non patiare? Christianæ virtutis curriculum refrigescentis atque imperfectioris pietatis tuæ terminis circumscribas, quos prætergredi sine temeritate nemo possit? Spiritui sancto in dispertiendis gratiæ suæ muneribus legem ponas, meque quam mihi immittit vitæ in melius referendæ cogitationem ac voluntatem tenere prohibeas?

Quod si eximia quadam ac singulari misericordia præstet mihi Deus, vt ad meipsum redeam, oculosque cordis aperiat, quibus me primorum Parentum instar turpiter nudum esse perspiciam ex quo Christum exui; si mihi det vt peccatorum meorum pondus graue mihi esse incipiat, quod alij minus fortasse sentiunt: si in intimo cordis re-

cessu sententiam, quam ab omnibus vere pœnitentibus in seipsos ferri debere docet Augustinus, pronunciet, manifesteque ostendat, quam me indignum præstiterim qui ad sacram corporis ac sanguinis Christi communionem adhibear: Si interminatione illa perterritus, *Qui se exaltat humiliabitur*, & rursum huius promissi fiducia recreatus, *Et qui se humiliat exaltabitur*, hæc Euangelij oracula ex tot Patrum Sanctorumque sensu ita interpreter, vt à diuinissimo Christi corpore cum tremore & humilitate tantisper mihi abscedendum esse existimem: Si igitur hanc mihi mentem & cogitationem Deus sua benignitate subijciat, à qua sola eam sperare licet, quis tu tandem es, qui Deo obsistere audeas? qui mihi comprimere lachrymas, præcludere gemitus, pœnitentiæ tabulam eripere moliare? qui corruptis ac putrescentibus etiamnum animæ meæ cicatricibus, vt cum regio Propheta loquar, sanam nihilominus eam esse ac valentem persuadere contendas?

Age, doce saltem quodnam Decretum vel institutum Ecclesiæ is violare videatur, qui pristinæ ingratitudinis memor in fletibus ac lamentis menses aliquot iacere velit, antequam ad Sanctorum Mysteriorum gaudia, vt loquuntur Patres, aspirare sustineat? Ecclesiam sexcentis legibus peccatores sacra Communione prohibuisse nouimus; legem vero, qua qui menses quinque aut sex Communione abstinuerit damnetur, vllam nunc esse non nouimus. Nisi fortè existimes crimini quidem

obnoxium non esse, qui aut tandiu aut diutius etiam à sacra Communione temere ac negligenter abscedat; ratione autem idipsum agere, dum se quisque tanta gratia indignissimum iudicat, dum peccatorum suorum pondere ac dolore premitur, dum eorum maculas pœnitentiæ operibus abstergere satagit, dum denique paratius quàm antea sanctiusque ad cœlestes epulas ingredi cupit; scilicet immane esse apud Deum & homines flagitium, *maximam vnam calamitatem quam Ecclesia possit accipere, artificium denique ac stratagema pessimi Dæmonis certissimum.*

Quis credat cogitationem istam in Christiani hominis mentem cadere posse: & tamen nulla alia superest, qua fretus Censuram agas *temeritatisque* condemnes, qui ea potestate vti voluerint, quam Ecclesia omnibus facit aliquot menses à Communione discedendi, ad anteactæ vitæ detrimenta diuturnæ & accuratæ pœnitentiæ fructibus resarcienda, dum tot alij ad salutis suæ incuriam negligentiamque fouendam hac eadem libertate impune abutuntur.

In quo quidem quantum à mente ac sensu Ecclesiæ abhorreas difficile dictu est, cùm Lateranensis Concilij solennis ille Canon, qui temporis ad sacram Communionem constituti lex hodie ac norma est, ita iubeat propositis in delinquentes grauibus pœnis, *omnem vtriusque sexus fidelem suscipere reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*, vt excipiat, *nisi forte de consilio proprij Sacer-*

dotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.

Vnde manifestum est, sicut sacra Synodus eos qui diuina cum Christo in Sacramento ineffabili, saltem semel in anno atque ipsis redemptionis nostræ diebus, societate coalescere vel per contemptum vel per negligentiam omitterent, pœnarum Ecclesiasticarum seueritate coercuit : ita etiam prouidisse sapienter, quasi iam tum censuræ tuæ temeritatem anteuertere vellet, vt ab omni crimine abessent, qui Sacerdotis consilio à sacratissima illa mensa secederent ad tempus, non alieno animo sed peccatorum suorum conscientia ac dolore deiecto, quo deinde salubribus pœnitentiæ curati remedijs dignius ad ipsam ac religiosius sese referrent.

Cum igitur Oecumenici Concilij auctoritatem spernat, quodque ab eo comprobatum est improbet ac damnet necesse sit, quisquis hominem Paschali tempore, quod vnum ab Ecclesia præscriptum est, Communione abstinentem reprehendat, dummodo *de consilio Sacerdotis abstinuerit iustisque de causis*, quarum princeps ac pene vnica agendæ pœnitentiæ cura semper est habita : quis tuam incredibilem confidentiam æquo animo ferat, qua eos *temeritatis* violatarumque Ecclesiæ legum reos agis, qui modestiæ humilitatisque causa à cœlesti mensa tantisper abesse voluerint, præsertim extra illud præscriptum tempus, & cum Ecclesia liberum atque integrum cuiuis relinquit, vt pro varia

Sancti Spiritus motione & impulsu sacræ Communionis vsum vel frequentet vel intermittat.

Et hæc quidem sufficerent vt illud *temeritatis* crimen quod in alios intorques, in teipsum reuolueretur. Sed vt eam quam impugnas veritatem firmius etiam solidiusque stabiliam; iam aggrediar ad demonstrandum, salutarem illam disciplinam, qua peccator antequam Sacramentum cœleste percipiat pluribus diebus pœnitentiam agit, ab Apostolis ipsis Ecclesiæ traditam, non modo ab Ecclesia non condemnari, sed ab illa è contra probari, laudari, commendari; ita vt eandem & quantum licet filijs suis suadeat, & ad eam obseruandam eos etiam frequenter adigat, & vt semper obseruari possit ex animo ac votis omnibus exoptet.

Capvt XIX.

Antiqvvs poenitentiae mos in Ecclesijs Orientis ad hæc tempora seruatus.



Ac primum quidem mirari licet antiquam illam pœnitentiæ disciplinam in Orientis Ecclesijs tum Schismaticis tum Catholicis adhuc semper mansisse. Docent enim oculati testes in Maronitarum, qui Libani montem incolunt, Ecclesia (quæ hanc eximiam apud Deum habet laudem, vt vndique schismatum fluctibus circumuallata, in antiqua tamen Petri sedis communione perstiterit) auitum illum pœnitentiæ morem nostris tem-

poribus vulgò vſurpatum : vtcumque nonnulli ex Occidente aduenæ aliquid in eo mutationis vel induxerint, vel inducere voluerint, ſpecioſa prætexentes argumenta de quibus aliàs dicturi ſumus, ſi qua à te idonea reſponſione cogamur.

Capvt XX.

Per canonem, Omnis vtrivsqve sexvs, *Sacerdotibus ius eſſe, vt peccatores pœnitentiæ operibus ad Communionem præforment.*



Qvin etiam vniuerſæ Eccleſiæ in hac approbanda diſciplina ſententiam publica illa lex ne pueris quidem ignota, quam Lateranenſe Concilium tulit, renouauit Tridentinum, cuius teſtatam facit.

Quid enim cauſæ eſt, cur cum Eccleſia bifariam præciperet, vt fideles quotannis tum peccata confiterentur, tum Euchariſtiam ſumerent, non eodem tempore vtrumque fieri iuſſerit, ſed alterum tempori Paſchatis aſſignans, alteri certam diem nullam definierit, ſed eam fidelium arbitratui permiſerit?

Si is eſſet illius ſenſus, quem tu vis, vt confeſſus quiſque ad Communionem mox aduolet, nullo tempore intermiſſo ad peccatorum pœnitentiam agendam : cur tandem ad feſtum Paſchatis confeſſionem itidem vt Communionem non aſtrinxiſſet? Nonne hoc diſcrimen æquioribus omnibus

animis argumento est, singulari Sancti Spiritus nutu in duobus illis præceptis sanciendis Ecclesiam ita rem temperasse, vt integrum fidelibus esset post confessionem per vniuersum annum quantouis tempore in pœnitentia versari, neque interim altera communionis lege nisi in Paschate tenerentur.

Quod si quis lethiferis peccatis astrictus ad Pascha confiteri cœperit, aliam ei ad pœnitentiam Concilium aperit viam, differendæ in aliud tempus communionis facta Presbytero potestate, vt vel hac etiam in parte veritas figuræ responderet, ac quemadmodum Iudæi qui Paschatis tempore mundi non essent, altero post mense Paschalem Agnum edere iubebantur: ita Christiani qui mortiferis criminibus diuina illa munditia & sanctimonia, quam legis munditiæ tenuiter adumbrabant se ipsi orbauissent, veri Paschatis celebrationem in posterum seponerent, vt ad viui & immortalis Agni esum paratiores possent accedere.

Hoc vero Ecclesiam in animo habuisse ex eo luculenter patet, quod Lateranense Concilium celeberrimo illo canone id vnum egerit, vt quod antea fideles more consuetudineque faciebant, legis vinculo deuinciretur, teste Petro Blesensi, qui paulo ante Concilij tempora de imposita fidelibus Communionis necessitate scribit his verbis: *In prima Ecclesia quotquot intererant consecrationi Eucharistiæ, communicabant eidem, &c. Postquam autem creuit numerus fidelium, nec omnes accedere ad Eucharistiam visum est, statutum est, vt saltem diebus Dominicis fi-*

Petrus Blesensis ser. 16.

deles communicarent. Cum vero paleæ supercrescentes cœperunt cooperire grana, & multorum refriguit charitas & creuit iniquitas, & PERPAVCI INVENTI SVNT IDONEI, *qui calicem salutaris acciperent, decretum est, vt saltem per tres solemnitates in anno fideles communicarent, in Pascha, Pentecoste & Natali.* NVNC AVTEM QVONIAM DIES MALI SVNT, ET OMNES FERÈ DECLINAVERVNT, ET INVTILES FACTI SVNT, *non audeo dicere ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tacita permissione ipsius introductum est, vt semel in anno congregentur in Ecclesia ad communicandum, quod præterire fas non est. Vt sicut ea die filij Israël typicum agnum comedebant perpetuo, & eadem die Dominus discipulis suis carnem suam & sanguinem dedit, & in memoriam sui idipsum faciendum commendauit; ita & nos eadem die carnem Agni qui tollit peccata mundi edamus.*

Quemadmodum igitur his verbis patet Lateranensem Synodum, dum fideles omnes ad Communionem tempore Paschatis adstrinxit, ad eum vsum sese accommodasse, quem iam elanguescens Christianorum pietas induxerat: ita cum in præcipienda confessione idem spectaret, facere non potuit vt eam festo Paschatis alligaret, cum illo seculo ea esset Ecclesiæ disciplina, vt mortiferorum peccatorum rei ineunte Quadragesima confiterentur, ac per dies illos saltem quadraginta ieiunijs, lachrymis & voluntarijs afflictationibus consecratos, ad Paschalem sese communionem accingerent. Atque ad istam quidem extremam remissionem

nem accommodationemque descendisse videtur Ecclesia; vt hac velut arte ac solertia peccatores à cœlesti pane prius attingendo abduceret, quam aliquo sese pœnitentiæ vsu excoluissent, eaque saltem ratione canonum omnium præscriptionem tueretur, pœnitentibus illo temporis interuallo à Sanctissimi altaris societate depulsis.

Quod ipsum luculenter docet idem Petrus Blesensis, in Sermone diei Cinerum apertius contestans, idem esse debere ieiunij & confessionis initium, neque lethalium criminum reis expectandum Quadragesimæ finem, cum eo tempore venialium duntaxat culparum confessionem fieri liceret. *Cum initio*, inquit, *ieiunij debet esse initium confitendi. Vnde in fine Quadragesimæ de ablutione pedum discipulorum legitur vel dicitur: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Non dixit, qui lauandus est, sed lotus: nec dixit, nisi vt faciem & pedes lauet, sed tantum pedes. Ac si dicat: In principio ieiunij debet quis criminalia peccata lauare, pure & humiliter confiteri; in fine venialia quæ contraxit.* Hic erat vsus Ecclesiæ temporibus Concilij Lateranensis quod paucis annis hic autor antecessit. Ex quo intelligitur longè à Concilij sententia abfuisse, vt tam sancta consuetudine abolita, vnicam quam præcipiebat confessionem temporis Paschalis finibus circumscriberet.

Et vero liquet salutarem istum morem & Christianæ Religionis sanctitati accommodatum multo post tempore in Ecclesia mansisse, vt præter

alios grauissimus autor est S. Thomas in Opusculo de sancto Sacramento sic scribens: *Ideo statutos fuisse ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, vt his peractis in ieiunijs & orationibus & continentia & bonis operibus tunc possint communicare pœnitentes cum alijs bonis Christianis. Hinc*, inquit, *super illud in 1. Cor. 11. si nosmetipsos dijudicaremus*, &c. *dicit Augustinus: Ab ipsa mente pœnitentis talis sententia proferatur, vt se indignum iudicet participatione Corporis & Sanguinis Domini, vt ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis separetur.*

D. Thom. in Opuscul. de Sacr. Alt. c. 16.

Idem fere tradit S. Bonauentura in quartum Sententiarum. Quin & in Ecclesiæ ritibus disciplinæ huius vestigia etiamnum comparent. Cinerum enim consecratio, & solennes precationum formulæ quibus in capite ieiunij vtitur Ecclesia, quanam ratione peccatores, quibus eo die pœnitentiam imponebat, tractare consuesset, abundè repræsentant.

Atque etiam Lutetiæ videre est Dominica Quinquagesimæ Parœciarum omnium supplicationibus ad Metropolitanam Ædem procedentibus, Presbyterum pœnitentiæ præpositum eiusque adjutores simul omnes apud suum quemque tribunal populum ad pœnitentiam cohortari. Qua ex re perspicitur quid olim ab Ecclesia singulis peccatoribus fieret, quibus nimirum audita eorum confessione pœnitentiam injungi mos erat.

Denique absolutio solennis illa, quæ quot annis maioris hebdomadæ feria quinta in Æde primaria

B. Virgini sacra populo impertitur, licet hodie ritualis sit, eam tamen adumbrat, quæ Sacramentum Pœnitentiæ continens peccatoribus, qui totam Quadragesimam in pœnitentiæ laboribus sese contriuerant, adhibebatur. Quamobrem diei illi nomen vernaculi sermonis consuetudine ab absolutione ductum est, quod pœnitentes absolui, & ad Eucharistiæ communionem reuocari eo ipso die solenne esset quo Eucharistiæ institutionem celebrat Ecclesia, propterea quod, vt supra dictum est, ea semper fuit illius sententia perfectam peccatorum expurgationem Eucharistiæ communione absolui, quam iccirco reconciliatoriæ manuum impositioni proximè adjungebat.

Le Ieudy Absolu.

Ad hanc ipsam consuetudinem initio Quadragesimæ confitendi referendum quod ait Synodus Tridentina, *cum ingenti animarum fidelium fructu obseruari morem illum salutarem confitendi* [a] *sacro illo & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ*, atque adeo se hunc *maxime probare & amplecti tanquam pium & maximè retinendum*. Neque enim consentaneum est eos à Concilio laudari, qui Confessionem ad extremos Hebdomadæ maioris dies protrahant; quos S. Carolus Synodi constitutorum quæ ad disciplinam spectant, grauissimus interpres adeo non laudandos censuit, [b] vt id temporis eorum confessionem à Presbyteris audiri vetet, quod ad parendum Ecclesiæ mandato tam seri ac segnes fuerint.

a Non in fine vt abusus irrepsit, sed initio huius temporis, vt olim recte constitutum fuerat. *Ita scriptum extat in Notis ad Concil. Trident. ex Bibliotheca Cardinalis Bellarmini de quibus supra in Præfatione.*

b *In Concil. Mediolan. 5. Et in Sacr. & in Instr. Confess. Act. part. 4.*

c *Synod. Camerac. anno*

Itaque post Concilium Tridentinum [c] duæ Sy-

nodi Cameracenses, & alia Bituricensis sanctum illum morem inter Quadragesimæ initia confitendi decretis suis instaurant: nempe vt deinceps pœnitentiæ opera frequententur, ac fiat quod [d] ab eodem Bituricensi Concilio præclarè statuitur: *Ne quis sine contritione & confessione & SATISFACTORIIS OPERIBVS digne præmunitus ad Eucharistiam sumendam accedat.*

1604. *tit.* 8. *c.* 16. *Et antiquior ann.* 1567. *de Pœnitentia c.* 2. *Et Bitur. tit.* 21. *c.* 21.
d *Tit.* 22. *can.* 5.

CAPVT XXI.

CONCILIVM TRIDENTINVM MVLTIPLICES ad pœnitentiam antiquam instaurandam vias aperire, eiusque omnia fundamenta constituere. Priora duo eiusce rei argumenta.



IAM vero cum supra pollicitus sim, quid Concilium Tridentinum de hac, quam damnare audes & sacris eius definitionibus contrariam facis, disciplina senserit, me diligenter indagaturum, tempus est promissa persoluam, talemque se sacram Synodum hac in re præstitisse demonstrem, vt licet ei minimè licuerit tot varijs hæresibus expugnandis, tot corruptelis & abusibus corrigendis intentæ, de omnibus quæ in Sacramentorum administratione obseruari oporteat, singulatim præscribere, cum eorum potissimum substantiam aduersus hæreticos propugnandam suscepisset, nemo tamen eius decreta eodem quo condita sunt spiritu expendens non facile intelligat, tan-

tum eam abfuisse à pœnitentiæ exercitationibus (vt videri cupis) abolendis, vt vniuersa illius fundamenta firmiora inuictaque effecerit, nec diuinis eius institutis plenè & cumulatè responderi atque obtemperari queat, nisi quam maximè in antiqua pœnitentia restituenda elaboretur.

Id ex eo primum cernitur, quod vniuersas Apostolorum traditiones autoritate sua S. Synodus velut postliminio reuocat, varijsque locis Ecclesiasticæ disciplinæ in eum statum redigendæ, quem priusquam hominum ignauiâ, canonum ignoratione, morumque prauitate collapsa esset, obtinuit, summam voluntatem profiteatur.

Atque hinc patet sacri Concilij in eam disciplinæ partem, quæ tibi respuenda visa est, propensio ac studium, quippe quæ non solum in Ecclesiastica disciplina primas teneat, vt Patres vniuersi consentiunt, sed ipsius Christi *Domini disciplina sit*, vt loquitur Cyprianus: nec humanum institutum, sed grauis in primis Apostolorum Traditio, quam Ecclesia Romana Ecclesiarum omnium princeps & magistra ab hinc mille & quadringentis annis, se ab ijs simul cum Euangelij prædicatione accepisse significat. Hoc est enim Cleri Romani de pristina seueritate seruanda, ne peccatores ad Communionem nisi post longam laboriosamque pœnitentiam admittantur, ad Cyprianum scribentis sententia: *Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos aduersus improbos modo superuenerunt repentina subsidia, sed antiqua hæc apud nos se-* *Clerus Rom. ad Cypr. ep. 31.*

ueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo: Quia fides vestra prædicatur in vniuerso mundo, nisi iam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum & gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est.

Concil. Trid. Sess. 22. Decr. 1. de Reform.

Alteram Concilium Tridentinum restaurandæ pœnitentiæ viam aperit, dum antiquos omnes Canones de moribus & officijs Clericorum etiam *qui in desuetudinem abijssent in vsum reuocari* iubet, diligentissimè *statuens, vt quæ alias à Summis Pontificibus & à sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon secularibus negotijs fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerant, eadem in posterum ijsdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarij imponendis obseruentur.* Cum enim plerique istorum Canonum culpas non paucas quæ nunc leuiores ferè habentur, ministerij interdictione & ab altari amotione mulctandas decernant, Clericos qui in illas incurrerint ad istum eundem modum curari oportet, vt Concilij voluntas cumulatius expleatur: adeoque sæpissimè antiquam de Clericorum pœnitentia disciplinam in vsum reuocari, quibus autore S. Leone ad peccata plangenda & *misericordiam Dei promerendam priuata secessio* indici consueuerat: *vbi illis*, inquit, *Satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

S. Leo Epist. 92. c. 2.

Præterea Canonum omnium cognitionem ipsi Canones Presbyteris imperant, vt illis semper ante



oculos propositis, pro re nata vtantur ad conseruandam firmandamque Ecclesiæ disciplinam. At in Canonibus istis quos ita cognitos habere debent, plurimi extant, quibus aduersum eos, qui se lethalibus criminibus post baptismum illaqueatos confiteantur, disciplinæ quam ferre non potes vis ac seueritas adhibenda præscribitur.

Capvt XXII.

CONCILIVM TRIDENTINVM TERTIAM ad pœnitentiæ instaurationem viam dedisse, cum Lutheri errorem omnem pœnitentiæ vim in noua vita constituentis damnauit.



Tertivm argumentum est pœnitentiam veram & solidam à Tridentina Synodo comprobatam, quod aduersus Lutherum Catholica fide credendum sanxit, Pœnitentiam non tantum sitam in emergendo à flagitiosis moribus ad meliorem vitam, sed & in pristinis peccatis lugendis exorandoque Deo lachrymis, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, alijsque operibus quæ maiorum traditio commendat, & S. Gregorio, cunctisque Patribus autoribus Euangelium præcipit verbis illis, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* *Seß. 14. c. 8. & can. 13. & 14.*

Atque hac potissimum ratione sanctissimam eiusmodi doctrinam constituit, vt nefas dicat salutarem illam satisfactionem, quæ tanto studio *à Patribus omnibus Christiano populo semper commendata* *Seß. 14. c. 8.*

fuit, vel contemnere vel impugnare. Recte enim vidit, vt omnia, cum idem atque olim etiam nunc violetur Deus, eodem crimine violetur, atque ab eadem violetur Christiani hominis persona; consentaneum vtique esse, vt eadem persona, eidem Deo, de eodem crimine, in eadem Ecclesia, eadem ratione ac modo faciat satis. Nam si corporis vulnera non alia nunc ac mille ab hinc aut bis mille annis medicinæ disciplina curantur: quanto magis in sanandis animarum vulneribus eadem arte ijsdemque decretis Christi quæ ab Apostolis eorumque discipulis accepimus, vti nos par est, cum ea haud paulo firmiora atque immobiliora sint quam rationes Hippocratis viresque naturæ. Quod & eo clarius etiam efficitur, quia *quanto anima corpore præstantior: tanto eius curatio curatione corporis maior ac difficilior est*, vt sapienter monet Chrysostomus; atque id facillime dijudicaretur, si vt corpus, sic animam oculis cerneremus.

Chrys. hom. 30. in Matth.

Quam vero aperta Ecclesiæ & Concilij ludificatio, Lutheri de pœnitentia errores & hæreses cogitatione quidem ac verbo damnare, (in eo enim te quoque vniuersæ Ecclesiæ assentiri confidimus) re vero ac facto à Presbyteris approbandas contendere? Quid enim aliud velle tibi videris, dum eos pœnitentibus grauitati scelerum pares satisfactionis modos, vt Synodus iubet constituere, & ad eorum curationem illis ipsis quibus Patres omnes vsi sunt salutaribus vti remedijs eadem Synodo præcipiente non pateris?

Quod

Quod si illud etiam cogitemus Dei optimi qui mala esse non sinit, nisi vt ex ijs bona eliciat, minime fuisse, hæresim malorum omnium extremum nisi maioris boni causa pati existere; quis non laude quam temeritatis accusatione digniores existimet, qui austeriori & accuratiori pœnitentiæ genere diuinæ prouidentiæ in illa hæresi permittenda consilijs obsecundare conentur. Cum enim Ecclesia maioris pœnitentiæ subsidio nunc quam maximè egeat senescens atque ingrauescens in dies, & quo magis ad exitum mundus præcipitat, eo vehementioribus abundantis iniquitatis fluctibus obsessa : Lutheri hæresim pœnitentiæ infestam emergere permisit Deus, vt Ecclesia ad eam studiosius asserendam, moribusque comprobandam euigilaret.

Si ergo sint quibus Deus idem hanc mentem postmodum inijciat, vt sanctis exercitationibus laboribusque illis quibus tot peccatores ad sanctitatem reuocauit, vltro se dedant; quicquid ad peccatorum expiationem facere queat, toto pectore complectantur; fletibus ea mergere contendant, orationum ardore absumere, eleemosynis redimere, charitate obruere; postremò vt ad hæc vniuersa Christianæ humilitatis fundamentis fulcienda, eam virtutem qua potissimum re pœnitentibus colendam SS. Patres docuerunt, colant atque obseruent, ab altari, quamuis te repugnante, piè religioseque tantisper secedendo, vt diebus aliquammultis antequam Eucharistiam appetant, pœniten-

tiam agere perſeuerent: quis laudandum Deum ac de tanto erga homines illos beneficio gratulationibus proſequendum non arbitretur. Quis non videat, ijs qui vel inſcitia, vel iniquiore zelo, vel liuore, vel occulta quapiam cupiditate adducti, pietatis exemplis quæ omnium approbationem merentur, malignis voculis obſtrepant, diuina extimeſcenda iudicia, expendendamque attentius illam Ambroſij vocem: *Fruſtra opem miſericordiæ cœleſtis expectes, ſi alienæ fructibus virtutis inuideas. Aſpernator enim Dominus inuidorum eſt, & ab ijs qui diuina beneficia in alijs perſequuntur, miracula ſuæ poteſtatis auertit.*

Ambr. lib. 4. in Luc.

Capvt XXIII.

QVARTAM INSTAVRANDAE POENITENTIAE viam Synodum Tridentinam patefacere, dum Sacerdotes iubet conuenientes grauitati criminum ſatisfactiones injungere, ne eorum participes efficiantur.



Qvarto loco etſi Concilium nonniſi ſummatim obiterque attingat, qua ratione is qui mortifero peccato Deum poſt baptiſmum offenderit, iuſtitiæ illius ſatisfacere debeat: id tamen ita præſtat, vt non minus quam damnas diſciplinam à tuis criminationibus vindicet, quam omnes quas probare videris corruptelas aberrationeſque condemnet.

Non alio opus eſt ad eam rem argumento, quam

terribili illo interdicto, quo Presbyteros monet conuenientes peccatorum grauitati satisfactiones pœnitentibus indicere, nisi aliorum crimina sibi velint imputari. *Debent ergo*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.* Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

Nonne hæc verba apertè demonstrant, quanta sapientissimis illis animarum moderatoribus laus tribuenda sit, qui vt quoad eius fieri queat æquales criminibus satisfactiones decernant, hanc temporarij ab Eucharistia discessus ad eas adjungunt, quod illam semper Ecclesia pœnitentis conditioni accommodatissimam, Christo acceptissimam, peccatori saluberrimam iudicarit; in eamque duo ad veram satisfactionem in primis opportuna pariter concurrant, vt & peccatoris ad Deum medullitus aspirantis maxima vna sit pœna & nemini non facillimè imponi queat.

Equidem grauem esse pœnam ex eo apparet, quod boni cuiusque priuatio pro eo quantum illud est bonum grauis aut leuior videri solet. Cum ergo Eucharistia summum in hac vita Christiani hominis bonum sit, si qua illi superest fidei scintilla, si quis diuinarum rerum sensus, nihil ei grauius accidere vel acerbius potest, quam vt suo vitio ab illa re, quæ votorum illius summa esse debet, pro- Prima communis & grauissima (pœnitentium pœna) abstinere à participatione diuinorũ mysteriorũ. *Bellarm. lib. 1. de Pœnit. c. 22.*

hibeatur; atque iccirco vix quicquam fieri poteſt, quo ſatisfactio ad culpæ modum æquius propiuſque reſpondeat. Nec vero graue olim quicquam pœnitentibus imponi viſum eſſet, niſi ad vſitatas ſolenneſque pœnas, hæc etiam interdictæ Communionis accederet. Patrumque omnium ſententia fuit, pia illa Euchariſtiæ omiſſione cæteris pœnitentiæ laboribus & ærumnis ampliorem ſatisfaciendi expiandique vim afferri; quemadmodum Euchariſtiæ poſt peractam pœnitentiam ſuſceptio, donorum gratiarumque omnium vel compunctione, vel bonorum operum fructu, vel abſolutione manuumque impoſitione collectarum cumulus eſſet & complementum.

Verumtamen quod eiuſmodi ſatisfactio ad animum potius quam ad corpus ſpectet, in eo cæteris præſtat, quod ab omnibus hominibus ſuſcipi poteſt, cum plerique ſint ad ieiunia, vigilias, aliaſque corporis afflictationes, atque etiam ad maiora ſubſidia indigentibus præbenda parum idonei, à quibus proinde prudens confeſſor non aliud, quod ad hæc opera pertineat, merito poſtulare poſſit, quam veram ſinceramque voluntatem, quæ inopiam impotentiamque ſuppleat, & in qua exteriores omnes actiones vt in radice fructus lateant. Quemadmodum enim autore Paulo in 1. ad Corinthios Epiſtola, præſtantiſſima virtutis opera abſque charitate eſſe poſſunt: ita ſæpe charitas & bona voluntas in intimo cordis receſſu ineſſe poteſt, licet varijs obicibus impedita qui in eius non ſint poteſtate,

bonorum illorum operum fructu deficiatur. At Eucharistiæ prætermissio nullas eiusmodi moras, vbi animus vero pœnitentiæ sensu commotus est, patitur. Quo iniquiores sunt disciplinæ huius vt seuerioris atque importabilis obtrectatores, cum ea summæ prudentiæ ratione administretur, nec vllo grauiori onere quemque premat; remotaque ab hominum oculis atque à publica luce, erubescendi necessitatem non iam amplius habeat, vt olim, sed intra contriti cordis summissionem ferè consistat, atque intra voluntariam damnationem peccatoris, qua se ipse corporis & sanguinis Christi participatione indignum censet, temporariaque ista ab Ecclesiæ conuiuio depulsionis imagine, quam terribilis & metuenda futura sit æterna cœlestis beatorum conuiuij iactura præsentit.

Hinc ergo perspicis, quàm disciplina nimium tibi inuisa ad mentem accedat Concilij præcipientis, vt quoad licet, satisfactio crimini par sit.

An vero hæc eadem Sacri Conuentus verba (quæ intorta in Confessarios fulmina iure appelles) Sacerdotes illos sinunt quieta mente consistere, qui isto ipso, quem tu spiras, animo præditi, peccatores fallaci indulgentia & inhumana lenitate in fraudem impellentes, quæ *secari & exuri* debeant, vt inquit Pacianus, vulnera operiunt: Qui, vt ab alio Sancto viro scriptum est, *cum in medullis feruet morbus, per superficiem corporis molle deducunt vnguentum:* Qui denique Concilij legem apertè perfringentes sine vlla necessitate, ac ne exploratis quidem pœ-

Pacian. in Paren. ad Pœnit.
Cæsar. hom. 1.

nitentis viribus, *leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungunt*: pauculorum Psalmorum recitationem pro compluribus blasphemijs & periurijs: quaterna quinave ad summum sextæ feriæ ieiunia pro multis adulterijs: Dominicam orationem quinquies reuoluendam pro sacrilegis Communionibus, & cætera ad eundem modum. Imo vero ad sacram Communionem ne leui quidem illa pœnitentia defunctos continuò impellunt; in fœdis criminum imaginibus tota etiam mente inhærentes, & ad illa primo quoque tempore instauranda paratissimos.

Ac ne causæ desint quibus tantam corruptelam prætexant, aut Presbyterum (quod vel dictu horrendum) negant vlla lege religioneve obstringi, vt satisfactionem imperet, quæ peccatorum grauitati pro portione respondeat, [a] contra Patrum omnium sententiam & apertam Concilij Sanctionem, quod vt hoc Presbyteri officium in primis necessarium, verbis quam grauissimis ostenderet, eum qui aliter agat, alienorum peccatorum participem fieri decreuit.

a *Cyprian. de lapsis. Clerus Rom. ep. 31. ad Cyp. Orig. hom. 3. in lib. Iudicũ.* Basil. in Orat. super illa verba, *Attende tibi. Hieron. lib. in Hierem. c. 2. Ambr. lib. 1. de Pœnit c. 2. & ad Virg. lapsam c. 8. Innoc. I. ep. 1. Aug. ep. 259. Theod. lib. 5. hæretic. fab. c. de Pœnit. Greg. lib. 3. in 1. Reg. & hom. 20. in Euang. Isidor hispal. lib. 2. sentent. c. 13. Beda in Psal. 4.*

Aut rursum duo satisfactionis genera distinguentes, alterum quo peccata præterita puniantur; alterum quod à futuris vindicet: posterius necessarium statuunt, prius non item. Quæ quidem cum hæreticis huius temporis aperta est consensio, pœnitentium sic nouâ vitâ definientibus, vt posterius istud pœnitentiæ genus nihilominus accipiant, omniaque quibus ad pristina peccata deinceps fugien-



da præcauendaque homines firmiores fiant, non inuiti amplectantur. Atque hoc ipsum Concilij doctrinam funditus euertit Sacerdotibus apertè præcipientis: [b] *vt satisfactio quam imponunt non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Hincmarus in capitulis à Sirmondo editis p. 632. Isaac Lingonensis in can. tit. 1. c. 39. Bernard. aut alius Autor de modo bene viuendi. c. 27.
b *Sess. 18. c. 8.*

Aut denique incredibili confidentia affirmare non verentur: Satisfactiones quantumuis leues, ad Concilij legem obseruandam idoneas esse; hoc est, non minus sensum communem quam Concilij autoritatem extinguere parant, rationesque omnes quibus satisfactionis necessitatem & fructum confirmat, vanas & inanes efficiunt. Quod singulatim expendere operæ pretium est.

CAPVT XXIV.

EOS QVI CONCILII LEGEM DE Pœnitentia ad peccatorum & criminum varietatem pro portione accommodanda negligunt, rationes omnes quibus fructus & necessitas satisfactionis ab eo astruitur, vanas & inanes efficere.

I. Ratio. Pœnitentiam laboriosum esse baptismum.



RIMA ratio quam ad satisfactionis necessitatem comprobandam Concilium affert, ex eo ducitur: *Quod diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui semel*

Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

à peccati & Dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, Spiritum Sanctum contriſtare non formidarint.

Quid vero magis alienum, quam illam reconciliandorum poſt baptiſmum hominum difficultatem, illos pœnitentiæ labores & ærumnas, quibus *baptiſmi laborioſi* nomen ab ipſa Synodo, atque ab omnibus olim Patribus accepit, eo tandem redigi, vt Oratio Dominica, aut ſeptem pœnitentium Pſalmi aliquoties pronuntientur?

Quod quidem multo etiam abſurdius videbitur, ſi meminerimus Baptiſmum cui Pœnitentiam Patres comparant, non eum eſſe quem infantes, ſed quem adulti ſuſcipiebant, quos quadraginta dies, teſte Cyrillo Hieroſolymorum Epiſcopo, antequam illius compotes fierent, *orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus & peruigilijs orare oportebat*, vt ait Tertullianus, necnon Eccleſiam frequentare, ad exorciſmos accedere, catecheſibus intereſſe, à proprijs etiam vxoribus ſeſe abſtinere. Quos tamen omnes labores pœnitentiæ laboribus collatos ludum ducebant; Deum in baptiſmo abundanti quadam liberalitate peccata condonare ſtatuentes, quæ in pœnitentiæ Sacramento lachrymarum abundantia & voluntariæ afflictationis magnitudine redimi velit. *Qui & in baptiſmate*, vt præclarè Pacianus, *donat admiſſum, & pœnitentium lachrymas non repellit.*

Cyrill. pręf. in Catech. & Catech. 1.
Tertull. de Bapt. c. 20.
Aug. de fide & Operib. c. 6.
Pacian. ep. 3.

Quid ergo fiet Concilij doctrinæ: Diuinæ iuſtitiæ rationem non ferre, vt qui baptiſmi Sanctitatem

tem violarint, eadem ac antea facilitate in gratiam redeant, si quæ in pœnitentiæ Sacramento pœnæ injunguntur, ne ad earum quidem grauitatem accedunt, quæ olim Catechumenis, vt ad baptismum sese componerent, subeundæ erant.

CAPVT XXV.

ALTERA CONCILII RATIO. PECCATORES metu pœnarum à peccando reuocari.



LTERAM rationem ad satisfactionem commendandam adhibet Concilium, quod ærumnarum & pœnarum quæ in pœnitentiæ iudicio decernuntur, subeundarum metus, peccantes reuocet, & quasi fræno quodam coerceat, ne in peccata denuo prolabantur. *Et diuinam*, inquit Synodus, *clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumeliosi Spiritui Sancto in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnoperè à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt*. Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

Quid porro tandem loci huic argumento relinquitur in molli & eneruі quorundam huius ætatis Presbyterorum disciplina? Nisi forte credere liceat, Corollæ precariæ seu Rosarij exoluendi, aut exiguæ stipis erogandæ metu, à vitijs, quæ tot blan-

ditijs & illecebris corruptum semel animum ad se pelliciunt, constantem animum abduci posse.

Imo vero quid aliud est praua istiusmodi erga peccatores indulgentia vti, nisi hominibus *occasionem præbere*, quemadmodum monet Concilium, *vt in grauiora peccata labantur*, & magis magisque *Spiritui Sancto injurij & contumeliosi* existant. *Facinoris viam*, inquit Pacianus, *monstrat innoxijs, qui nocentibus post scelera blanditur.* Atque idem scribit pœnitentiam, nisi cum salutari austeritate coniuncta sit, impunitatis spe homines ad peccandum allicere. Cum enim Nouatiani arguerent, qui secundæ remissionis spem hominibus faceret, eos ad peccata velut inuitare, quorum veniam vltrò promitteret: *Et fortasse*, inquit, *paterer hoc credi, si pœnitentia deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui iuges lachrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterum se secari, rursus exuri?*

Pacian. in Paræn. ad Pœnit.

Idem ep. 3.

Quod si Sanctissimi viri præcepto velut de industria aduersemur, & nocentissimos quosque inerti indulgentia & iniqua lenitate demulceamus: nonne metuendum erit, vt præclarè monet Ambrosius, *ne & ipsos faciamus deteriores, quorum miseremur iniustè*: ne malo suo experiantur *plerumque non coercere delinquentes maioris austeritatis esse, quam si vlciscaris*: ne denique per ignauiam dissolutionemque nostram eis contingat, *vt cum nullum flagitiorum suorum pretium tulerint, iusta Dei vindicta in passiones ignominiæ tradantur. Facilitas veniæ*, inquit idem

Ambros. in Psalm. 118. in hæc verba: Et de lege tua miserere mei.

In eundem

Doctor, *incentiuum tribuit delinquendi. Medicus ipse si serpentis interius inueniat vulneris cicatricem, cum debeat resecare vlceris vitium, ne latius serpat; tamen à secandi, vrendique proposito lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ vsus intereat?* *Psalm. in hæc verba:* Miserere mei secundum eloquiũ tuũ.

Itaque nimium, eheu, quotidiana experientia comprobatur illud Augustini: *Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.* Summa enim, quam nonnulli inducere conantur, mortiferorum criminum eluendorum facilitas eò iam processit, vt non minus securè ad ea quam ad ludum iocumque prosiliatur; nec desint qui vel scripto affirment, tribus, quatuorve peccatis mortiferis piæ vitæ seriem non intercidi: Quod sane perinde est, quasi si quis dicat tribus aut quatuor adulterijs inquinatam mulierem, nihilominus viro fidem seruare: *hoc est,* vt inquit Tertullianus, *salua castitate matrimonia violare.* Quandoquidem anima Christiana quæ mortifero crimine se commaculat, adultera efficitur, datamque in baptismate Christo sponso fidem nefariè prodit. *Aug. ser 34. de diuersis.* *Tert. de Pœnit. c. 5.*

Capvt XXVI.

Tertia Concilii ratio. Poenitentiae exercitationibus vitiosos habitus contrarijs virtutum actionibus tolli.



Iam quid afferes ad tertiam Concilij rationem sanctissimam & grauissimam quâ docet, hunc vnum esse è præcipuis satisfactionis fructibus, *vt vitiosos habitus male viuendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollat*: quod ad Bernardi vocem accedit, pœnitentiam *vltricem vitiorum, & altricem virtutum* appellantis. An tandem affirmare ausis ad inueteratos superbiæ, auaritiæ, impudicitiæ, ebrietatis, maledicentiæ habitus tollendos satis esse, si quis pauculas precationes euoluat; cum ratio ipsa doceat auaris constituendas largiores eleemosynas, superbis humiles actiones, voluptarijs carnis castigationes, maledicis alieni honoris etiam cum proprij dispendio compensationem; ijs denique quibus perniciosa est mundi impuriorumque hominum consuetudo, vt est plerisque omnibus lapsis, secessionem & silentium, & pro inutilibus noxiisque congressionibus & colloquijs, crebras in priuatæ domus latebras orationes?

Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

Bernard. ser. 3. de S. Andrea.

Hæc omnino satisfactionum genera ad tertiam pertinent rationem à Concilio allatam: quæ quidem tanti ponderis est, vt S. Augustinus non aliam concupiscentiæ quæ in neophytis manet paulatim

extinguendæ viam agnoscat: quo magis eam illis commemorari & præscribi par est, qui hanc *carnalem consuetudinem natura inolitam*, quo nomine S. Doctor concupiscentiam vocat, propriorum etiam vitiorum consuetudine roborauerunt. *Quæ duo scilicet tradux mortalitatis, & assiduitas voluptatis illud ex pœna originalis peccati; hoc ex pœna frequentati peccati robustissimam faciunt & inuictissimam cupiditatem*: vt qui eam contrariarum actionum perpetuitate & constantia, qua sola illam & natura & gratia imminuunt, superare contendant, pauci admodum reperiantur. Quid enim mala consuetudo, nisi velut altera concupiscentia priori adjuncta; alteraque catena ferrea vetustiori commista & colliquefacta? Ita fit vt solus Deus gratiæ vi, quæ à bonorum operum exercitatione nunquam diuellitur, geminum hoc vinculum discindere queat, quemadmodum Augustinus passim profitetur.

Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 1.

Libr. 83. Quæst. q. 70. &c.

Atque hæc Concilij doctrina virtutum actionibus quæ vitijs peccatisque nostris aduersentur, satisfaciendum Deo, Patrum omnium consentiens est doctrina, quam in primis Chrysostomus diuinitus explicat. *Pœnitentiam*, inquit, *dico, non solum à prioribus malis recedere, verum & quod majus est, bona præstare. Facite, inquit Ioannes, fructus dignos pœnitentiæ. Et quomodo id faciemus? Si peccati aduersa faciamus. Verbi gratia: Aliena rapuisti? Incipe donare iam propria. Longo tempore fornicatus es? Præscripto tempore ab vxore abstine: meditare continentiam. Proximum vel verbo, vel facto violasti? Refer benedictionis*

μετάνοιαν δὲ λέγω, οὐ τὸ τῶν προτέρων ἀποστῆναι κακῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἄμεινον ἐπιδείξασθαι καλά. ποιήσατε γάρ φησι καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας. πῶς δὲ ποιήσομεν; ἂν τὰ ἐναντία πράττωμεν. οἷόν τι λέγω· ἥρπασας τὰ ἀλλότρια; δὸς καὶ τὰ σὰ λοιπόν. πολὺν ἐπόρνευσας

verba conuitijs, & percutientes te beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed opus etiam est remedia adhibere vulneribus. Delicijs ante & temulentia diffluebas? Ieiunio & aquæ potu inde ortas maculas elue. Impudicis alienum decorem oculis vidisti? Fœminam iam omnino non videas; vt maiori securitate fruaris. Declina, inquit, à malo, & fac bonum.

Quis iam non miretur doctrinam ita sanctam, & cuiuscumque Philosophiæ moralis principijs congruentem, à nonnullis casuum conscientiæ, vt vocant, Scriptoribus ita conculcari, vt affirmare non dubitent, *Impositam peccatori à Sacerdote pœnitentiam tum iure ab alio commutari, si ob vitiorum consuetudinem ægrius à pœnitente impleri possit.* Cuius rei exemplum afferunt: *Velut si ebrioso postridie quam se ingurgitasset, ieiunium indiceretur.* Quasi vero suaues & delicatas satisfactiones esse oporteat. Quasi in vitiosis habitibus extirpandis vis atque violentia adhibenda non sit. Quasi æquitas ipsa non iubeat, asperioribus pœnitentiæ remedijs sanare, quos voluptatum blanditiæ corruperant atque obruerant. Quasi denique idonea causa esse possit iudicis sententiam rescindendi, quod Legislatoris institutis ad amussim respondeat; & iudicium à Sacerdote vice Christi datum dissoluendi, quod immobilem Apostolicæ Traditionis, postremique Concilij Oecumeni secutus sit normam, qua tales peccatoribus satisfactiones decernuntur, *vt peccatorum reliquijs* tetrisque vlceribus quæ criminum pestem

χρόνον ἀπόσχου καὶ τῆς γυναικὸς τῆς σῆς ὡρισμένας ἡμέρας, ἄσκησον ἐγκράτειαν. ὕβρισας καὶ ἐτύπτησας παριόντας; εὐλόγει λοιπὸν τοὺς ὑβρίζοντας καὶ εὐεργέτει τοὺς πλήττοντας. οὐ γὰρ ἀρκεῖ εἰς τὴν ὑγείαν ἡμῖν τὸ βέλος ἐξελεῖν μόνον, ἀλλὰ δεῖ καὶ τῷ τραύματι φάρμακα ἐπιθεῖναι. ἐτρύφησας καὶ ἐμεθύσθης τὸν ἔμπροσθεν χρόνον; νήστευε καὶ ὑδροπότει πρόσεχε, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν ἐγγινομένην λύμην ἀνέλῃς. εἶδες ἀκολάστοις ὀφθαλμοῖς κάλλος ἀλλότριον; μηδὲ ὅλως ἴδῃς γυναῖκα λοιπόν, ἵν᾽ ἐν πλείονι καταστῇς ἀσφαλείᾳ. ἔκκλινον γὰρ φησὶν ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησον ἀγαθόν. Chrys. hom. 10. in Matth.

consequi, & in visceribus diutius hærere solent, medeantur, *& vitiosos habitus male viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollant.*

CAPVT XXVII.

QVARTA CONCILII RATIO. OPERA pœnitentiæ ad Deum placandum quam maxime valere.



QVARTA ratio quam ad stabiliendam satisfactionis necessitatem Concilium affert, non minus ægre tuis sensibus accommodetur. *Neque vero, inquit, securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentium opera homines vero animi dolore frequentent.* An enim censes eum esse Dominicæ Orationis aliquoties recitandæ laborem, vt afflictationibus illis maioribus quibus ab irati Dei manibus sæpius extorta fulmina Scriptura est testis, meritò accenseatur? Concil. Trid. Sess. 14. c.8.

Rex Achabus intentatas sibi à Deo per Eliam Prophetam minas auertit, *dum vestimenta regia discidit, dum operit cilicio carnem suam, dum ieiunat, dum dormit in sacco, & demisso capite ambulans ne ad cœlum quidem oculos attollere audet.* Manassen pœnitentiæ magnitudo à captiuitate in regnum reducem facit. Non recipit Nabuchodonosorus quod per superbiam amiserat, nisi post acerbissimam omnium quas scriptura commemorat septem annorum vexationem & cruciatum. Assyriorum Rex

3. Reg. 21.

2. Paral. 33.

Dan. 4.

Ione 3. latam in Niniuem ſententiam diſpungit, abjecto ſolio, depoſito regali ornatu, ſaccum indutus, cineri incubans, ieiunio cum omni populo pariter armatus, *clamans ad Dominum in fortitudine*, vt ait Scriptura, *& à via ſua mala conuerſus*.

Num tandem in ſeptem Pœnitentium Pſalmis ter aut quater recinendis ea eſt ærumna, id pondus, vt ad iſtas ſimileſve pœnitentium acerbitates, quas tacitè Concilium indicat, accedere videantur? Num cenſes hoc vno præſidio fretum confidere quenquam poſſe, eo magis Deum ſibi propitium fore, quo in ſe ipſe ſeuerior ſit, quod veri pœnitentis officium eſſe vniuerſi Patres affirmant.

Quod ſi ita ſe res habet, quid attinuit tam ſeueram & triſtem pœnitentiæ faciem nobis effingere? Teneantur ſane deliciæ mundiciæque omnes: Voluptates quæuis non apertè flagitioſæ appetantur: ſeculi pompæ ſeruiatur & luxui: Vniuerſa oblectamenta, quæ honeſta vulgò putant, vndique conquirantur: ſalutationibus colloquiiſque indulgeatur ſuperuacaneis, inter quæ vt noua non fiant vulnera, veteribus certe vulneribus medicina fieri nunquam poterit: potentia, opes, honores, diuitiæ ambitioſè colligantur, *quæ omnia gentes inquirunt:* Tamen quantiſcumque peccatorum vinculis irretitus fueris, dummodò precatiunculis aliquot, aut exiguis eleemoſynis quas aduerſarij noſtri ſimilis Preſbyter exegerit, cum fide perfungare; has Tertulliani voces iure tuo vſurpare licebit: *Deliqui in Deum & periclitor in æternum perire. Itaque nunc*

pendeo

pendeo & maceror & excrucior, vt Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Sic enim ab hinc mille amplius & quadringentis annis ab autore grauissimo expressa est delicatiorum pœnitentium effigies, *qui incommoda corporis reformidant. Num ergo,* inquit, *in coccino & tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & puluerem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat: præterea exquirito balneas lætiores hortulani, maritimive secessus: adijcito ad sumptum: conquirito altilium enormem saginam: defæcato senectutem vini: cumque quis interrogarit, Cui nam ea largiaris? Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* Tertull. de Pœnit. c. 11.

CAPVT XXVIII.

QVINTA ET VLTIMA CONCILII RATIO.

Pœnitentiæ illis asperitatibus & afflictationibus Christi patientis similes nos effici.



POSTREMA Concilij ad demonstrandam satisfactionis necessitatem ratio est, nos Christo pro peccatis hominum Deo pœnis & cruciatibus satisfacienti similes & conformes fieri: sine qua re ad ipsius gloriæ communionem frustra contendamus, quæ nobis ea demum lege promissa

Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

est, *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Accedit ad hæc*, inquit Synodus, *quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu qui pro peccatis nostris satisfecit ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur & conglorificabimur.*

Concil. Trid. Sess. 14. in doctrina de Sacr. Vnct.

Quod si hæc lex ad omnes omnino Christianos pertinet, etiam innocentes, *quorum* ex Patrum sententia ab hoc eodem Concilio confirmata, *tota vita perpetua debet esse Pœnitentia*: merito illam peccatoribus maxime intentat, quorum in mentibus ea semper cogitatio versari debet; cum immensa Dei sapientia nullam aptiorem expiandis humani generis peccatis rationem repererit, quam vnici filij sui labores & cruciatus voluntarios: singularis imprudentiæ fore, si aliter secum actum iri confidant: neque in animum inducere oportere, Christi ipsius satisfactionem id sibi attulisse, ne iam necesse habeant ad delictorum suorum expiationem toto pectore incumbere (qui grauissimus error est nostri temporis hæreticorum) sed contra eo illustriores fieri capitis nostri perpessiones, quo membris eius secum vnà patiendi maiorem vim tribuunt, eorumque doloribus & pœnis omnem apud Deum honorem & pretium largiuntur.

Equidem qui ligni vitæ, quod in animis baptismus inserit, viriditatem amiserunt, & mortifero quopiam crimine ligna arida effecti sunt, alta mente repositum habere debent, quod Seruator ad mortem properans & pias mulieres alloquens pec-

catores omnes admonuit: *Quia si in viridi ligno hæc* Luc. 23. v. 31.
faciunt, in arido quid fiet? atque ex his vocibus intelligere, quam necesse sit Christianos omnes (qui cum Christo comparati, quantumuis iusti sint, lignorum aridorum instar habendi sunt) multoque magis grauioribus criminibus implicatos vita in pœnitentiæ exercitationibus & laboribus agenda Christi vitam pœnitentiæ addictam, mortemque illius acerbissimam exprimere.

Cum igitur Concilium ex Scripturæ oraculis tales à Sacerdotibus pœnitentiæ Sacramentum administrantibus satisfactiones imponi iubeat, quæ pœnitentes Christo patienti conformes præstent: illi ipsi de quibus loquimur Presbyteri iudicent, istisne quas vulgo imponunt tanta vis merito tribuenda videatur; simulque illud etiam atque etiam cogitent, an non luce clarius iam sit, quod probandum susceperam, mollem ac degenerem illam cum peccatoribus agendi rationem (quam vnam probari volunt, omni alia ad Euangelij vigorem propensiore procul abjecta) rationes omnes quibus fructum & necessitatem satisfactionis Concilium adstruit, vanas & inanes efficere.



CAPVT XXIX.

QVINTAM AD INSTAVRATIONEM pœnitentiæ viam Concilium aperire, dum docet: Clauium ministerium non ad soluendum modo, sed & ad ligandum à Sacerdotibus adhiberi oportere ex antiquorum Patrum sententiâ.



HOc idem Concilij caput *de Satisfactionis necessitate & fructu*, quintum ad comprobandam quam in odium & inuidiam vocas, disciplinam, argumentum suppeditat. Statuit enim Sacerdotibus ius esse, vt permissa clauium potestate non ad soluendum modò, sed & ad ligandum vtantur; vt antiqui Patres docuerunt. *Habeant*, inquit, *præ oculis Sacerdotes, vt Satisfactio quam imponunt non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claues Sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt & docent*. Si enim Patres antiquos quos Synodus consuli iubet, sciscitere, quid tandem sit, peccatorem ligare: vno ore respondebunt, eum in pœnitentium ordinem referre, satisfactionis modum tempusque præscribere, atque interea à sacrorum mysteriorum vsu prohibere.

Concil. Trid. Sess. 14. c. 8.

Hoc vinculo S. Ambrosius Dominum orbis alligare non dubitauit, cum Theodosium à commu-

nione segregaturus, & ad pœnitentiam adacturus, his eum verbis affatus est: *Recede & ne conare nouo scelere scelus ante editum augere: sed capesse vinculum, quo vt ligeris Dominus omnium cælitus sententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi.* Quod ita probe accepit religiosus Princeps, vt cum totos octo menses in gemitibus & lachrymis, & in humili ac verecunda ab altari secessione perstitisset, ne sic quidem se ab Ambrosio peccati veniam obtenturum, sibique Natalitiorum Domini cum reliquis fidelibus celebrandorum potestatem concessum iri, quantumuis, vt historia testis est, eius rei cupidissimus, sperare auderet. Vbi verò supplex & abjectus ab Ambrosio veniam petiit, hoc vnum humillimis precibus efflagitauit, vt se à vinculis quibus constrictus tenebatur clementer expediret. *Oro*, inquit, *vt mihi soluas vincula.*

Ambr. apud Theodor. lib. 5. c. 17.

Augustinus autem de ijs agens qui violata mortiferis criminibus baptismi sanctitate post pœnitentiæ functionem ad reconciliationem perueniunt, his verbis vtitur: *Qui egerit veraciter pœnitentiam, &* SOLVTVS FVERIT À LIGAMENTO QVO ERAT OBSTRICTVS, ET À CHRISTI CORPORE SEPARATVS, *& bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam viuere debuit, post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit ad Deum vadit.* Ex quibus constat potestatem ligandi in eo præcipue ex Patrum mente sitam, vt peccatores pœnitentię vinculis alligentur, & ab Eucharistię vsu remoueantur.

Aug. hom. 41.

Capvt XXX.

Sextam ad idipsvm concilivm viam aperire, dum docet distinctam & enucleatam peccatorum confessionem ad imponendas piaculares pœnas tanquam ad finem referri.



Sextvm insuper stabiliendæ pœnitentiæ fundamentum è doctrina Synodi eruere possumus: quod peccatorum omnium confessionis *non in genere duntaxat, sed in specie & sigillatim* necessitatem explicans, hanc solam eiusce rei causam affert, quod alioquin Sacerdotes de remittendis aut retinendis peccatis sententiam incognita causa pronuntiarent, nec æquitatem in pœnis injungendis seruare possent. *Constat enim*, inquit, *Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Ita constat hac in re, vt in alijs omnibus, Synodum antiquitatis mentem accurate secutam esse: cum antiqui omnes confessionem spectarint, vt viam ad pœnitentiæ impositionem, qui finis erat proximus audienti confessiones Sacerdoti propositus, vt cognitis criminibus parem pœnitentiam statuere posset, & æquitatem à Synodo commemoratam, seruare, commendatamque alibi accuratius ab eadem legitimam satisfactionis ad delictum proportionem.

Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.

Iam suprà demonstrauimus Leonem magnum dum concessam Sacerdotibus à Christo potestatem expendit, disertè docere illam in eo versari, *vt confitentibus actionem dent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admittant.* S.Leo ep 91.

Quod S. Eligius planius etiam facit his verbis: *Confessio pœnitentiam monstrat: Pœnitentia satisfactionem ostentat: Satisfactio veniam sibi diuina pietate conciliat.* Multoque antea Tertullianus Libro de Pœnitentia: *Satisfactio confessione disponitur: Confessione pœnitentia nascitur: Pœnitentiâ Deus mitigatur.* S. Elig.hom. II. Tert.de Pœnit. c.9.

Sed veritatem hanc in primis illustrat quod ex Gregorio Magno suprà commemoratum est, vbi apertè docet: *In fructu non in folijs aut ramis pœnitentiam esse cognoscendam. Confessionis verba nihil aliud esse nisi folia: adeoque non nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda:* QVIA IDCIRCO OMNIS CONFESSIO PECCATORVM RECIPITVR, VT FRVCTVS POENITENTIÆ SVBSEQVATVR. *Unde,* inquit, *& Dominus arborem folijs decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Greg.lib.6.in I. Reg. c. 15.

Potuitne clarius comprobare quod à Concilio Tridentino traditur, definitam & singulatim expressam peccatorum omnium mortalium confessionem eo propriè spectare, vt Sacerdotes perspicua illorum cognitione accepta, in pœnis quibus admissa omnia post baptismum crimina expiari necesse est præfiniendis, æquitatem tenere queant.

Quæ doctrina tam altè in fidelium omnium mentibus olim hærebat, vt peccatorum rei non ad confessionem, quemadmodum nunc, sed ad petendam accipiendamque pœnitentiam pergere dicerentur. Atque hæc consuetudo duodecimum ad vsque seculum mansit, vt ex Bernardo intelligitur, qui in Vita S. Malachiæ corruptissimos Hiberniæ ante illius Episcopatum mores describens: *Nemo*, inquit, *erat qui peteret, nemo qui daret pœnitentiam*. Ac superiori proximo seculo S. Anselmus *Pœnitentiam, sententiam* appellat: nempe innuens pœnitentiæ impositionem in præcipuis partibus esse iudiciariæ Sacerdotum potestatis.

Anselm. in Elucid.

Sed obdurescentibus in dies Christianorum animis, gliscenteque pœnitentiæ odio, desidiam suam quisque amans Sacramentum quo peccatores cum Deo reconciliantur ex ea magis parte qua cum Confessione conjunctum, quam quâ in pœnitentia situm est, spectare cœperunt: hac depressa illam attollere: & quam, Concilio teste, Ecclesia Christiano populo perpetuò maximè commendauit, adeo obscurare, vt merito magni nominis Episcopus pro concione nuper quereretur, esse hodie, qui pœnitentiæ Sacramentum, in Sacramentum Confessionis conuersum irent. Quod idem antiquissimus ferè nostri Ordinis Theologus, qui non ita multo ante vixit, deplorare solitus erat his vocibus, quas ab eius familiari accepi: *Versamur his temporibus in enumeratione peccatorum, non in detestatione*.

Quid

Quid enim magis præposterum, quam accuratè tueri, quod ad aliquem finem assequendum institutum est, finem vero ipsum negligere? Quid autem aliud vulgò fit, dum de fideli & accurata peccatorum confessione populo commendanda adeò contenditur: de lepra vero à lepra dijudicanda, consentaneisque grauitati peccatorum satisfactionibus exquirendis, cuius rei gratia, teste Synodo, confessio ipsa à Christo instituta est, minimè laboratur.

Cum igitur & Catholicis omnibus constet, Confessionem peccatorum capitalium reis necessariam ante Communionem; & rursus Synodi voce Ecclesia doceat, Confessionis scopum esse, vt idoneam peccatis expiandis pœnitentiam Sacerdotis autoritate peccatores accipiant: Quis non fateatur consentaneum in primis videri, ne sanctissimus hic ordo perturbetur, & quæcumque ad pœnitentiæ Sacramentum attinent prius impleantur, quam ad Eucharistiæ Sacramentum detur aditus, cum ex priori ad posteriorem, qui prioris cumulus & complementum est, gradum fieri oporteat? Vt iam æquo animo ferendum non sit, periculosum à te perniciosumque iactari, si quis ante Communionem plusculos dies pœnitentiæ agendæ tribuere velit.

CAPVT XXXI.

SEPTIMAM AD INSTAVRANDAM pœnitentiam Concilium viam aperire, imo eam innumeris in caußis inſtaurandam prorſus edicere, dum peccata publica publica pœnitentia mulctari iubet.



POSTREMÒ non qualecunque antiquæ pœnitentiæ reſtituendæ fundamentum, ſed ipſam eius plurimis in cauſis reſtitutionem à Concilio factam ex eo liquet, quod publicos peccatores ad publicam pœnitentiam adigendos cenſuit.

Pontif. Part. 3. Vbi traditur modus publice pœnitentes ab Eccleſia expellendi, & poſtmodum reconciliandi.

Pontificalem librum conſule: intelliges talem eſſe etiamnum pœnitentiæ publicæ rationem, vt qui illam ſubeant, ab Eccleſia palam eijciantur, neque à Communione modo, ſed & ab ipſo diuinorum Myſteriorum arceantur aſpectu, cingantur cilicijs, conſpergantur cinere, ad primi peccatoris exemplum è paradiſo expulſi in ſudore vultus pane ſuo veſci, hoc eſt, omnigenis afflictationibus gratiam quærere, peccataque expiare iubeantur: atque his omnibus expletis, pacem ab Eccleſia infimis ſupplicationibus corpore proſtrati, lachrymis diffluentes, criminum conſcientiâ rubore ſuffuſi poſtulare cogantur.

Itaque hoc Synodi decreto doceris, quem tu morem improbas, plures dies ante Communionem pœnitentia fungendi, eum non probari modo à Concilio, ſed & diſertis verbis imperari plurimis hominibus; quandoquidem nimia ſit palam

& publicè flagitiosorum in hac corruptissima seculorum fece multitudo.

Quod si qua nonnunquam obstent quominus sanctissima hæc disciplina omni ex parte seruetur, & publice peccantes ex Apostoli præscripto palam & coram omnibus corripiantur: nihilo tamen secius si Concilij mentem sequimur, ijsdem pœnitentiæ laboribus clam & secreto saltem subijci debent, diutiusque, Deo teste, gemitibus & lachrymis exerceri, antequam ad Eucharistiæ Communionem admittantur. Quemadmodum apud S. Basilium mulieres adulteræ, quæ à publicæ pœnitentiæ iugo liberæ erant, tempore tamen à Canonibus præstituto Eucharistiæ vsu prohibebantur.

CAPVT XXXII.

CONCILII TRIDENTINI DOCTRINAE de Pœnitentia anacephalæosis. Quantopere instituto ab aduersario reprehenso, pœnitentiam plures dies ante Communionem agendi, suffragetur.



HABES vestigia & quasi lineamenta doctrinæ, quam Ecclesia pariter collecta, & singulari Spiritus Sancti ducta præsidio expressit. Ea si minus arridet, Concilio dicam impingito, non ijs qui ad eius mentem & sententiam in animarum dirigendarum ratione sese pro viribus accommodare contendunt.

Cum enim tot locis tantum studium prodat Ecclesiasticam rem ad pristinam formam sanctimo-

niamque reuocandi, & disertis verbis temporum iniquitatem hominumque duritiam accuset: nonne illius consilio is obsecundare censendus est, qui ad exemplum illud Christianorum animos adducere dirigereque studeat, quod Ecclesia omnibus seculis, per vniuersas mundi oras, consentiente Patrum omnium sententia, sanctissimum summeque salutare declarauit.

Cum Lutherum ob repudiatas pœnitentiæ exercitationes, quas perpetuo tempore Patres fidelibus tantopere commendarunt, vt ipsius Synodi verbis vtar, hæresos damnarit; quid ex eius sententia ad tantum errorem extirpandum aptius excogitare possimus, quam vt Patrum quos imitandos proponit exemplis inhæreamus, eademque remedia, quibus illi olim vsi sunt, curandis animarum vulneribus adhibeamus, in quibus primas semper tulit religiosa Eucharistiæ prætermissio.

Cum Sacerdotibus præcipiat atque interdicat, vt satisfactiones peccatis pro portione congruentes irrogent, ne si indulgentius agant alienorum peccatorum participes efficiantur: quo tandem pacto certius comminationis huius vim effugias, quam si admirabilem pœnitentiæ cum peccato æqualitatem & analogiam, quam omnes Patres docuerunt, sequare, hominique aliquantisper Christi corporis communione mulctato, horribilis pœnæ, qua à Dei conspectu depelli æternùm meruit, acerbitatem repræsentes.

Cum claues Sacerdoti non ad soluendum modo

ſed & ad ligandum conceſſas ex Antiquorum doctrina pronuntiet: quis moleſtè ferat eum in peccatoribus à Communionis vſu ad tempus prohibendis hac vti poteſtate, cum in ea re vniuerſi Patres, quos duces ſequi Synodus iubet, poteſtatis ligandi potiſſimam vim ſemper poſuerint.

Cum Confeſſionem ad eum finem pertinere, vt peccati grauitati par pœnitentia referatur, conſtituat: quid mirum, ſi quemadmodum Euchariſtiam mortalium peccatorum reis ante Confeſſionem arripere nefas eſt, ita nec illam attingant, antequam pœnitentiâ, ad quam refertur ipſa confeſſio, defuncti fuerint.

Denique cum publice peccantes ad pœnitentiam publicam adigendos, hoc eſt, à ſacra Communione palam arcendos planiſſime decernat: quis piam iſtam ab Euchariſtia ſeceſſionem vtiliſſimam neget, tum ad peccatores ſalutifero terrore à delictis refrænandos, tum ad inflammandam in eorum animis criminum voluntaria ſeueritate expiandorum cupiditatem, aſſidue oppoſita eorum oculis ſempiternæ excommunicationis imagine, quam temporaria excommunicatio adumbrat.



CAPVT XXXIII.

ANTIQVVS POENITENTIAE MOS A S. Carolo varijs modis comprobatus : ac primum Pœnitentialibus Canonibus in integrum restitutis, Sacerdotibusque eos tenere ac pro norma habere iussis.



CÆTERVM etsi tot sanctissima postremi Concilij Oecumenici decreta ab eodem quo edita sunt, hoc est, ab Ecclesiæ vniuersalis spiritu, qui à generali Patrum consensu nunquam abest, exposita, Ecclesiæ mentem abundè illustrent : Dei tamen singularis prouidentia virum sanctitate insignem, antiquæ pietatis viuam imaginem, nostræque formam excitauit, qui Concilij sententiam latius explanaret, ne ex sacri illius Cœtus breuiloquentia Sacerdotum immoderata ac perniciosa lenitas, & Peccatorum ignauus ad pœnitentiam torpor excusationem aucuparetur. S. Carolum Borromæum dico, qui cum ad coronidem Sacro Concilio addendam felicissimè incubuisset, in eiusdem decretis interpretandis & exequendis, non minorem, quoad vixit, operam posuit.

Non erit, opinor, quod querare, si Archiepiscopi illustris, eximij Cardinalis, viri denique sanctitate spectatissimi, in quo Deus tres Hierarchiæ præcipuos gradus consecrauit, autoritatem pari lance cum tua expendendam, eoque duce & auspice censuram tuam non magnopere extimescendam arbitremur.

Quæramus igitur num doctrinæ ac leges illius eum qui antequam Eucharistiam adeat, in pœnitentiæ exercitationibus hærere tantisper velit, temeritatis damnari patiantur. Eas vero ad tria præcipua capita reuocabo, ex quibus constabit, diuinum illum virum nihil aliud egisse, nisi vt ijs quæ modo commemorabamus Concilij fundamentis sua extrueret, latioraque & diffusiora eius præcepta ad certas & singulares formulas adduceret.

Primum caput, quo vno opprimi te necesse est ac liquidò coargui, cum illam à te adeò repudiatam praxim & disciplinam tanti viri sensibus consentientissimam demonstret, in eo repono, quod antiquos Pœnitentiæ Canones referendos renouandosque decreuerit.

Actorum illius Parte 4. vt quæ à Concilio Tridentino de pœnitentijs criminum grauitati quoad licet paribus imponendis tam vehementer scripta sunt, à Presbyteris ad vsum conferantur, principiò quanti ponderis ea res sit præfatus, monet Sacerdotes & Parochos *vt maximè videant ne pro peccatis grauibus leuissimas pœnitentias imponant, id quod & Confessoribus & Pœnitentibus periculosum est, cum id à sacris Litteris, & à Conciliorum decretis, & à SS. Patrum sententia alienum sit. Nam diuinæ litteræ ab ijs qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, vt fructus dignos pœnitentiæ faciant, vtque ad Dominum conuertantur in ieiunio, fletu, & planctu. Et vero qui peccatis grauibus leues quosdam pœnitentiæ modos imponunt, Hi, Canon inquit, consuunt puluillos secundum Propheticum sermo-*

Sacrament. S. Caroli in Instruct. Pœnit. Actor. part. 4. p. 523.

nem ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Imo Concilium Tridentinum docet *alienorum peccatorum participes fieri eos Confeſſores, qui dum cum pœnitentibus indulgentius agunt leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis injungunt.*

Quibus vocibus non leuiter moueri par eſt, qui de munere ſuo rationem ſe Deo reddituros ex animo cogitant. Veruntamen ne verborum illorum generalium velut inuolucris negligentiam tegerent, ſatisfactionum ab ipſis præſcribendarum exempla apponit. *Vt, verbi gratia, pœnitens veſtium ſericarum vſu, auri ornamento, conuiuiorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abſtineat. Vt egentibus hominibus cibum ſuppeditet, ac miniſtret: pedes item lauet. Vt peregrinos pro facultatum ratione hoſpitio excipiat. Vt in publica domo hoſpitali locove pio aliquot dies operam nauet. Vt viſitet qui in carcere ſunt, eoſdem conſoletur, & cum per facultates poteſt, alat certo præſtituto tempore. Vt ſe per aliquot dies in Monaſterium aliquod, aliumve ſemotum locum abdat, vbi pœnitens viuat. Vt aliquot diebus carne, aut vino item abſtineat. Vt certis diebus, præſertim feria quarta, ſexta, & ſabbato ieiunet: vel etiam veſcatur ſolum pane & aquæ potu vtatur. Vt certo aliquo tempore non equitet. Vt humi aliquandiu iaceat, cubetve. Vt cilicium aliquot dies induat*, & alia eiuſmodi.

Pœnitentias etiam pro culparum & perſonarum varietate diſpares à Sacerdote conſtitui iubet, *Ita vt* Ibidem. *ſuperbis humilitatis opera, carnis voluptatem ſectantibus ieiunia,*

ieiunia, abstinentiam, cilicij gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati grauitate indicat. In oratione negligentibus, vt singulis diebus mane saltem & vespere orationi vacent: feria secunda & alijs certis ferijs pro defunctis orent: certis item definitisque diebus deuote visitent stationales & præcipuæ deuotionis Ecclesias & altaria, præsertim in Quadragesima & in Aduentu. Mundi pompas, choreas, aliaque opera Sathanæ consectantibus eam Pœnitentiam imponet, vt in hebdomada mane certis diebus, id quod in singulos dies etiam faciendum esse grauissime B. Chrysostomus monet, sancta meditatione sibi proposita solennem illam sponsionem quam per compatres in baptismo sancte fecerunt redintegrent, intime Deum precando. In qua precatione firmo stabilique animi proposito statuant se Christo Domino adhærere, renunciareque iterum seculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se aduersarios esse & professi sunt & profitentur perpetuò.

Quid his præceptis sanctius? Quid animarum Rectoribus vtilius? Neque tamen hactenus stetit, sed ad ipsum fontem, sacramque illam quam Dei Spiritu impulsus tantoperè venerabatur antiquitatem sibi pergendum putauit. Non enim absolutiorem pœnitentiæ formam Presbyteris proponi posse intellexit, quam priscas illas pœnitentiæ leges quas his temporibus sine temeritatis nota seruare non posse summa ipse temeritate finxisti.

Quamobrem nouum Pœnitentiæ Canonum corpus, Decalogi etiam, quo planius & facilius foret, ordine digestum contexuit. Ac ne cui consi-

lium & mens ipsius obscura esset, sic eam ipse declarat: *Patres docuerunt, quam necessaria admodum sit Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, Canonum pœnitentialium scientia.*

Ibidem.

Disce nunc tandem ex SS. Patribus & B. Carolo, sicut corporum medicis, non morborum tantum sed medicamentorum in primis est studiosè exquirenda notitia: Similiter animarum medicos maxime quidem peccatorum dignoscendorum explanandorumque artem appetere, sed multo etiam accuratius ac diligentius in remediorum, ab ijs qui curandarum animarum scientia maxime floruerunt ad eosdem morbos adhiberi solitorum, varietate perdiscenda versari oportere. Quod & ipse deinceps his verbis explanat.

Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed iustitia etiam metienda sunt: certe norma hæc È CANONIBVS POENITENTIALIBVS (Expende has voces quibus, vt postea demonstrabimus, controuersia nostra dissoluitur) SVMATVR OPORTET. *Sunt namque ij quasi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commissæ grauitatem recte dignoscendam, tum* AD IMPONENDAM PRO ILLIVS RATIONE VERAM POENITENTIAM *Sacerdotes Confessarij ita diriguntur, vt vbi singula & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint, tum demum Pœnitentiam iudicio ac prudentia sua moderentur.* Quod quidem semper Ecclesia tenuit,

Concil. Ni-

à qua pœnitentiæ modus nunquam ita præfinitus fuit, quin penes Episcopum esset pro eo ac pœnitens doloris, lachrymarum, ac piorum operum perseuerantia mereri videretur, aliquid de ipsius seueritate remittere.

cæn. can. 12. Ancyr. can. 5. Carthag. 3. can. 31. Basil. ad Amphiloch. can. 74. & 84. Isaac Lingon. tit. 1. can. 26. 27. 29. Sacrament. S. Caroli ib.

Atque hæc quidem, omnisque alia quæ multiplex est huius necessariæ cognitionis ratio à Patribus explicata, acit, vt Canones Pœnitentiales pro Decalogi ratione dispositi, in vltimam huius Libri partem referantur, vnde aliqua eorum notitia ab ipsis Confessarijs Sacerdotibus sumi possit. His postremis vocibus significans eosdem vberiorem Canonum notitiam è Patrum, Conciliorumque monumentis petere oportere.

Restat vt Canonibus illis inspectis, quasnam Sacerdotibus Pœnitentiæ regulas B. Carolus proposuerit, animaduertamus.

Ac primo quidem Canones illi non crimina tantum grauissima & publica, sed quælibet mortifera peccata, nonnulla etiam minime mortifera, vt fortuitum homicidium complectuntur, vt cuiuis legenti patet. Quod si attendas, ne duo quidem postrema Decalogi capita prætermissa, reique alienæ occupandæ, vel committendæ fornicationis solam cupiditatem grauissimis diuturnæ pœnitentiæ laboribus plecti: nimirum fatebere vel inuitus, effugium, quo sanctam illam disciplinam in eos solos, qui ob nefaria crimina publice pœniterent, detorquere conaris, hoc loco nisi absurdissime adhiberi non posse.

Deinde (quod diligenter obserues velim) hoc

Canonum illorum vniuerſorum commune eſt, vt Euchariſtiam omnes, alij in dies aliquot, in menſes alij, alij in plures annos, nonnulli etiam ad extremum vſque ſpiritum interdicant,

Conſtat enim nullam Canonibus pœnitentiam vnquam præſcriptam, cuius caput Euchariſtiæ intermiſſio non eſſet. Vnde Iuo Carnotenſis loco ſupra allato, SENTENTIAM SYNODALEM eam appellat, *quæ crimina ſua confitentes aliquandiu à corporis & ſanguinis Chriſti Communione ſuſpendit.* Hanc enim pœnam Canonica omnis pœnitentia, ſiue nominatim commemoretur, ſiue taceatur, includit.

Epiſt. 230.

Plerique tamen B. Caroli Canones eam diſertius expreſſam habent. Qui ſine cauſa neceſſaria in Quadrageſima carne veſcitur, à Paſchali Communione & à carnibus edendis longo tempore prohibetur. Qui ad litem alteri intendendam gratiamque cum eo nunquam reconciliandam iureiurando ſeipſum adſtrinxit, anno perpetuo ab Euchariſtia excluditur. Peieranti apud Iudicem ad annos ſeptem; Catholicæ fidei deſertori ad decem; Sacrilego Eccleſiæ facultatum raptori ad quatuor annos Communio interdicitur. Qui vero de induſtria cædem fecerit, pro Eccleſiæ foribus, quoad vixerit, ſtare, & ſupremo demum die ſuo Euchariſtiam ſumere iubetur. Inceſtus crimen, ac Preſbyteri poſtquam exautoratus fuerit, ſacrum facientis pari pœna plectuntur. Adulteræ poſt decennij duntaxat pœnitentiam Euchariſtia conceditur. Fœneratori

trium annorum, quorum primum aquâ tantum & pane victitet, pœnitentia decernitur. Fornicationi à duobus solutis susceptæ totidem anni describuntur; atque alijs similia multa quæ sigillatim referre longum foret.

I nunc, & zeli tui aculeos in Beatissimum Carolum conuerte. Finge legum ac disciplinæ Ecclesiasticæ perturbatorem, qui eam Sacerdotibus normam vt Sanctissimam tradiderit, quæ cum *præsentis Ecclesiæ praxi* (ita enim ais) aduersa fronte confligat, quique pro lege & forma propositos eis voluerit Canones, qui *temerarium* illum, te iudice, & plane absurdum, pœnitentiæ *plures dies*, imo menses, ante *Communionem agendæ morem* identidem inculcent.

Id tamen agit in primis; nec semel tantum, sed plurimis Actorum suorum locis. Nec Sacerdotibus quidquam vehementius præcipit, quam vt imponendæ pœnitentiæ modum ex veterum Canonum præscriptione definiant. Animaduertenda vero potissimum, quæ de hac re in Italica Institutione commemorat. *Sacerdotes*, inquit, *Canones Pœnitentiales teneant. Quamuis enim prudenter & considerate pro pœnitentis dolore, hominumque varietate, alijsque circumstantijs attemperari & possint & debeant, eos tamen obseruari atque vt formam & regulam, quantum expedire videbitur, exprimi, semper laudabile est.*

Per tãto deue il Confessore sapere li Canoni Pœnitentiali; percioche quantunque si possino, e si debbano moderare ad arbitrio di prudente e discreto Cõfessore, secõdo la contritione del Pœnitente, ò la qualità, e diuersita delle persone, & altre circonstãze; nondimeno è bene sempre guardare li sodetti Ca-

Porro veteres obseruare Canones nimirum est homini pœnitentiam indicere, nec nisi post diuturnas lachrymas, longumque mœrorem Commu-

roni & à quelli come a regole cõformar si, quãto si giudicarà spediente. *Act. Eccl. Mediol. Part. 4. in Instr. Confess. p. 769.*

nionis gratiam indulgere. Atqui autore B. Carolo antiqui Canones semper, quantum potest, obseruandi sunt. Quæro igitur ex te quid sentias de causa quæstioneque huiusmodi. Grauibus quispiam coopertus peccatis Deo permouente, adit ad Sacerdotem: intimas animi labes aperit, orat & obtestatur, vt quam maxime salutiferam optimamque sibi curationem adhibeat. Sacerdos Scripturæ & Canonum vt iubet B. Carolus, doctrina imbutus, hinc quam diro ac nefario crimine fœdus in Baptismate cum Christo initum infringatur, pulsoque diuino Spiritu in eius locum dæmon pessimus inducatur exponit; Illinc Dei misericordiam omnes ingrati cuiusuis animi improbitates & vitia immenso quodam interuallo superare, semperque ad amplectendos, qui ad ipsam ex animo sese recipiant, paratam atque expositam. Sed cogitandum illud in primis ex Ecclesiæ sententia nequaquam satis esse, si à nequitia discedat, peccataque confiteatur, nisi eadem pœnitentiæ seueritate delere contendat. *Quid enim prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ?* Deinceps vt ad normam institutionemque S. Caroli propius accedat, docet pœnitentialium Canonum decretis complures ei annos antequam reconciliatione Eucharistiaque donetur, in lachrymis, gemitibus, ieiunijs atque omnigenis laboribus ac molestijs iacendum. Verumtamen antiquam illam quamuis æquissimam seueritatem benignius temperans hominem adducit, vt menses saltem aliquot

Gregor. in 1. Reg. lib. 6.

Dei exorandi, pietatisque corrobandæ gratia in
pœnitentiæ exercitationes incumbat. Quo tem-
pore Deum illi sacrificijs propitiare contendit, iu-
uat consilio, cohortationibus accendit, laboran-
tem & titubantem fulcit, tentationum laqueos ex-
plicat, humilitatem pœnitentiæ congruentem fo-
uet, peccatorum terrorem diuinæ misericordiæ fi-
ducia minuit, suos denique gemitus ac preces cum
illius gemitibus & precibus copulat, atque vt per-
fectum amantissimi rectoris impleat munus, pœ-
nitentiæ illius parte defungitur. Ita aliquandiu spe-
ctatum & probatum absoluit, & sacra Commu-
nione impartitur.

Discute paulisper oculis tuis offusam nubem.
Quid tandem in eiusmodi disciplina non æquum,
non sanctum, non salutiferum, non Christianæ
Religionis integritatem ac pietatem spirans, non
sua sponte laudandum prædicandumque reperias?
Imo vero quid offendas cum Sanctissimi illius Ar-
chiepiscopi institutis non consentientissimum?
Sacerdotem Canones pœnitentiales tenere iubet; Hac
scientia eum de quo loquor præditum volo: *Pœ-
nitenti pœnam à Canonibus præscriptam exponere*; Id
noster ille sedulò facit: *Canones semper quantum pos-
sit obseruare*; Hinc illi certissima fiducia est nihil re-
ctius à se fieri posse, quam vt pœnitentem ad Ca-
nones saltem ex parte obseruandos impellat: cen-
suræque tuæ securus, quæ B. Carolum magis pe-
tat quam se, ad pœnitentiam ex omnium Ca-
nonum decreto ante Communionem tantisper

obeundam, quoſcumque ita animatos nactus fuerit, cohortetur.

Hanc quidem commodam antiquæ ſeueritatis moderationem veraque prudentia & æquitate temperatam merito dixeris; vt videlicet pœnitentiæ ſpatia à Canonibus præfinita minuantur: vt publica ſatisfactione, quatenus rectum videbitur, in priuatam commutata, quod vniuerſa Eccleſia inſpectante Patres fieri voluerunt, id Deo teſte perfici ſatis habeatur: vt pœnitentes ne priuatim quidem ſacco operiri iubeantur, quem antiquitus luce palam in omnium oculis geſtare ne fœminæ quidem primariæ erubuerunt, vt de Fabiola teſtis eſt Hieronymus: vt conjuges, quemadmodum olim, ſegregandi non putentur: vt peccatoribus ſolidorum annorum ieiunia pane & aqua toleranda non indicantur: vt pro Eccleſiæ foribus non collocentur, fidelium miſericordiam & deprecationem lachrymis ac gemitibus expetituri: vt humillimis illis ac toties repetitis corporum projectionibus ad manuum impoſitionem publicè accedere non compellantur: vt denique imbecillitatis eorum leuandæ cauſa remittantur & condonentur innumera, quæ ſub antiqua illa Chriſtianarum mentium virtute ad animarum ſalutem fructuoſiſſimè, ad diuinam iuſtitiam religioſiſſimè, ad Eccleſiæ exemplum efficaciſſimè obſeruabantur.

Hæc illa eſt prudentia quam B. Carolus in pœnitentijs Canonicis imponendis adhiberi, earumque varietatem ad pœnitentis ordinem, ætatem,

ſexum, contritionis vel remiſſionem vel vehementiam accommodari iubet. Recte enim vidit interiorem dolorem nonnunquam tam acrem eſſe poſſe, vt per eum omnis exterior pœnitentia ſuppleatur: Sicut viciſſim pœnitentiæ exterioris vis ita contenta interdum, continua, æquabiliſque & conſtans eſſe poteſt, vt lachrymarum ac doloris interioris, qui nonnunquam obſcurior eſt & minus notus Sacerdoti, vicem quodammodo impleat.

Atque hoc loco in mentem venit quod à Balſamone in Epiſtolas Baſilij canonicas ſcriptum eſt. Cum militem homicidij reum poſt breuiſſimam pœnitentiam abſoluiſſet Epiſcopus, Imperatorem cui tanta indulgentia minimè probaretur, Concilium à Patriarcha Conſtantinopolitano de reconciliatione illa haberi voluiſſe. Cumque Epiſcopus à Concilio euocatus magna vi Canonum Epiſcopis contrahendorum producendorumque pœnitentiæ temporum poteſtatem facientium ſe tutaretur: *Sancta Synodus*, inquit Balſamon, *Canones illos ad diuinum Sancti Spiritus lumen in illis reconditum exigens, milite ad pœnitentiæ vincula reuocato, Epiſcopo Eccleſiaſtici muneris vſu ad tempus interdixit; cum diceret Epiſcopis quidem pœnitentias Canonicas augendi ac minuendi ius eſſe, non tamen quæ triplici fune colligandа ſint, aranearum filis implicandi.*

Η ἁγία σύνοδος τοὺς κανόνας ὁ ἐθορμήσασα κατὰ τὴν ἐνοῦσαν αὐτοῖς ἐκ τοῦ παναγίου πνεύματος θεοπρέπειαν ἔλλαμψιν, τὸν μὲν στρατιώτην καὶ αὖθις ἀλυκοπέδαις ἐπιτιμίων κανονικῶν καθυπέβαλλε, τὸν δὲ ἀρχιερέα μετρίῳ ἀφορισμῷ ἀλλ-

Quare temperata illa quam prudentia ſequitur Canonum moderatio, plurimum diſtat ab vniuerſa, quam negligentia affert, eorumdem diſſolutione, vt ipſorum ne veſtigium quidem appareat.

Quam vero à fallaci ista quam inducis indulgentia B. Caroli mens atque institutum abhorruerit, vel illud argumento est, quod si Sacerdotibus ea vtendum censuisset, absurdius eos tanto studio & Canones cognoscere, & tum ad peccatorum grauitatem, tum ad veram delictisque congruentem pœnitentiam dijudicandam exploratissimam eorum normam habere iussisset.

θυεγκατίας ἐστενοχώρησεν εἰποῦσα, ὡς τοῖς ἀρχιερεῦσι μὲν ἐφεῖται αὔξειν καὶ μειοῦν τὰ κανονικὰ ἐπιτίμια. ἀρχιερατικοῖς δὲ μὴ τοῖς δεσμεῖν τὰ καλοδίοις ἐν τείτοις καταδεσμεῖσθαι, ὀφείλοντα, οὐκ ἐνεδόθη. *Theod. Balzam. in can. ep. S. Basil. can. 74.*

Quis enim tandem intelligat, cognitis mihi opus esse Canonibus, quibus fornicatori triennij pœnitentia ante Communionem indicitur, vt fornicatorem istum ipsum Orationem Dominicam quinquies recitare iussum, ad Communionem statim immittam? An vero Canonem quo adultero post decennij pœnitentiam Eucharistia conceditur tenere me necesse est, vt adulterij reos posteaquam Psalmos pœnitentiales ter quaterve decurrere, aut feria sexta ieiunium iterum aut tertiò tolerare præcepero, Eucharistiam continuò porrigam? Denique si Sacerdoti eo ipso quo flagitia confessus fuerit, aut postero die sacrum peragendi potestatem fecero; an S. Caroli ei post tale crimen pœnitentiam decennalem irrogantis normam executus videbor?

Sed in re perspicua diutius morari nihil attinet. Ipsa quam prodis Canonum istorum ignoratio, opinioque quam præ te fers, eorum notitiam ad regendas animas superuacaneam, imo noxiam habendam, quod à vulgari praxi nimium absit, prorsus indicat, te in hominum qui ad Deum sese reci-

pere velint, instituendorum ratione, à S. Caroli & Patrum quorum vestigia ille persecutus est, animo ac sententia penitus abhorrere.

Quocirca, vt hoc tandem Caput concludam, grauissimas regulas, quas Beatissimus ille Archiepiscopus, vt alijs traderet, è Traditionis Ecclesiasticæ fontibus hauserat, ob oculos tibi ponere satis fuerit.

Earum prima est, Canones antiquaque Conciliorum & Patrum de peccatis puniendis instituta cognita perspectaque esse oportere, vt pœnitentiæ tribunal ac munus probè administretur. Hinc vetus illud clarissimi Pontificis decretum in Canonum Corpus insertum, *Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis possit obuiare.* *Cælestin. ep. 3. c. 1.*

Altera est, iuris ex tribunali illo dicendi formam & rationem à Canonibus petendam: nec ijs vtendum ad culparum grauitatem tantum pernoscendam, sed & ad veram pro peccati cuiusque modo constituendam pœnitentiam. Vnde Gregorius septimus *falsas* eas *Pœnitentias* pronuntiat, *quæ non secundum autoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur.* Et Isaacius Lingonensis Episcopus Canonum qui ad pœnitentes pertinent titulum his præclaris vocibus claudit: *Qualis vero peccatis adhibenda sit medicina secundum Canonum authenticorum & Sanctorum Patrum esse debet institutionem, & non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sectan-* *Greg. VII. in Conc. Rom. 5.* *Isaac. Ling. in can. tit. 1. can. vlt.*

da est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda: quatenus dignis precibus & pœnitudine digna placare possit Omnipotentis Dei vindictam quam suo vitio prouocauit.

Tertia regula est, tametsi Canonum seueritas ex pœnitentis contritione, ætate, viribus, aliisque affectionibus temperari possit & debeat, eos tamen vt diserte iubet B. Carolus, *semper quantum potest, esse obseruandos.* Ex quo intelligitur, eum qui homines ad pœnitentiæ exercitationes ante Communionem, vt vniuersi præcipiunt Canones, demissis animis tantisper subeundas adducit, non vituperatione vlla, sed æterna Dei hominumque laude dignum haberi oportere.

CAPVT XXXIV.

SECVNDVM ARGVMENTVM EX EO PETI, quod B. Carolus peccatoribus publicis publicam pœnitentiam decreuerit.


SECVNDVM argumentum vnde B. Caroli acerrimum in veteri pœnitentia restituenda studium perspicitur, illud est; quod salutare Concilij Tridentini decretum de peccatoribus publicis ad publicam pœnitentiam adigendis sæpius repetitis sanctionibus renouauit.

In primo Mediolanensi Concilio à Sede Apostolica confirmato ea de re vna cum Prouinciæ suæ Antistibus ita loquitur: *Iidem (Confessores) quemad-*

Concil. Mediol. 1, de Pœnit. p. 11.

modum à S. Tridentina Synodo iussum est, publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponant: neque illud publicæ pœnitentiæ genus nisi data ab Episcopo facultate secreta alia pœna commutare audeant.

Quod idem decretum in tertio Prouinciali Concilio iteratum est. Idque in Libro qui *Sacramentale* inscribitur, Sacerdotes exequi in primis monet. *Si quis igitur*, inquit, *grauiter publiceque peccarit: cum publicam pœnitentiam restituendam esse sacra Tridentina Synodus decernat, ei publicam pro ratione criminis imponet. Si cui autem cum publicè offenderit, pœnitentia publica imponenda est, is ab ea longe refugiat; ne destistat propterea persuadere, vt suscipiat: si minus persuasionibus potest, consulat Archiepiscopum.* *Sacrament. S. Caroli. Actor. part. 4. p. 523.*

Denique in eximia Institutione, quam Diœcesis suæ Confessarijs lingua vernacula scriptam edidit, quæque in Actorum ipsius 4. Parte habetur, idem illis ex Concilio Tridentino, duobusque suis Concilijs Prouincialibus inculcat, additque expressis verbis vt in Concilio primo: *Non committat Sacerdos vt sine certa potestate à nobis accepta, pœnitentiam publicam in priuatam commutet.* Nè commuti dette satisfattioni, ò Pœnitenze publiche, senza auerne da noi espressa facoltà. *Actor. part. 4. p. 769.*

Quodque etiam grauius est, in ijs *ad quæ seruanda Regulares, si opus erit*, nulla immunitatum ac priuilegiorum habita ratione, declarat ab Episcopo *esse cogendos*, illud annumerat in primis, *Ne relaxent publicam pœnitentiam sine Episcopi consensu.* Ita decreti huius æquissimi autoritate Regularis quisque quamlibet se ab Episcopi iure immunem prædicet, ab illo tamen ad vtilissimam Concilij de pœ- *Act. part. 4. Instruct. Visitat. p. 668.*

nitentia publica restituenda legem obseruandam pro potestate compelli potest. Ex quo patet instaurationem istam pœnitentiæ, quam tantoperè improbas, vsque adeo Ecclesiæ vniuersæ salutarem visam, vt nulla esset tanta immunitas ac libertas quæ impedimentum ei ac moram afferre posset.

Equidem tot decreta toties iterata præclare indicant quam vehementi studio ad veterem illam quam confidentissimè damnas, *Ecclesiæque præsentis*, vt tuis verbis vtar; sensui in primis contrariam existimas, pœnitentiam redintegrandam vir ille sanctissimus contenderet. Ita enim necessarium duxit, insigniores quosque peccatores ad eam adstringi, & crimina publicè admissa (quæ in tam corrupta ætate nimio plus quotidiana sunt) laboriosis pœnitentiæ publicæ exercitationibus cogi eluere, vt nullis Sacerdotibus, ne ijs quidem qui ab ipsius imperio immunes forent, integrum esse voluerit, eos illis exoluere ac liberare; vt tanto minus loci disciplinæ resoluendæ pateret, omnisque opera adhiberetur, ne per prauam Sacerdotum indulgentiam vniuersa sua decreta irrita iacerent. Nihil enim in disciplinam Ecclesiasticam tantam labem inuexit, quantam Sacerdotum in Canonum præscriptionibus remittendis ac relaxandis voluntaria & inconsulta licentia. Huic tanto malo quam maxima potuit diligentia vir diuinus occurrit, pœnitentiæque veteris illam instaurationem quam studiosissimè stabilire firmareque conatus est. Idem enim Dei Spiritus cuius instinctu Tridentina Synodus disci-

plinam illam iam intermortuam excitauerat, quanti ea esset ipsum edocuerat. Præclare ergo intelligebat, horrendam istam vitiorum, vt ita dicam, eluuionem, quæ se postrema hac ætate tanto impetu effudit, cohiberi aliter ac sisti nullo modo posse; cumque Presbyterorum negligentia, de qua toties conqueritur, Christianorum vitæ ac morum omnigena deprauatio potissimum foueatur, tam grauis mali medicinam nonnisi à contrarijs rebus petendam; exitiosæque illi lenitati vitiorum altrici opponendam iustam seueritatem, quâ sontes criminum suorum grauitatis cognitionem sensumque perciperent.

Quis iam non miretur cogitationes tam æquas, tam sanctas, tam Euangelicæ integritati consentaneas Censorum hodie aculeos effugere non posse? Ecclesiæ Pastoribus, & ijs quidem quorum pietas spectata est omnibus & probata, crimini dari, quod antiquæ disciplinæ, cuius instaurationem vniuersis Pastoribus postremi Concilij oraculo Spiritus Sanctus indixit, vmbram & speciem nonnullam Deo mire obsecundante reuocarint? A priuatis hominibus audacter damnari, quod ab Episcopis sacrosanctæ autoritatis testimonio comprobatur; quod à Deo varijs gratiæ sancitur miraculis; quod ab Angelis non iam de vnius peccatoris sed de innumerabilium conuersione exultantibus in cœlo celebratur; quod fidelis populi cœtus tanto studio amplectitur, alijs præsentissimum vulnerum suorum remedium, alijs pietatis incentiuum, vir-

tutiſque firmamentum, omnes diuinorum munerum vberrimum fontem agnoſcentibus; quod denique ipſi Eccleſiæ hoſtes cum quodam admirationis ac reuerentiæ ſenſu intuentur. Enimuero qui eo animo ſunt, vt quod aliorum omnium laude & gratulatione digniſſimum eſt, ipſis odio & ſcandalo ſit, harum Tertulliani vocum vim metuant: *Bonæ res neminem ſcandaliſant niſi malam mentem. Agnoſcant malum ſuum qui de tali bono ſcandaliſantur.*

Tertull. de Virg. veland. c. 3.

Capvt XXXV.

TERTIO IDIPSVM OSTENDVNT LEGES complures quas S. Carolus in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando religioſè obſeruari voluit: Ac primum de differenda eorum abſolutione, qui veſtium luxu & immoderatione labuntur.



Tertia denique ac poſtrema S. Caroli inſtitutorum animaduerſio planum faciet, etiam in priuatæ pœnitentiæ atque in criminum non publicorum nec probroſorum cauſis ſi è centum peccatoribus qui ſe mortiferis delictis inquinatos confitentur tres aut quatuor fortaſſis excipias, cæteros omnes diuinis Sanctiſſimi Præſulis legibus ad agendam pœnitentiam adigendos eſſe antequam abſolutionem conſequantur.

Quod vt demonſtrem, quatuor Regulas afferam è pluribus eiuſdem generis, quas de multorum tum è Clero, tum ex varijs Regularium ordinibus Theologorum ſententia, Preſbyteris omnibus in

Sacramento

Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando religiosè obſeruandas deſcripſit. *Vt norint, inquit, Confeſſarij non conferendum ijs abſolutionis beneficium qui re vera ea indigni ſunt (quod per incogitantiam , vel negligentiam , vel alia ex cauſa plerumque contingit , vnde fit vt quam plurimi in yſdem peccatis cum ingenti animarum ſuarum exitio longo tempore perſeuerent) nos de conſilio multorum tum ex Clero , tum ex varijs Regularium familijs Theologorum , quid in ijs caſibus qui frequentius incurrunt obſeruari debeat, infrà notauimus.*

Accioche li Confeſſori ſiano inſtrutti di nõ dare il beneficio dell' aſſolutione a quelli , che veramente ne ſono indegni, come per inconſideratione, ò negligenza o altra cauſa ſpeſſo accade , d'onde naſce che molti perſeuerano longo tempo nelli medeſmi peccati con mirabile ruine delle anime loro ; per queſto habbiamo cõ il parere de molti Theologi ſecolari è Regolari di varie Congregationi, notato qui à baſſo, quello che ſi deue oſſeruare da li Confeſſori in alcuni caſi più frequenti. *Act. part.4. in Inſtruct. Confeſſ p.765.*

Ex quibus primum illud conſiderabimus quod ad eos ſpectat, qui nimio & immodeſto veſtium vſu grauiter peccant , [a] quorum S. Carolus in poſterum differri abſolutionem iubet, quoad certo tempore vera emendationis ſigna ediderint. Cuius decreti hanc affert cauſam , [b] *quod his temporibus luxus iſte eò proceſſit, vt iam vltra quo progrediatur non habeat : idque magnam partem culpa & negligentia Confeſſorum, qui ſine vlla circumſpectione, ac fortaſſis ne admonitis quidem omnino ea de re pœnitentibus eos abſoluunt.* Ex quo patet præproperis illis abſolutionibus ad fouendam vitiorum conſuetudinem pernicioſius nihil eſſe : contraque nihil aptius ad eam minuendam, quam vt ex Patrum more adeo tibi inuiſo ad agendam aliquandiu pœnitentiam ablegentur , neque prius abſoluantur quam veris vitæ emendatæ argumentis animi conuerſionem teſtatam fecerint.

a L'iſteſſo s'oſſerui con quelle perſone, le quali nel ſuperfluo ornato del corpo e pompe peccano mortalmente. *Act. part.4. Inſtruct. Confeſſ. p.766.*

b Et perche ſono ridotte le Pompe di queſti tempi nel maggior colmo che poſſino eſſere, & in bona parte per colpa, e negligenza di Confeſſori ; li quali ſenza conſideratione alcuna, e forſe ſenza farne conſcienza alli Penitenti, gli aſſoluono, &c. *Ibidem.*

CAPVT XXXVI.

ALTERA LEX A S. CAROLO PRESBYTERIS lata, De peccandi occasionibus ante absolutionem tollendis. Quantopere proximarum peccandi occasionum dijudicandarum doctrinam nuperi Theologiæ Moralis Scriptores corruperint.



LTERAM D. Carolus regulam statuit: satis non habendum, peccatori certum & constitutum esse à peccato mortali sese abstinere, nisi & occasiones quæ eòdem ducant studiose declinet: parumque videri vt se facturum spondeat, maxime si promissis iam non steterit, sed absolutionem differendam, quoad reipsa ab illis se peccandi illecebris expedierit.

Non si possono parimente assoluere, chi nõ hanno veræ risolutione di lasciare insieme con li peccati mortali, le occasioni d'essi. *Actor. part. 4. Instruct. Confess. p. 769.*

Quam doctrinam oratione quidem ac thesi satis vulgarem fateor: sed res ipsa optare cogit & fideliorem eius vsum & intellectum expositionemque veriorem atque Euangelij decretis magis consentaneam, quam quæ ab ijs qui de fidelium moribus dirigendis præcipiunt, afferri solet.

Quid enim attinet generatim negare absoluendos qui peccandi occasiones non declinent, si præposteris argutijs efficias, vt vix vnquam dicere liceat hominem in proxima peccandi occasione versari: ac sicubi forte id acciderit, quibuslibet causis quantumuis inanibus & commentitijs eam defugiendi necessitate illum exoluas? Hoc vero est, quod istorum plerique moliuntur.

Nam nec haberi volunt peccandi occasionem quam declinare necesse sit, nisi quæ in mortiferum peccatum inducat, semper, aut ferè semper, aut saltem sæpissimè, & quæ *nunquam aut rarò* eueniat, quin scelus consequatur. Itaque est in eorum numero cui proxima peccandi occasio non videatur, *Si quis bis, vel semel in mense peccet cum illa cum qua domi cohabitat: nam sic*, inquit, *posset peccare cum extranea*. Quasi vero detestanda crimina non sint, nisi quotidie admittantur; & fornicatio vnica minus valeat hominem à fruendo Deo æternùm excludere.

Et vero affirmant (vt vnus eorum qui nuper admodum scripsit refert ac probat) Absolui posse qui in peccandi occasione hærent, velut *qui versantur inter mulieres quasi semper emendo, vendendo, laborando, & conuersando absque cohabitatione illarum in domo eadem, tamen cum his peccant sæpius voluntate, verbis & tactibus impudicis, etiam cum copula*: ETSI OFFICIO, DOMO, NEGOTIATIONE DISCEDERE NOLINT, IN QVA PERICVLVM PECCANDI PROPINQVÈ IMMINET, MODO HABEANT EIVS REI PROBABILEM CAVSAM: *vtsi id præstare non queant, quin in sermonem hominum veniant, aut ipsi aliquo afficiantur incommodo.*

Bauny in Gallica peccatorũ Summa primæ Edit. p. 702.

En quemadmodum homines adducuntur vt in sceleribus & flagitijs consenescant, dum leuissimo incommodi proposito periculo in quibusuis eorum occasionibus iacere sinuntur: perinde quasi

non ipſa veritas edixerit vniuerſi etiam orbis poſſeſſionem pro nihilo putandam vbi animæ ſalus agatur.

Videndum vero quibus tandem rationum momentis tam noxia doctrina nitatur. *Cur autem?* (inquit idem Autor) *Quia præceptum de euitanda occaſione quæ quaſi certò ad flagitium homines inducit, eſt affirmatiuum aut negatiuum. Si primum,* IN TALI NECESSITATE (hoc eſt, vbi hominum ſermo, aut aliquod incommodum conſequeretur) OBLIGARE NON POTEST. *Si ſecundum, non intelligitur vim habere niſi in eo caſu quo quis vltro in peccandi occaſionem ſe conijcit, aut libenter in ea perſeuerat, ſi repente & inconſulto in illam inciderit. At vero quod ad negotiationem & habitationem pertinet, quæ ſine ſcandalo* (hoc eſt ſine hominum rumore & incommodo) *dimitti non queunt, pericula peccandi quæ cum ijs conjuncta ſunt quæri non videntur, neque in eo ſenſu voluntaria eſſe quaſi vitari poſſint ſine honoris vel bonorum temporalium detrimento. Ex quo ſequitur nullam in eo eſſe culpam ex quarta iuris Regula: Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.*

Bauny ibid. p. 702. Quod etiam repetit Theolog. Moral. Tract. 4. q. 1. p. 94.

Si hæc ratio valeat, nihil iam nec Decalogo, nec Euangelio ſupereſt loci. Rogo enim quemuis hominem, pauliſper attendat quæ res tandem agatur. Nempe quæritur quid valeat præceptum *de occaſione ferè certa peccandi mortaliter euitanda* (hæc enim ipſa eſt ab Autore illo poſita quæſtio) Hoc ergo *præceptum* (quod nemo non videt voluntariam & mutabilem legem nequaquam eſſe, ſed naturalem,

diuinam, immutabilem & æternam) *negant posse obligare* (notentur hæc verba) *in tali necessitate vt seruari non possit, quin in sermonem hominum venias, aut aliquo afficiaris incommodo.* Cui tandem vnquam audita Theologia hæc, Dei leges OBLIGARE NON POSSE, nisi vbi libeat, ac sine incommodo fieri possit? Quæ si semel probata fuerit, quodnam reperiatur vel legis naturæ, vel Christianæ pietatis officium, à quo se passim homines seculo & carni addicti recte solutos ac liberos non arbitrentur.

Atque adeo ex hoc eodem pestilenti riuulo manat quod idem Autor ibidem docet, non peccare seruos & ancillas qui heris suis ad libidines ministros & adiutores se præbeant, *qui ferunt nuntia, qui deferunt litteras, qui referunt hinc inde horam ad peccandum*, cæteraque infamis commercij obeunt, *modo id fiat propter temporalem commoditatem*: nimirum sordida & abjecta temporalis lucri cupiditas, quæ ex veris Christianæ doctrinæ principijs virtutes ipsas in vitia conuertit, ex autoris huius sententia, vitia vel fœdissima honestat, & flagitiosissimas actiones culpa liberat. *Bauny in Gallica peccatorũ Summa 1. Edit. p. 710.*

Quam vero lugendum ac deplorandum spretis decretis Christi ipsius ore prolatis, Euangelicarum præceptionum loco prorsus contrarias dirigendis moribus formulas obtrudi? Quid enim ad perniciosam istam orationem *neminem ad proximas & pene certas peccandi mortaliter occasiones euitandas obligari, cum id facere non potest, quin sermonem hominum commoueat, aut aliquo afficiatur incommodo*: Quid, in-

quam, ad exitiosum dogma istud funditus euertendum his Christi verbis ter in Euangelio repetitis clarius desiderari queat: *Si manus tua, vel pes tuus scandalisat te* (hoc est, si ruïnæ & perditionis occasio sit) *abscide eum & proijce abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debitem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scandalisat te, erue eum & proijce abs te: bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Matth. 18. v. 8. Et 5. v. 29. Et Marc. 9. v. 44.

Quicquid tandem per manum, pedem, oculum Christus intelligi voluerit, non aliud profecto quam res charissimas, & quibus sine maximo incommodo carere non possumus, intellexisse Patres docent, quandoquidem ex omnibus corporis partibus eas potissimum selegerit, quæ ad omnes vitæ functiones vsum maxime frequentem habeant, & quarum iacturam acerbissimè ferre soleamus. Nec vero solam manum, sed & manum dexteram alibi appellat, *Si dextera manus tua scandalisat te*, quo magis rei qualiscumque tandem per manum significatæ vtilitatem & necessitatem exprimeret. Et tamen apertè pronuntiat res adeo vtiles ac necessarias procul amouendas, si à pietatis studio auocent, ac ruïnæ occasionem afferant: nec tantum amouendas, sed vim etiam atque violentiam adhibendam, quam *eruendi, abscindendi, amputandi*, Chrysostomo interprete, verba significant. *Etsi*, inquit S. Doctor, *tantum aliquem diligas, vt eo dextri oculi vtaris vice: aut ita tibi quempiam esse vtilem putes, vt*

Matth. 5. v. 30.

Chrys. hom. 17. in Matth.

eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen animæ tuæ fortaßis incommodent: etiam istos à te abscinde. Et quidem vim sermonis obserua. Non enim dixit, A talium societate discede: sed maximam separationem indicans, Erue, inquit, ac proijce abs te. Qua in primis re comprobatur illud Christi: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11.

Si quis igitur persuadere iam velit, saluis Euangelij legibus liberum cuiuis esse, *in proximis & fere certis peccandi occasionibus permanere, vbi eas sine suo incommodo vitare nequibit*, antea probet oportet, eum qui oculum eruat, dextramve manum abscindat, inutilia corporis membra quorum iactura nihil incommodi habeat abijcere.

Atque hæc sunt humanæ mentis aberrationes, vbi à diuino Scripturarum lumine discessit. Et quidem Pharisæos Christus arguit traditionibus voluntarijs mandata Dei soluisse, quæ istis tolerabiliores videri possint, cum ad honorem saltem Deo habendum, donorum, quæ parentibus eriperentur, oblatione pertinerent. Sed cum indiuiduo nexu coniuncta sint quæ in proximum conferuntur, & quæ nobis ipsis adhibenda sunt charitatis officia, mirandum non est, si quâ manu per nefarium vsuræ patrocinium charitas proximi violatur, ea ipsa per exitiosas istas doctrinas quam sibi quisque & saluti suæ debet, charitatem funditus euerti.

CAPVT XXXVII.

TERTIA S. CAROLI LEX. CVM PLERIQVE sint quibus suscepta vitæ conditio, etsi sua sponte innoxia, peccandi causas afferat, absoluendos eos non esse, nisi aut illam dimittant, aut saltem certo temporis spatio non obscura veræ emendationis testimonia dederint. Quam grauiter vir Sanctus conqueratur, Confessorum socordia innumeras in omne artium & professionum genus corruptelas irrepsisse.



ERVM vt ad institutam de S. Carolo orationem redeamus, planumque faciamus quam illius doctrina ab istis Euangelicæ veritatis deprauationibus abhorreat: considerandum paulisper tertia eius regula, quæ in explicando declinandarum peccati occasionum officio longius etiam progreditur, vt ex præclaris his verbis liquet.

Occasioni di peccati mortali nel secondo ordine, cioe per rispetto d'ella persona, sono quelle cose, lequali benche siano in se licite, nõdimeno ragioneuolmẽte si giudica, che il confitente tornarà alli medesimi peccati, che già in quelle à cõmess-

Sunt aliæ, inquit, *peccandi occasiones, quæ suapte natura quidem tales non sunt, sed hominum quorundam ratione: velut pleræque res per se licitæ in quibus si pœnitens hæreat, vt antea fecit, merito ijsdem rursus criminibus implicandus videatur. Tales plerique sunt temporum iniquitate ac vitio, militia, mercatura, magistratus, causidicorum & procuratorum munia, aliaque eiusmodi, in quibus qui sæpe mortaliter peccare consueuit, blasphemijs, furtis, iniquis iudicijs, calumnijs, odijs, fraudibus, periurijs, aliisque similibus culpis, exploratum habet, si in eadem professione permaneat, easdem sibi peccandi occasiones euenturas, neque vero credendum, plus sibi virium ad peccatum vitandum fore, quam prius habuerit,*

ideoque

ideoque in eadem peccata prolapsurum. Quamobrem eiusmodi homines aut vitæ rationes sibi adeo periculosas deponere debent, aut certè in ijs non versari, nisi de pij prudentisque Sacerdotis consilio, qui neminem sic affectum absoluere debet, vt probabile censeat in eadem peccata recasurum, si in iisdem occasionibus perseueret, sed certum temporis spatium sumere ad emendationem illius explorandam. Atque hic eo magis euigilandum est, excubandumque animo, quod Confessorum culpa & inertia factum videmus, vt in plerisque artibus & professionibus, innumeræ corruptelæ, & grauissima delicta passim vigeant, sine quibus res alioquin iustissimæ iam à paucis admodum factitari posse videantur. Euigilemus tandem aliquando vt Sanctus vir iubet, & cum illo tria hæc, vel grauissima expendamus.

so, se in esse perseuera, come per il passato a fatto. Tale a molti sogliono essere per la corruttela del mondo, la militia, la mercantia, li magistrati, l'auuocare, il procurare, & altri simili essercitij, nelli quali l'huomo che è habituato a peccare spesso mortalmente, in bestemmie, furti, ingiustitiæ, calonnie, odij, fraudi, pergiuri, & altre simili offese di Dio, sa che perseuerando in tali essercitij, gli occorreranno le medesime occasioni; ne vi è ragione di pensare, ch' egli habbia a essere piu forte contra il peccato, che nel passato sia stato, & consequentemente ritornera a gl' istessi peccati. Però i tali deuono, come dice sant' Agostino, ò laschiare l'essecitio a loro pericoloso, ò almeno non essercitarlo senza licenza, & obedienza d'vn buono & intelligente Sacerdote: Il quale non deue assoluere l'huomo in tale stato, se ha opinione ragioneuole, che sia per ritornare alli medesimi peccati, quando perseueri n'ella medesima occasione, però deue far proua della sua emendatione per alcun tempo. Et in questo è d'aprire gli occhi tanto più, quanto che il diffetto in questa parte de i Confessori, fa che quasi in tutte le arti, & essercitij regnino molti abusi, e peccati grauissimi; senza liquali pare per questo, che hoggidi molti non sappino essercitare anco le cose in se stesse giustissime. *S. Carol. Act. part. 4. Instr. Conf. p. 767.*

Primum: Quam exitialis Deo iudice Confessorum illorum negligentia sit, qui nihil aliud sibi in pœnitentiæ tribunali negotij esse existimant, quam vt obuios quosque statim vt peccata effuderint, præpropera festinatione absoluant. Affirmare enim non veretur vir Sanctissimus ab hoc fonte profluxisse innumerabiles abusus & corruptelas, quarum contagio latius manans artes omnes &

professiones ita infecerit, vt iam à plerisque sine certa pernicie tractari non possint. O vocem animaduersione dignissimam, & in omnibus Confessorum tribunalibus inscribendam, vt perpetuo doceantur, quantum oneris sustineant, & quanta cum animarum pernicie nimia in eo lenitate peccetur. Nihil addo amplius. Gemitibus tanta mala sunt prosequenda, non verbis.

Alterum animaduertendum est, S. Carolum sapienter admodum existimasse, cum remedia morborum causis contraria esse oporteat, nullum auertendis malis quæ Confessorum incuria peperit, accommodatius reperiri posse, quam si inconsiderata illa facilitas grauissimos quosque peccatores absoluendi, nulla probabili emendationis spe proposita reprimatur: nec Presbyteris liceat priusquam certa vitæ in melius commutatæ argumenta viderint, sacra eos absolutione dignari.

Ac vide quam latè pateat hæc regula, quamque ad multos pertineat. Cum enim S. Carolus censeat vix vllam esse artem aut professionem, in quâ innumeri abusus & grauissima peccata non dominentur, si quemadmodum lege illius iustissima sanctissimaque præscribitur, omnium differenda est absolutio, quos istiusmodi peccatis impeditos reperias, neque idoneam habeas causam sperandi, ab illis in posterum sese expedituros: quam pauci tandem erunt mortiferorum criminum rei quos statim vt confessi fuerint absoluere liceat, cum ea peccata magnam partem ab hominibus ita

in ſeculo implicatis atque irretitis committantur.

Tertium denique illud animaduerſione digniſſimum eſt, ſtatui à viro ſanctiſſimo, quoſcumque inſtituta vitæ profeſſio ijs peccatis illaqueat, ad quæ deuitanda minus firmos ſe ac valentes ſentiunt, eam illis vel omninò abijciendam, vel non niſi maiore conſilio, multiſque cautionibus adhibitis retinendam. Nec vero conſilium hoc ad morum diſciplinam grauiſſimum, ab illo primum excogitatum eſt, ſed ſummæ legis vim perpetuò in Eccleſia obtinuit, extraque illam ſuſceptæ pœnitentiæ falſæ omnes ſunt habitæ.

Ita enim cenſuit Synodus Oecumenica Lateranenſis ſub Innocentio II. cum Epiſcopis & Preſbyteris admonitis de re *quæ ſanctam maxime perturbaret Eccleſiam, ne videlicet falſis pœnitentijs Laïcorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur: Falſa,* inquit, *fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Can. 22.

Atque antiquior Synodus Romæ habita ſub Gregorio VII. ita loquitur: *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit...... cognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere...... niſi arma deponat, vlteriuſque non ferat niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda iuſtitia, vel negotium relinquat, vel officium deſerat.* Conc. Rom. 5. ſub Greg. 7.

Multum etiam anteà Gregorius Magnus eandem hac de re sententiam tulit. *Sunt enim*, inquit, *pleraque negotia quæ sine peccato exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat.*

Greg. hom. 24. in Euang.

Quæ omnia fidem faciunt non abs re à nobis in prima huius Operis parte significatum, multis tenuem admodum ac propè nullam salutis spem subesse, nisi à seculi penitus societate discedant, seque à funestis quibus in peccati seruitute detinentur, ad eamque etiam tum cum extricare se volunt, velut inuiti retrahuntur, laqueis expediant.

CAPVT XXXVIII.

QVARTA S. CAROLI REGVLA. ABSOLVENDOS non esse quos Presbyter merito existimat in eadem peccata denuò lapsuros, quantumuis profiteantur ac spondeant ea se deinceps non admissuros.



VLTIMA superest Sancti Antistitis regula, qua planiùs etiam constabit, quam multi sint quorum absolutionem Sacerdos, si ministerio suo abuti nolit, differre in posterum debeat. *Confessarios*, inquit, *monitos volumus, vt ijs quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumuis polliceantur ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint. Nec non ijs qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam vllam ad correctionem vitæ contulerint.*

Si differisca anco l'assolutione, finche si vede qualche emẽdatione, a quelli che quantunque dichino, & promettino di lasciar il peccato,

Intuere nunc animo immensam hominum turbam solenniori quoque die festo ad Sacerdotum genua procumbentem. Ex quibus si pauculos quosdam in quibus Euangelicæ sanctitatis reliquias Deus conseruat, adeoque à lethalibus culpis, quæ in vitam verè Christianam non cadunt, immunes præstat, exceperis: ipse judica, quantuli futuri sint, in quos illa D. Caroli regula non conueniat, hoc est, quos probabiliter existimari liceat, grauiter peccandi finem facturos: imò qui multis jam annis in eodem flagitiorum luto non hæserint.

nondimeno il confessore giudica probabilmente, che non lo laschiaronno..... & a quelli che molti anni hànno perseuerato, & sono ricaduti nelli medesmi peccati, ne hanno fatto diligenza alcuna d'emendarsi. *S. Carol. in Instruct. Cōfess. fol. 766. Act. part. 4.*

Ingentem seculi nostri labem ac corruptelam nimium ignoret, qui secus opinetur. Sed ne in odiosissimum locum me committam, satis habebo in præsentiâ ex Sancti Caroli verbis duo excerpere, quæ ad Sacerdotis officium sanctè administrandum maximi momenti videntur.

Capvt XXXIX.

Dvo postremae D. Caroli regvlae corollaria: Quorum primum, breues & ad tempus conuersiones non injuriâ falsas videri.



PRimvm obseruandum; ex eo quod S. Carolus eos absolui vetat, quos in peccata relapsuros probabilis suspicio sit, facilè intelligi, non satis ei visum pœnitentem à peccato recedere velle (quod & planis verbis paulò antè negarat) sed præterea necesse est, vt Sacerdos rectè judicare possit, illum in proposito mansurum, neque deinceps iis-

dem peccatis volutandum. Quod cum vix nisi factis experentiáque cognosci queat, meritò vir Sanctus censuit, sæpè differendam in aliud tempus absolutionem, quoad pœnitens se ex peccatorum cœno verè emersisse emendatæ vitæ testimonio fidem fecerit.

Qua in re illud vnum Sanctissimo Præsuli propositum fuisse intelligimus, vt, quod à Gregorio Magno probis omnibus Pastoribus præcipitur, Sanctorum Patrum mentem studiosè assectaretur, nec ab eorum vestigiis vsquam discederet. Etsi enim contingere possit, vt quem peccatorum verè pœnituerit, ad ea denuò se referat, fœdúsque sit in primis nostratium Hæreticorum error, neminem qui gratiam & sanctitatem à Deo semel acceperit, ab ea excidere posse: tamen Sanctos Patres ab eorum opinione, qui criminum conuersionúmque veriorum vicissitudinem, rem vulgarem & quotidianam censent, tam longè abfuisse constat, vt seculis pluribus post baptismum lapsis agendæ pœnitentiæ potestatem semel tantum fecerint. Etsi enim doctrinæ Catholicæ, quam à Concilio Tridentino stabilitam videmus, concessam Ecclesiæ à Christo potestatem vt lapsis peccata remittere queat, quotiescumque ad ipsam cum vero pœnitentiæ sensu confugerint, explorata penes eos veritas esset: In huius tamen potestatis vsu prudentiam cautionémque maximam adhibendam censebant: ne peccatoribus pœnitentia ludendi, seque ipsos primum, deinde Ecclesiam vanis & ementitis

Concil. Trid. Sess. 14. c. 2.

conuersionibus decipiendi occasio præberetur. *Si enim*, inquit Ambrosius, *verè agerent pœnitentiam, iterandam posteà non putarent.*

Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. 2.

Quamobrem cum quidam sub seculi sexti finem peccatorum & confessionum perpetuam istam replicationem iterationémque in Hispaniam inducerent, Concilium Toletanum III. pronunciare non veretur, hoc esse *fœdissimè agere pœnitentiam*, coërcendámque execrabilem eorum præsumptionem, qui quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari velint. *Quoniam*, inquit, *comperimus, per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundùm Canones*, SED FOEDISSIME PRO SVIS PECCATIS HOMINES AGERE POENITENTIAM, VT QVOTIES PECCARE LIBVERIT, TOTIES A PRESBYTERIS SE RECONCILIARI POSTVLENT: IDEO PRO COERCENDA TAM EXECRABILI PRÆSVMPTIONE, *id à sancto Concilio jubetur, vt secundùm formam Canonum antiquorum detur Pœnitentia.*

Concil. Toletan. III. sub Pelagio 2. can. 11.

Ex quo patet sanctissimos viros, diuino Spiritus Sancti lumine illustratos, nunquam commissuros fuisse, vt verè ad Deum conuersos & cum eo in gratiam restitutos judicarent, qui maculas & sordes Sacerdoti aperiunt, ad eas primo quoque tempore redituri: quorum mores non magis post Confessionem quam anteà Euangelicis legibus consentiunt: qui nullum aliud auersi à peccatis animi testimonium dant, quam vt illa se perpetrasse Sacerdoti confiteantur: qui cor suum ex Dæmonum

latibulo in Spiritus Sancti templum repentè abiisse opinantur, licet in eorum factis quæ autore Christo ex corde tanquam ex fonte manant, nullum tantæ mutationis vestigium appareat: quorum denique confessiones omnes & communiones vitæ illorum *parentheses* quædam non inscitè appellentur: quandoquidem sicut figura illa orationem suspendit, non abrumpit, neque obest quominus posteriora verba prioribus respondeant; simillimè quæ ab istis adhibentur Sacramentorum susceptiones vitiorum fontem ad aliquot dies comprimunt non exhauriunt, neque efficiunt, quin consequentia eorum facta cum prioribus naturæ quadam societate cohæreant.

Et quidem breues istas ad vnum aut alterum diem flagitiorum intermissiones, similes dixerim febrilium accessionum interuallis, quibus nemo sanus ægrum conualuisse existimet. Lazari mortem mortis loco non habet Christus, eo quod quatriduo abitura esset: nec morbum illi mortem allaturum, sed Deo gloriam asseuerat. *Hæc infirmitas,* inquit, *non est ad mortem, sed vt glorificetur Filius Dei per eam.* Ad eundem modum de istis bidui vel tridui conuersionibus, sæpè etiam breuioribus dici potest: *Hæc conuersio non est ad vitam sed ad mortem, vt glorificetur Diabolus per eam.*

Ioan 11.v.4.

Ac velut hominem, qui ab hæresi ad Ecclesiam sese recipiat, & aliquanto post ad errorem reuersus, eum rursus deponat, Catholicamque fidem vicissim amplectatur, & ad hunc modum vicenis,

tricenisve

tricenisve per ætatem vicibus Religionem commutet, nemo probum vnquam Catholicum fuisse, neque fidei nostræ veritatem serio agnouisse, ne quidem ijs temporum spatijs quibus eam profiteri videatur, existimet. Ita SS. Patribus nulla ratione persuaderi potuisset, eum qui tricies crimina confessus, tricies in ea reciderit, verum pœnitendi sensum vnquam habuisse, aut adumbratas eiusmodi conuersiones quæ punctum temporis durant, statimque euanescunt, veris solidisque conuersionibus annumerandas.

Ille pœnitentiam dignè agit, vt præclarè inquit Isidorus, *qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lauet laterem crudum, quem quanto magis lauerit, tanto amplius lutum facit.* *Isid. Hispal. lib. 2. sentent. c. 13.*

Ex quo intelligimus vanis istiusmodi conuersionibus sordidiores animas, non puriores effici. Vnde etiam eiusdem Sancti viri peruagata illa vox, & posterorum scriptis adeò celebrata: IRRISOR EST NON POENITENS, QVI ADHVC AGIT QVOD POENITET; NEC DEVM VIDETVR POSCERE SVBDITVS, SED SVBSANNARE SVPERBVS. *Canis reuersus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum. Multi enim indesinenter lachrymas fundunt & peccare non desinunt. Quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam & effectum pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantiâ mentis nunc recordatione peccati lachrymas fundunt, nunc* *Idem ibid. c. 16.*

vero reuiuiscente vsu ea quæ fleuerant iterando committunt.

An non etiam celeberrima illa pœnitentiæ definitio ab antiquis Patribus tradita, & ab inferiorum ætatum Scriptoribus vno consensu accepta, hoc ipsum egregiè confirmat, quandoquidem pœnitentiæ vim in eo statuit: *Vt & mala præterita plangas, & plangenda iterum non committas?* Ex quo factum est, vt D. Gregorius in Libro Regulæ Pastoralis eodem loco habeat eos *qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, & eos qui plangunt, nec tamen deserunt*; tanquam inter sese quidem aduersos, sed pœnitentiæ frustratione consentientes.

Amb. ser. 34. Hieron. in Psalm. 118. Greg. Epist. l. 9. ep. 39 & hom. 34. in Euang. Elig. hom. 8. 11. & 16. Iuo, Magister sentent. Grat. & Cōcil. Bitur. an. 1584. tit. 21. cn. 3.

Hinc priores admonet, *ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim Scriptorem si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat deleuisse: nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit satisfecisse: nec debitorem absolutum esse, quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat soluat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam nos satisfacere si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur.*

Gregor. Pastor. part. 3. Admonit. 31.

Posteriores vero admoneri iubet, *vt considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo nequiter inquinant, cum idcirco se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ grauioris culpæ se subijcit: quia & ipsam quam flendo veniam potuit impetrare, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit:*

Ibidem.

quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lachrymas facit.

Gregorius quoque VII. qui vndecimo seculo Ecclesiæ præerat anno salutis 1079. in minori Britannia Synodum haberi iussit, ad perniciosum morem tollendum, qui tunc temporis, vt notat Binius, in illa regione Sacerdotum ignorantiâ inoleuerat, vt qui in iisdem criminibus absque vlla vitæ emendatione hærerent, tamen absoluerentur: scriptâque de hac *falsæ* vt vocat, *pœnitentiæ consuetudine* proscribendâ ad Britanniæ Episcopos & Sacerdotes Epistolâ, his vocibus eximiâ Petri successoris eruditione atque autoritate dignissimis vtitur. *Sacerdotalis culminis dignitas, tum imperitiâ, tum negligentiâ Sacerdotum (sicut vestra dilectio nouit) ex longo iam tempore peccatis exigentibus fuit collapsa. Ex qua quidem re quasi ex pestifera radice, innumera mala exorta sunt, adeo vt vsque ad hæc nostra tempora, inter cætera quæ male pullulant vitia,* FALSÆ NIHILOMINVS POENITENTIÆ CONSVETVDO INOLEVERIT. Ac vt ne cui dubium foret, quæ sit falsa illa pœnitentia tantoperè fugienda: *Infructuosam enim,* inquit, *pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, vt in eadem culpa, vel simili, vel deteriori vel parum minori permaneatur. Unde quisque dignè vult pœnitere, necesse est vt ad fidei recurrat originem; & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet pompisque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire; sollicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit,* QVO-

Greg. VII. Epist. lib. 7. ep. 10.

Ibidem.

NIAM ALITER SIMVLATIO DICI POTEST, NON POENITENTIA, *illi peccatorum suorum remissionem, Apostolica freti potestate largimur: insuper æternæ beatitudinis gaudia de Omnipotentis Dei misericordiâ confisi promittimus.*

Nec vero prætereundum hoc loco videtur, quod centum circiter post annis Petrus Blæsensis in posteriorum ætatum Scriptoribus nobilis, Tractatu de Confessione Sacramentali, in quo nihil quod à SS. Patribus non acceperit, traditurum se profitetur; hac de re conscripsit. Acerrimè quippe D. Gregorij exemplo in illos inuehitur, qui vel peccata deserentes, non vt par est lugent, vel lugentes non deserunt.

Petr. Blæsens. de Confess. Sacram.

Priores quidem objurgans errari ab ijs docet, *qui putant sibi sufficere, quod aliquandiu à sua turpitudine destiterunt, atque de primitijs arreptæ continentiæ præsumentes, veteres excessus non recolunt, & quasi spatio temporis euanuerint culpæ, vel earum oblitus sit, aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis breui pœnitentiæ compendio transegisse.* Non enim, inquit, *sine dolore cordis acerbissimo, & anxia cordis afflictione sanatur, quæ longo vsu inolita & intimis animarum medullis infixa sunt:* NEC HORARIA ET LEVI CONTRITIONE REDIMI POSSVNT, QVIBVS MORS ÆTERNA DEBETVR.

Posteriores autem admonet, vt *eorum pœnitentiam perseuerantia comitetur:* quandoquidem laboriosissima quæque pœnitentiæ opera *nequaquam pœnitenti profutura sint, si ad vomitum reuertatur. Nemo*

itaque de momentanea Contritione vel affluentia lachrymarum præsumat ..... si senseris in te gratiam compunctionis & affluentiam lachrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris Domino reconciliatum. Vides profecto quam gratum Deo sit sacrificium lachrymarum & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? CONFITENTIBVS, POENITENTIBVS, NON REVERTENTIBVS AD VOMITVM, SED IN SPIRITV HVMILITATIS ET IN ANIMO CONTRITO FVGIENTIBVS AD PIA VISCERA IESV ET CONTINVANTIBVS DIGNOS POENITENTIÆ FRVCTVS.

Quæ omnia à Concilio Tridentino, cuius interpretem S. Carolus egit, non minus luculenter traduntur. Docet enim pluribus locis ad veram salutiferamque pœnitentiam satis non esse peccata confiteri, aut etiam animo auersari, nisi præterea corrigantur, vitaque in melius referatur. Hoc enim significat Lutheri dogma proscribens, aliam pœnitentiam non esse, nisi nouam vitam, morumque commutationem. Contra enim vitæ quidem nouitatem peccandique finem ad veram pœnitentiam pertinere non abnuit, sed sufficere negat. *Unde docendum est*, inquit, *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali, eamque continere non modo* CESSATIONEM A' PECCATIS, *& eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, &c.* Concil. Trid. Seff. 6. c. 14.

Ex quo intelligimus, de Concilij ſententia, peccati fugam & vitæ emendationem non quidem totam pœnitentiam conſtituere, vt contendebat Lutherus, ſed ad illam tamen poſtulari. Quare non iniuria S. Carolus Preſbyteros vetuit, ſolis vitæ melioris promiſſis & pollicitationibus fidem adhibere, niſi rebus & factis ita comprobata fuerint, antea quam lapſos abſoluant, vt eos in eadem peccata reuoluendos merito credendum non videatur.

Quod ſi quis forte repoſuiſſet ſatis eſſe ſi tantiſper pœnitenti dum confitetur propoſita & deſtinata ſit vitæ emendatio, quamuis poſtea de ſententia decedat: Reſpondiſſet profecto: Bene viuendi voluntatem ex qua vera pœnitentia conſtat, non mollem aut languidam eſſe oportere, quales leuiores ac remiſſiores animi motus ex quibus nihil vmquam fructus exiſtit; ſed ſinceram firmioremque pietatis amplexandæ voluntatem, quæ à peccandi libidine animum penitus abſtrahat, bonæque arboris Euangelicæ inſtar, conſpicuam veræ emendationis frugem pariat. Quod quidem ab ipſa Synodo Tridentina didicerat, quæ Contritionis ad pœnitentiæ Sacramentum partes explicans, non ſolum *veteris vitæ odium & nouæ propoſitum* ea contineri docet, ſed & *ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ inchoationem*: Ego vero teſtor cuiuſuis hominis fidem, ſatiſne videatur quiſpiam à peccato receſſiſſe & nouam inijſſe vitam, propterea quod ita ſe facturum Sacerdoti ſpondeat, aut etiam cogitationis errore ſe id velle arbitretur, & ſi re minus

Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 4.

probet, atque ad peccandi consuetudinem primo quoque tempore redeat.

Bonis istiusmodi voluntatibus & desiderijs refertos inferos autor est Bernardus, inanesque hoc genus pœnitentias damnatis manere docet Liber Sapientiæ, vbi Spiritus Sanctus illorum angores diuinitus referens, male actæ vitæ pœnitentiam eos agere testatur. Insaniam agnoscunt, miseriam deplorant, & si illius D. Bernardi vocis vim sequimur, facile adducemur, vt quemadmodum moriens homo qui maleficiorum conscientiâ stimulatus æternum sibi supplicium paratum cogitat, seque mox dehiscente tartaro absorbendum videt, ita secum loquatur. Si ex hoc morbo conualuero, longe aliter ac consueui vitam instituam. Simillimè apud inferos damnatus criminum merito flammis se æternis addictum sentiens, cum animo suo dicere queat: Si hinc euadendi facultas esset, nequaquam ijs, quibus olim, flagitijs me obstringerem: bonis videlicet quibusdam commotiunculis ac desiderijs velut perstrictus, sed sterilibus & vanis, quia nihil bonæ frugis parere possunt. Ex sui enim amore qui in medijs inferorum cruciatibus perseuerat, istiusmodi cogitationes proficiscuntur, immutata penitus voluntate semperque tenacissimè malo affixa. Qua etiam ratione Granatensis affirmat damnationis metum qui morientes plerumque peccatores angit, ex naturali ipsorum amore oriri posse. *Quod vero, inquit, se ipse quis diligat, non eam vim habet*

Granat. in maiori peccatorum ductore, lib. 1. c. 24.

apud Deum, vt propterea quemquam regno cœlesti ascribat.

Constat igitur parui pendendas istiusmodi pœnitentias, quæ vitæ correctionem mutationemque morum conjunctam non habeant, neque aliud sint quam vana & infrugifera desideria, damnatorum desiderijs simillima: inter quos & improbos qui se damnabilibus flagitijs contaminare non cessant, id solum discriminis est, quod hi pœnitentiam non agant, quæ ipsis futuræ damnationis est causa: illi vero nec agere possint, quæ iam susceptæ illis damnationis est pœna. Quamobrem vt fidem operibus vacuam Dæmonum fidei qui credunt & contremiscunt Iacobus comparat, inanemque & mortuam appellat: non absimili ratione, pœnitentiam quæ votis quibusdam optatisque irritis, nullorum operum, solidæve pœnitentis animi notæ efficacibus, continetur, damnati hominis pœnitentiam dicere licet, vanam, emortuam, ad inferos ducem & perennem incolam inferorum.

Hac ratione ductus Granatensis morientium pœnitentias falsitatis vanitatisque nomine ferè suspectas habet. *Isti*, inquit, *morti proximi, vbi iam iam se Deo sistendos vident, infimis precibus & sponsionibus iudicem interpellant, non inutilibus quidem si veris, sed quales sint passim exitus docet. Nam experientiâ compertum est, istorum plerosque vt periculum effugerint, continuò promissa obliuisci, & ad pristinam sese vitam reuocare: vsque adeo vt & restitutiones iussas decre-*

decretasque rescindant, quippe quas non virtutis amore decreuerint, sed imminentis periculi formidine, quo abeunte abeat pariter quicquid ab illo causam habuerat.

Factis ergo & operibus voluntatum consiliorumque veritas exploranda est. Ideoque ex S. Caroli decreto absoluere Sacerdos non debet, quos in peccata relapsuros iure suspicatur, quicquid illi contra profiteantur & spondeant, quia cum eorum sponsiones nihil bonæ frugis edituras videat, eo ipso leues ac futiles habere debet, neque aliud quam inanes verborum sonos aut humani animi se id velle arbitrantis quod minime velit, præstigias. Hoc enim illud est quod vulgò euenire D. Gregorius docet, cum *sæpe sibi mentem de se ipsa mentiri* testatur: *dum in intimis cordis recessibus* vitiorum cupiditatem celans, *innumera bonorum operum desideria in superficie cogitationis* ostentat. Quod & D. Bernardus cogitasse videtur, dum exclamat: *Væ qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placere velle præsumunt.*

Gregor. Pastor. part. 1. c. 9.

Bernard de Conuers. ad Cler. c. 27.

Non sum nescius eos qui salutarem moram quam tot in causis D. Carolus adhibendam censet, non probant, illis Ezechielis verbis niti consueuisse: *In quacumque hora ingemuerit peccator, saluus erit.* Sed vt hæc verba à plurimis posteriorum temporum Scriptoribus Sacræ Scripturæ nomine afferantur, in diuinis tamen Libris non extant, & quamlibet inuestigent, qui illa obtrudunt, nusquam nec in vulgari Editione, nec in Hebraïcis fontibus, nec in Septuaginta Interpretum Libro, nec in

Paraphrasi Chaldaïca, nec in probâ vllâ seu nouâ, seu antiquâ versione repererint.

Quod si quid in Ezechielis 18. vel 33. capite subest, quod eò accedere videatur, illud quidem certe constabit, ea tantum valitura quantum vera Prophetæ sententia ferat. Quid ergo ijs in locis vnde oratio ista sumpta videtur, ait Propheta? In 18. quidem sic loquitur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet & non morietur.* Et paulò inferius populum ad morum conuersionem cohortans, his verbis vtitur: *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.*

Ezech. 18. v. 21.

Ibidem.

Trigesimo verò tertio capite posteaquam autore Deo certam peccatori spem fecit: *In quacumque die conuersus fuerit ab impietate suam ipsi impietatem minime nocituram*, qualem conuersionem esse oporteat, statim exponit. *Si dixero impio, Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam injustum: vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius quæ peccauerit, non imputabuntur ei.*

Ezechiel. 33. v. 12.

Ibidem.

Quis hinc non perspicuè intelligat, nullam huic Prophetæ, vt nec alijs, veram conuersionem videri,

nisi vita improba in piam commutetur, abjectis-
que vitijs virtus colatur ex animo? Cui ergo liceat
verbis quæ nusquam in Scripturis leguntur abuti
ad salutem peccatori alijs legibus adjudicandam
ac Deus veris ipsius illius Prophetæ vocibus denun-
tiarit, luculentiusque etiam hoc Isaiæ oraculo: *La-* Isai. 1.
uamini, mundi estote, auferte malum cogitationum ve-
strarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite
benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudica-
te pupillo, defendite viduam; (hoc est, perfectæ cha-
ritatis quæ vt cæteras virtutes, ita pœnitentiæ satis-
factionisque munia omnia complectitur, officia
præstate:) *Et venite & arguite me, dicit Dominus, si*
fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealba-
buntur.

Denique quamcumque demum verba ista vim
obtineant: *In quacumque hora ingemuerit peccator,*
saluus erit, egregiè obseruatum est ab Iuone Carno-
tensi in Epistola suprà commemorata, *Hanc vocem* Epist. 230.
ad interni potius Iudicis animaduersionem spectare, quam
ad humanæ fragilitatis considerationem: adeoque fieri
posse, vt per internum gemitum satisfactum sit interno
Iudici, & idcirco indilata ab eo detur peccati remissio,
cui manifesta est interna conuersio: neque tamen Sacer-
dos qui tantum videt in facie, delinquentem soluere de-
beat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum qui sit
pœnitentis affectus intelligat.

CAPVT XL.

ALTERVM IN D. CAROLI REGVLA obſeruandum: Nihil eſſe quod Presbyteros cogat hominum grauioribus delictis irretitorum de corrigenda vita ſponſiones accipere, niſi rebus & factis exploratas.



HINC iam ad alterum caput quod ex S. Caroli regula elici poſſe dixi, progredior. *Eorum*, inquit, *à Sacerdote abſolutio differenda eſt, quos ad eadem peccata redituros non immeritò opinatur,* QVANTVMVIS POLLICEANTVR EA SE DIMISSVROS.

Quæ poſtrema verba diligenter expendi oportet, quippe quæ grauiſſimum illud doceant: Sacerdotis poteſtatem ex pœnitentis oratione affirmationeque non eſſe ſuſpenſam, atque ad dijudicandum quis abſolui dignus, quis indignus videatur, longe alio lumine illi vtendum, quam quod ex fallacibus verbis vaniſque pollicitationibus exprimi queat.

Tamen eo iam progreſſa eſt hominum ſuperbia & pœnitentiæ odium, vt plurimis perſuaſum ſit, dummodò peccatorum numerum eadem quâ fabellam voce Sacerdoti ediderint, ſibique illa dolere, nec ad ea denuò ſe redituros verbo profeſſi fuerint, Abſolutionem continuo ſibi deberi, neque negari eam, vel ad vnum diem ſine injuria differri poſſe. Itaque facile tanquam ab abuſu prouocarent

ad Laïcos iudices, nisi præsto essent Presbyteri qui eis fucum faciant, & inuisam aliorum seueritatem inconsulta facilitate dissoluant.

Quæ quidem cogitatio adeo aliena atque insulsa est, vt confutatione non egeat. Quis enim non videt constitutum à Christo ordinem per eam subuerti? Medicum ægroto, Pastorem oui, Iudicem reo subijci? Dejectis de tribunali Sacerdotibus, reos quos illis iudicandos Deus concessit, in ijs collocari? Diuina denique Christi verba quibus potestatem dedit ligandi & soluendi, retinendi ac dimittendi peccata, improbè conculcari.

Equidem magnus in primis huius ætatis Antistes, pietate eximius, eruditione præcellens, Commentario in Euangelium illas Christi voces ita explanat: QVORVM *ergo* RETINVERITIS PECCATA, *vel ad tempus propter pœnitentiæ immaturitatem, vt paulatim perficiatur: siue omnino propter impœnitentiam,* RETENTA SVNT, *iudicio Dei in cœlis. Vtroque membro significat, non inanem esse potestatem, sed effectum habere conjunctum. Cum ergo & remissio & retentio Apostolorum censuræ & iudicio committantur, palam est eos iudices constitui: atque ita rectè præcipi omnibus fidelibus remissionem consequi satagentibus, vt peccata Sacerdotibus confiteantur, quatenus audita peccatorum varietate & qualitate, sciant cui remittenda, cui retinenda, quis aut quomodo ligandus aut soluendus. Hoc autem est iudicium discretionis quo discernitur quis ad beneficium absolutionis admittendus, quis repellendus. Sed hoc sternit viam ad aliud iudicium iustitiæ, quo*

Cornel. Iansenius Episc. Iprens. in c. 20. Euang. Ioan. v. 23.

peccata quadam expiatoria castigatione & vindicta plectuntur: quod quia præcipuum est in hoc tribunali, hinc fit, vt pœnitentes peccata sua, non per modum narrationis ad Sacerdotis informationem tantum exponere debeant; sed magis ad sui accusationem, ad confusionem, ad compunctionem, denique ad pœnæ taxationem.

Ex hac præclara oratione viri maximi, cuius mentem scientia Scripturarum auitæque Traditionis Theologia, hoc est, Conciliorum & Patrum doctrina altè impleuit, intelligimus, geminum in pœnitentiæ tribunali iudicium fieri, *discretionis*, & *iustitiæ*. Quod & prius à Concilio Tridentino non minus luculentè significatum erat, cum singularis & enucleatę peccatorum omnium mortalium confessionis necessitatem explicans, hanc vnam affert causam, quod *alioquin non potuissent Sacerdotes, nec in remittendis retinendisve peccatis iudicium causa cognita exercere:* (quod certe est prius illud *discretionis iudicium* ab Iprensi Episcopo commemoratum) *nec in pœnis injungendis æquitatem seruare:* quod alterum est *iustitiæ iudicium*.

Nunc vero homines malè pœnitentiam exosi hoc vtrumque iudicium euertere moliuntur. *Iustitiæ* quidem, cum statuunt pœnitentiam quam à Sacerdote imponi fas sit, leuissimis quibusdam operibus, quæ debitarum peccatis pœnarum vestigia vix habeant, totam contineri: imo quod grauius multo est, vniuersum hoc pœnarum & satisfactionum genus ad purgatorium ignem reijci posse: *Discretionis* vero, cum hanc Presbytero legem

dicunt, vt sibi quidlibet affirmantibus credat, & è vestigio absolutionem impertiat.

At vide insipientiam cœcitatemque singularem. Tu mihi plures annos in eodem flagitiorum cœno hæseris. Sæpissime ea confessus fueris Sacerdoti, emendationem eorum nunquam non pollicitus, nunquam non fefelleris, inanium promissorum nullam seruaris fidem: & tamen constitutum tibi à Christo iudicem, de anima tua rationem redditurum, crimina quæ prauâ indulgentiâ fouerit, seuerè luiturum, absolutionem præsentem ac subitam debere contendes ijs verbis ac pollicitationibus quas toties perfregeris, diuinorum communionem Sacramentorum quę perpetuò indignissimè habueris, eorumque sanctitatis solitis sacrilegijs contaminandæ, atque, vt loquuntur Canones, de Communione pacis ludendi licentiam. Quod si in animi tui latebris explorandis diligentiæ nonnihil adhibere volet; si quemadmodum D. Carolus Sanctique Patres vniuersi iubent, certiora fallacibus verbis pœnitentiæ argumenta exquiret; si antea quam te animo mutatum verèque conuersum habeat, abijciendorum criminum certam & constantem voluntatem vita & factis metiendam existimet: iniuriam tibi factam impudenter exclamabis: *Et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipias, aut ore polluto Domini Sanguinem bibas, Sacerdotibus sacrilegus irasceris? Atque ô tuam* (addit idem Sanctus) *nimiam furiose dementiam! Irasceris ei qui abs te auertere iram Dei nititur, ei minaris qui pro te*

Cyprian. de lapsis.

Domini misericordiam deprecatur, qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis; qui pro te lachrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas, & cum sis ipse implacabilis ad Antistites & Sacerdotes Dei, putas circa te Dominum posse placari? Accipe potius & admitte quæ loquimur. Quid surdæ aures salutaria præcepta non audiunt quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident quod ostendimus? Quid perculsa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de Scripturis cœlestibus & discimus & docemus?

Equidem tali mente præditi homines digni sint qui eo saltem modo accipiantur, quo Iuo Carnotensis pœnitentiæ contemptores se accepturum testatur, si qua vi ad eos reconciliandos adigeretur, his illos verbis appellando: *Nolo te fallere introïtum huius visibilis Ecclesiæ cum tuo periculo te habere permitto, sed ianuam regni cœlestis tali reconciliatione tibi aperire non valeo.*

Iuo Carnot. Epist. 195.

Tutissimum vero est in hoc genere Basilij magni consilium quod iam suprà commemorauimus. *Si qui à proprijs*, inquit, *moribus non facilè auellantur, & carnis voluptatibus potius quam Deo seruire voluerint, vitamque ex Euangelio institutam non amplectantur, nulla nobis cum illis intercedit communis ratio. Nos enim aduersus populum non credentem & contradicentem illud audisse meminimus: Saluans salua animam tuam. Non ergo cum ijs perire consentiamus, sed graue iudicium reformidantes, & tremendam illam retributionis Domini diem præ oculis habentes, caueamus alienorum peccatorum ruïnâ inuolui.*

Basil. Ep. 2. ad Amph. can. 85.

Idem

Idem monet D. Ambrosius in Psalm. 37. vbi egregiè de pœnitentia disputat. *Nemo*, inquit, *dicit medico corporis sui, quemadmodum sit curandus. Nouit medicus quæ singulis vulneribus medicamenta conueniant, cuius vlceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus quo curari æger debeat, & ille fastidiat; discedit medicus & ægrum relinquit.*

Ac dubium quidem esse non potest, quin quoad in peccatorum animis vana illa opinio hæreat, vt primum maculas omnes & sordes sigillatim aperuerint, absolutionem sibi iure deberi, illorum vulnera insanabilia futura sint, salusque deplorata. Neminem hoc loco docendum suscepi, id vnum agens, vt SS. Patrum præcepta, quos explanandis regni sui mysterijs populisque omnibus erudiendis Deus per secula præfecit, audienda exhibeam. *Nihil de spiritu meo propheto*, vt Petri Blæsensis verba vsurpem, *sed micas colligo, quæ ceciderunt de mensa dominorum meorum.* Itaque tacere me satius erit, Sanctumque Pacianum in eos qui pœnitentiam in accurata peccatorum enumeratione constituunt, dicentem audiri. Ea enim est eius oratio, vt quamuis longiorem, non pigeat hoc loco describere, quod illustrior, grauior, instituendisque hoc tempore fidelibus opportunior nulla fieri posse videatur. *Nunc ad eos*, inquit, *sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua, pœnitentiæ nomine, confitentes; nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina nouerunt; similesque sunt illis qui plagas quidem aperiunt ac*

Petr. Blesen. in Prol. tract. de Confess. Sacram.

tumores, medicisque etiam adsidentibus confitentur; sed admoniti quæ imponenda sunt negligunt, & quæ bibenda fastidiunt...... Quid ergo faciam nunc Sacerdos, qui curare compellor? Serum est in eiusmodi. Verumtamen si quis est vestrûm qui secari & exuri sustineat: adhuc possum. Ecce scalpellum Propheticum: Conuertimini, inquit, ad Dominum Deum vestrum, simulque ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra. Nolite hanc secturam timere, dulcissimi. Sustinuit illam Dauid: Iacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetus & purpuris, texit in ieiunio animam suam, cui maria, cui siluæ, cui flumina seruiebant, promissasque diuitias terra parturiens, madidus lachrymis consumpsit oculos illos, quibus Dei gloriam viderat, & infelicem se, miserumque confessus est Pater Mariæ, Iudæi etiam dominator imperij. Rex ille Babylonius exomologesim desertus operatur, & septenni squalore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa cæsaries, & barbarus horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur, cum fœnum in morem bouis ederet, pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate fœlicem. Ecce sectio quam spopondi: qui potuerit tolerare sanabitur. Admouebo adhuc ignes de cauterio Apostolico: videamus an ferre possitis. Iudicaui, inquit, congregatis vobis & Spiritu meo in virtute Domini Iesu Christi tradere eiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in diem

Domini. Quid dicitis pœnitentes? Vbi est vestræ carnis interitus? Nec hæc quidem quæ videri etiam à Sacerdote possunt, & Episcopo teste laudari: ne hæc quidem quotidiana seruamus: flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, ieiunare, orare, prouolui: si quis ad balneum vocet, recusare delicias: si quis ad conuiuium roget, dicere: Ista felicibus; ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris aduolui, exoratricem Ecclesiam deprecari; omnia prius tentare quam pereas. Scio quosdam ex fratribus & sororibus vestris cilicio pectus inuoluere, cineri incubare, ieiunia sera meditari, & non talia fortasse peccarunt.

CAPVT XLI.

ECCLESIAM QVOD OLIM SENSIT, IDEM etiamnum de Pœnitentia sentire. S. Carolum disciplinam Ecclesiasticam altius etiam attollere in animo habuisse.



EQVIDEM consideranti mihi hasce, totque alias consimiles SS. Patrum voces, quorum sententiam vniuersa Ecclesia sequi se profitetur: nihil aliud in mentem venit statuere, nisi, aut viros tantos diuina luce cumulatissimos, animarum regendarum imperitos ac cœcos habendos, qui importuna eas tyrannide oppresserint, durissimumque medicinæ genus vulneribus earum curandis necessarium finxerint, sine quo tamen ea

nullo negotio ſanari potuiſſent: aut nouum neſcio quod Euangelium repente allatum cœlitus, eoque Euangelij quo illi vſi ſunt antiquata præcepta omnia & reſciſſa: aut denique (ſi Caluini & cæterorum Hæreticorum eſt SS. Patres inſcitiæ hoc loco atque *immodicæ auſteritatis* inſimulare, nec aliud quam ab illis prædicatum eſt, Euangelium extat) dubitandum non immeritò videri, ea ne ſit hominibus ad Deum ſeſe recipiendi, lethalibuſque animæ vulneribus medendi facilitas quam plerique hodie arbitrantur.

Sed cum præterea ſuccurrit nihil à poſtrema Oecumenica Synodo ſtudioſius præcipi, quam vt doctrinæ SS. Patrum, etiam de hac ipſa pœnitentia, conſtantiſſimè adhæreamus, Sanctiſſimumque virum, quem pijs Antiſtitibus expreſſam Epiſcopalis officij formam poſtremis ſeculis eſſe voluit Deus, Concilij veſtigijs inſiſtentem, ſalutaria quæ fideliſſimi illi animarum medici decreuerunt remedia ad vſum reuocare tantopere laboraſſe, tum collectis ac propoſitis eorum de pœnitentia canonibus & regulis, in quas Preſbyteri velut in abſolutiſſimum exemplar intuerentur; tum pœnitentia publica publicis omnibus peccatis indicta; tum denique tot edictis quibus longe plurimi etiam non publice lapſi, ad dignos ante Communionem pœnitentiæ fructus edendos compellerentur, promulgatis: Cum, inquam, hæc omnia diligentius attendo, teneri non poſſum, quin infinitam Chriſti benignitatem ex animo venerer, qui in Eccle-

ſia eiuſdem fidei ac pietatis vnitatem præſtet ſemper incolumem, veramque pœnitentiæ vim & rationem ab omnibus Patribus in regionibus ac ſeculis omnibus tanto ſtudio Chriſtianorum animis infixam atque inſculptam aliorum inſcitiâ, aliorum duritiæ pœnitentiæque auerſatione obliterari non ſinat.


Cauendum igitur, ne quis degeneris diſciplinæ ſuæ tuendæ libidine Caluini petulantiæ accedens, tot Apoſtolicos viros, atque in primis B. Carolum immodicæ ſeueritatis accuſet: Quem contra ad temporum iniquitatem ac duritiam cordium ſenſim euincendam, atque ad perfectiorem diſciplinam velut gradibus attollendam conſtituendamque magna indulgentiâ vſum conſtat.

Hoc enim ipſe multis locis atteſtatur. Sed præ cæteris illuſtria ſunt hæc verba ex Oratione quam in tertij Concilij Prouincialis ipſo aditu habuit, poſtquam duodecim aut tredecim annos in componenda Eccleſia conſumpſiſſet. *Propoſitum igitur nobis ſit, Patres optimi, magnum quiddam eſſe ac perfectum quod præſtare debemus: idque nos vix ac ne vix quidem inchoauimus, nedum abſoluimus, cum certè non licuerit. Nam quemadmodum reliquis in rebus nihil poteſt ſtatim eſſe perfectum, ſed neceſſe eſt, vt initium fiat ab aliquo rudimento, atque paulatim ad ſummum perueniat: Ita opus quod ſuperioribus annis aggreſſi ſumus, non potuit eo tempore ſtatim peruenire ad eam, quam quærimus & debemus, perfectionem neceſſariam.* S.Carolus in Concil. III.

Ac ne quis ab eo poſtmodum abſolutum pu-

tet, quod hic duntaxat inchoatum à se profitetur: in sexto ac postremo Concilio, cui biennium tantum superfuit, Prouincialibus Concilijs quinque, pluribusque Diœcesanis de Ecclesiastica disciplina instauranda coactis, omnibus denique decretis, quorum mentionem fecimus, aliisque eiusmodi innumerabilibus editis; acerrimè in eorum imprudentiam inuehitur, quibus noua Concilia fieri non placebat, nouasque leges condi quibus ea quæ de Christianorum moribus emendandis ab ipso constituta fuerant, magis ac magis explerentur. *An vbi*, inquit, *malorum lues; pacis, concordiæ & bonorum status? An vbi varia morborum species, recta valetudo? An vbi adhuc morum corruptelæ, disciplinæ Christianæ perfectio? Attendite, quæso, qui isti homines sunt, cum talia dictitent, liniunt parietem luto absque paleis, absque temperatura, & vident visionem pacis, & non est pax. Cernunt isti in superioribus nostris Concilijs vmbram quandam disciplinæ qua populum informare studuimus. At eius imago nondum omnibus partibus absoluta; imo cum imperfecta est, tum neque vndique etiam communita: eamque ob causam verendum nobis est, ne illa tanquam paries male materiatus luto tantum absque paleis illitus corruat.*

S. Carolus in Concil. VI.



CAPVT XLII.

S. CAROLVM PECCATORES AD *pœnitentiam ſuo exemplo prouocaſſe.*



SVPERIORIBVS omnibus facere non poſſum, quin ad B. Caroli doctrinam de pœnitentia ſtabiliendam Dei ipſius teſtimonium adijciam. Quî enim certius quantoperè pijs pœnitentium exercitationibus delectetur, teſtificari Chriſtus potuit; quam affligendi, cruciandique corporis adeò vehemente in Sanctiſſimi viri animum immiſſo ſtudio, vt in illo dignitatis ſplendore, Epiſcopaliſque muneribus Monachi ac pœnitentis egerit vitam, neque vllis virorum grauium, vt ſibi parceret, inſtantium precibus ac flagitationibus vnquam ceſſerit?

Nec vero ad eorum monita, vt in eius Vita proditum eſt, aliud reſponſi dabat, niſi *ſinerent ſe ire cœptis pœnitentiæ itineribus. Opponebat ex aduerſo Spiridiones, Chryſoſtomos, Baſilios, alioſve, qui tanquam nomina perfectæ virtutis celebrantur.* Ripamont. in Vita S. Caroli. lib. 7.

Ex quo perſpicuè intelligitur eum Spiritus Sancti motione eò impulſum, quandoquidem iſta humilitate animus tot piorum virorum conſilijs, Summorum etiam Pontificum admonitionibus ſine dubio paruiſſet, niſi lege alia, cuius vis non minus ægrè quam torrentis è montibus præcipitantis impetus comprimitur, in diuerſum ſe abripi ſen-

Rom. 7. v. 23. ſiſſet. Quare Apoſtolo clamante: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* ipſi contra exclamare licuit: *Sentio aliam legem in mente mea repugnantem legi membrorum meorum*, hoc eſt, religioſiſſimorum hominum ipſi aduerſantium quibuſcum vt membris in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, cohærebat.

Hæc illa eſt interior lex quâ compulſus mundum ſecundiſſimis rebus blandientem deſpexit, illaſque corporis afflictationes adeò inuſitatas adoleſcenti, Epiſcopo præſertim & Cardinali, ſed ad Dei conſilium accommodatas libens ſubiit, vt ſcilicet pœnitentiam factis ac dictis pariter prædicaret: vt quos iuſſis mouere non poſſet, exemplo cogeret: vt denique peccatores doceret, quâ curâ criminum ſordes carnis moleſtijs pœnitentiæque acerbitatibus elui par ſit, cum eas ad detergendos leuiſſimarum culparum næuos, innocentiſſimorum & ſanctiſſimorum hominum integritas tanto ſtudio adhiberet. Hinc præclara vox quâ illum frequenter vſum à Vitæ illius Scriptoribus accepimus. *Debere Epiſcopum prægustare ſuis hominibus amariſſima quæque, vt ipſius exemplo & imitatione dulceſcant & temperentur.*

Ripamont. in Vita S. Caroli. lib. 7.



CAPVT

CAPVT XLIII.

MAGNOPERE EXPENDENDAM, ET grauem in primis videri oportere consensionem generalium Concilij Tridentini de pœnitentia decretorum, & singularium eadem de re sanctionum B. Caroli, cuius operâ Concilium illud absolutum est.



IN exponendis B. Caroli de pœnitentia sensibus longior fui; nec iniuriâ, vt mihi videor, propterea quod singularem Dei prouidentiam, veritatem illam, quam hæresis ex Christianorum cordibus stirpitus euellere conata est, altius iisdem infigere satagentis, clarius demonstrare nihil potuit, quam generalium Synodi Tridentinæ, & singularium B. Caroli qui eam absoluendam curauit, Decretorum mira consensio.

Si quis enim, sex aut septem aditus illos pœnitentiæ antiquæ, cui Eucharistiæ priuatio annectitur, seu publicè, seu priuatim instaurandæ, quos à Concilio Tridentino patefactos ostendimus in dubium vocare velit: is B. Caroli qui ad eiusdem Concilij legum obseruationem promouendam omni studio incubuit, decreta diligentius attendens, profecto intelliget pœnitentiæ disciplinam illam, & praxim, quam tu tantoperè auersaris, non antiquis modo Concilijs, sed & Tridentino apprimè congruere, quemadmodum supra demonstratum est. Neque enim dubitare liceat, legumne Concilij vim ac sententiam Beatissimus Antistes assecutus

ſit, cum eas ſupremo quaſi ſigillo obſignandas curarit; publicaque illarum obſeruatione, quam in Diœceſi ſua primus inſtituit, vniuerſis Eccleſiæ Paſtoribus earumdem ſtuduerit intelligentiam tradere; quandoquidem eorum qui ad diſciplinam pertinent, Canonum ea demum ſit planiſſima interpretatio, quæ vſu ipſo, ac publicis Sanctorum Antiſtitum actionibus continetur.

Hinc, ſi quis roget, cur Concilium minus planè & enucleatè quàm B. Carolus de pœnitentia egerit; in promptu eſt reſponſio. Concilium poſtquam veram de pœnitentia doctrinam ab Hæreticorum erroribus vindicaſſet, Chriſtianorum quos in vniuerſa Eccleſia langueſcere, & in quos illam Chriſti de Iudæis vocem: *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus*, conuenire nouerat, imbecillitatem onerare noluiſſe. Catholicam enim veritatem decretis ſuis muniiſſe contenta, fore confidit, vt ſi quos peccatorum conſcientia penitus ſtimularet, ij ſua ſponte illo ipſo motu, nullis etiam de peccati cuiuſque pœna legibus traditis, ad veram & in perſpicuis operibus ac fructibus poſitam pœnitentiam compellerentur.

Matth. 9. v. 16.

Verum quod pœnitentibus minus expreſſit, id apertius impoſuit Preſbyteris, cum pœnitentiam peccatorum grauitati parem, niſi eorum participes, ac flagitioſæ negligentiæ reos ſe vellent, decerni iuſſit. Quod ſi quanam ratione homines crimino ſiores ante abſolutionem tractandi, & quæ cuique peccato pœna conſtituenda ſit, ambigant,

veterem illam & ſanctiſſimam diſciplinam quæ per tot ætates in Eccleſia floruerat, obliuione penè obrutam B. Carolus, vetere plurium Pontificum & Epiſcoporum exemplo renouare inſtituit; Atque id abſoluto Concilio ſtatim aggreſſus, Preſbyteros leuauit cura, dubitationibus, & difficultatibus, quæ de pœnitentia incidere queant, inſtitutionum legumque illarum quas ſummatim commemorauimus, clariſſima luce & fideliſſima deſcriptione diſcuſſis.

Ita nimirum Spiritus Sanctus Eccleſiam regi à ſe liquidò profeſſus, omnem Paſtoribus tergiuerſandi viam præcluſit, tum ijs quæ Tridentinæ Synodo ad vberiorem lucem deeſſe videbantur, per primas illas Synodos, ſtatim poſt Concilium à S. Carolo in Italia habitas, ſuppletis: tum Antiſtitis vnius dignitate ac ſanctitate, ex omni poſteriorum ſeculorum memoria clariſſimi forma & ſpecie omnibus Epiſcopis propoſita, vt illo duce, quod Eccleſia in Oecumenica Synodo propter hominum duritiem apertius agendum non putauit, id in ſua quiſque Diœceſi pro zelo ac poteſtate ſua perficere nitatur. Semper enim ſe matrem Eccleſia meminit, & ad filiorum imbecillitatem ſeſe inflectens, eorum ſanandorum ac confirmandorum molliores, expeditioreſque vias ſtudioſè conſectatur, quales Synodorum cuiuſq; regionis ac loci propriarum, in quibus vera pœnitentiæ remedia ad perfectam animarum curationem, & exploratius preſcribuntur, & facilius ad vſum adducuntur.

Atque eò spectauit Sacra Synodus, cum Prouincialia Concilia, velut opportunissimum ad publicorum malorum depulsionem, ac disciplinæ conseruationem præsidium, ab Episcopis frequenter haberi iussit.

Beatus vero Carolus, dum Concilij decreto primus obtemperat, illa tot institutorum ac regularum homines ad pœnitentiam peccatis parem adigentium multitudine perspicuè indicauit, nullam subesse hac grauiorem causam, cur Synodos Prouinciales his potissimum temporibus haberi necesse sit.

Quis iam dubitet, quin Spiritus Sanctus sermone Scripturis familiari, hoc est breuiori, ac sensus in litteræ cortice minus apparentes continente, in Concilijs vti solitus, eos qui illum putent in antiquioribus Concilijs aliter de pœnitentiæ necessitate quoad præcipuum eius caput, atque in postremo Concilio Oecumenico elocutum, voce illa Christi in Iudæos, quibus isti degeneri mollitie & ignauia haud absimiles sunt, percutere merito possit: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quisquis enim ad capiendam Synodi sententiam gratiæ & intelligentiæ dono instructus erit, vbi de Deo per veram pœnitentiam placando agetur, eam audiet semper & sectabitur, posteaquam ex S. Caroli decretis, Diœcesisque illius disciplina, sensum Concilij perspectum exploratumque habuerit.

Capvt XLIV.

S. Carolvs cvm beatae memoriae Episcopo Geneuensi collatus.



ET vero manifestum est, Beatissimum illum Antistitem Ecclesiæ singulari Dei munere concessum, qui Episcopis, Pastoribusque omnibus in administranda pœnitentia facem præferret. Si enim duos è duorum postremorum seculorum memoria Sanctissimos Episcopos, Beatum Carolum, & beatæ memoriæ Episcopum Geneuensem, attentius intueamur; intelligemus S. Carolum priorem à Spiritu Sancto delectum ad populorum Ecclesiæ Mediolanensis, inter Italicas clarissimæ, mores emendandos, hoc est, ad familiæ Christi præceptis Sanctissimis, Seminarijs, ac pœnitentiæ renouatione instaurandæ constituenda initia: Episcopum vero Geneuensem ad Diœcesis Geneuensis populos ex parte ab hæresi sanandos, hoc est, ad familiæ diaboli, Hæreticorum ad Ecclesiam reuocatione aggrediendum excidium.

Cum vero sicut Ecclesia Orientalis Basilium & Chrysostomum, ita Occidentalis magnum Ambrosium pœnitentiæ Doctorem, illiusque ad populos, Principes, Regum ministros & Imperatores, inuictissimum autorem & magistrum habuisset; Deus B. Carolum quem restituendæ pœnitentiæ addixerat, Ambrosijque mente impleuerat, in

Ecclesia Mediolanensi vbi Catholici multi sanandi, hæretici pauci, vel nulli erant, non minus Ambrosij sedis & honoris quam Sanctitatis & disciplinæ heredem ac successorem instituit. At Sanctissimum Episcopum Geneuensem Hæreticis ad Ecclesiam redigendis destinatum, principi ac matrici hæreseos Vrbi, Hæreticorum Babiloni, in qua Caluiniani plures errore leuandi, quam Catholici pijs moribus ornandi inerant, Pastorem præfecit.

Beato Carolo ad sustinendum graue illud, & in graues hominum offensiones dimicationesque incursurum Diœcesis Mediolanensis reformandæ ac pœnitentiæ restituendæ munus, magna firmaque adjumenta contulit. Autoritatem enim illi & fidem conciliauit à propinquis & affinibus in Italia; ab amicis in Romana Curia; à splendore generis apud lautiores seculi homines; à Cardinalis Pontificij nepotis, Sedisque Apostolicæ Legati amplitudine, apud Ecclesiasticos ac Principes; ab ingentibus diuitijs ingentis illius charitatis adminiculis, apud tenuiores; à præstanti pietate apud bonos; à vitæ humilitate asperitateque admirabili apud peccatores. Eòdem accessit vultus dignitas plena grauitatis & splendoris; consilium & prudentia vniuersæ Ecclesiæ regendæ par, quam & Auunculo Pontifice rexit; animi excelsitas magno stemmate & magna sanctitate digna, qua nec sæuientium Prætorum minas, nec Monachorum furentium gladios, nec Clericorum contumacium calumnias, nec Pontificis & Cardinalium alienis

fallacijs inductorum & circumuentorum offensio-
nes, opinionesque incommodas, extimesceret. Vis
mentis eximia in rebus majoribus aggrediendis : in
conficiendis atque absoluendis immota constan-
tia : flagrans & inuicta charitas, qua in mediam
luem publicam, in medios torrentes interritus ra-
peretur : inexhausta corporis firmitudo, qua Diœ-
cesi perpetuo peragrandæ, corporique maceran-
do sufficeret : humilitas publicæ pœnitentiæ ido-
nea, qua publica impœnitentia erubescere coge-
retur : Primitiuæ Ecclesiæ immensus amor, quo ve-
terem illius disciplinam in hac extrema temporum
labe ab interitu reuocaret : pœnitentiæ canonum
honor ac veneratio incredibilis, quâ illos in hono-
rem adducere, omnibusque ad instituendam vi-
tam proponere certaret : Sapientia & perspicacia
excellens in præclaris illis pœnitentiæ remedijs ad
animarum salutem accommodandis : omnes deni-
que diuinæ atque heroïcæ dotes, quibus Episco-
pum ad Ecclesiæ labes reficiendas, atque ad mise-
rabiles ieiunarum steriliumque Confessionum, ab-
solutionum præcocium, satisfactionum inanium,
ac Communionum sacrilegarum abusus tollendos
instructum esse oporteat.

Quod autem hæreticorum ab errore liberando-
rum partes Sancto illi Episcopo Geneuensi diuini-
tus assignatæ essent; idque cum aliorum omnium,
tum in primis Cardinalis Perronij iudicio constet,
cuius est nota vox : Hæreticos quidem coarguere
suum esse, illius autem Episcopi flectere & ad sani-

tatem adducere. Fuit illi viro cœlitus inſtillata lenitas, ac manſuetudo quædam ſingularis ad mitigandam hæreſeos acerbitatem, animoſque demulſis cordibus expugnandos appoſita; in refellendis eorum erroribus dexteritas ac ſolertia eximia; in enarrandis fidei myſterijs eruditio diuinitus magis immiſſa, quam ſtudio & labore parta. Sermo ſuauitate & eloquentia quadam ſanctiore diffluens; pietatis odor reconditus ex geſtu, voce, ſcriptis eius effuſus; decora facies quæ vel immaniſſimum quemque ad beneuolentiam alliceret; caſtimonia cœleſtis atque Angelica ex animo corpus velut irradians; humilitas quædam demiſiſſima ad depellendam hæreſeos ſuperbiam, eademque grauiſſima ad eius faſtus comprimendos; charitatis denique teneritudo quædam ac patientia, & verè paterna viſcera, quibus eos qui hæreſis venenum cum lacte ſuxiſſent, & parentes ipſos parricidas eſſent experti, omni manſuetudine ac miſericordia complecteretur, erroris pertinaciam paulatim frangeret, diuinorumque ſeminum à ſe inſperſorum fructus tardius interdum emergentes, cœlitus expectaret.

Atque vt Deus ipſis adoleſcentiæ B. Caroli rudimentis eum ad inſignis Eccleſiæ diſciplinam inſtaurandam factum comparatumque ſignificauit, dum ad Romanæ Eccleſiæ gubernacula ſub Auunculo Pontifice admotum, ea meditari ac velut inchoare conſuefecit, quæ poſtea plenius abſolueret: ita vt Beatum illum Epiſcopum Geneuenſem ad illumi-

illuminandos Hæreticos designatum à se Episcopum profiteretur, eum etiam Presbyterum in Caluinianis regionis suæ doctrinâ Catholicâ imbuendis exercuit. Non secus ac magnus olim Athanasius, Arianos, quos Episcopus ad extremum spiritum insectaturus erat, acriter Diaconus oppugnauit. Postremò, vt B. Carolus pœnitentiæ domicilia peccatoribus ad Deum conuersis, hoc est, Catholicis qui ad Christianam vitam sese recepissent, constituit: ita magnus Geneuensis Antistes charitatis gymnasia & hospitia conuersis ad Ecclesiam hæreticis, hoc est, Christianis ad Catholicam mentem reducibus, excitanda curauit.

Quod si institutum Episcopi Geneuensis quo in Catholicis regendis vtebatur, cum B. Caroli instituto conferamus, B. Carolus Pauli similis existet, qui in improbos vbique Christianos orationis tela contorquet, qui pœnitentiam fortiter inculcat, qui arrepta virga hominem incestum à Sacramentorum vsu atque ab Ecclesiæ communione remouet, qui peccatorum post baptismi gratiam lapsorum corpus, *vt spiritus saluus sit, Sathanæ tradit*: Episcopum vero Geneuensem Ioannis Euangelistæ simillimum dicere licebit, qui charitate redundans in charitatis mansuetudine ac delitijs prædicandis enituit, qui etiam fœminas sanctas ac religiosas scriptis instituit Epistolis, quemadmodum pias mulieres, Virgines ac Viduas magno numero diuinus ille Antistes in religiosam familiam, suo, hoc est, amoris potius quam

austeritatis & pœnitentiæ spiritu temperatam, congregauit.

Nec tamen ijs quos regendos susceperat, pœnitentiæ studium non vehementius indicebat, cum opus esse intelligeret. Ea est enim via regia, via arcta, quæ sola peccatores in cœlum ducit. Quare ex intimis eius familiaribus, epistolisque compertum est, pœnitentiæ labores animabus ad eos ferendos idoneis ab ipso imponi solitos, eiusque scripta quam facta & instituta fuisse mitiora: quippe quod omnibus scriberet, pro suo autem quemque captu & affectione moderaretur. Nemo enim eo quo ille iubet animo esse potest, hoc est, corde penitus diuina charitate mutato, quin piorum operum corporisque afflictationum omni genere, vitiorum stirpes euellere, gratiæque ac virtutum semina auctiora in dies facere contendat, quemadmodum Sanctorum virorum exemplis nullo non seculo comprobatum est. Nam & ille ipse in delictis idem atque in diligentibus princeps discipulus B. Ioannes adolescentem, quem baptismo imbuerat gratiâ lapsum, omnibus pœnitentiæ molestijs, ieiunijs, fletibus, dejectionibus, humilitatibusque exercuit, cumque exercitationum illarum socium ei se ac ducem præbuisset, crebris pœnitentiæ fructibus publicè probatum Ecclesiasticæ communioni restituit.

Videntur tamen Beatissimus ille Episcopus Geneuensis & S. Carolus proprio quisque à Deo gratiæ munere donati. Ille vt pios per animorum fran-

gendorum ſtudium ad virtutis apicem: hic vt peccatis inquinatos per carnis vexandæ curam ad virtutem adduceret. Quare ille pietatem & innocentiam manſuetioris ac minus auſteræ vitæ ſanctitate: hic morum deprauatorum emendationem vitæ durioris exemplo denuntiare videbatur.

Sicut ergo pius ille Antiſtes, vt in eius Vita proditum eſt, S. Carolum imitandum ſibi delegerat; ita Epiſcopi animarumque Rectores qui hominum criminoſiorum, quos Chriſtianos nomine, re Ethnicos iure dixeris, moribus ſanandis hodie præſunt, eundem ſibi ducem autoremque meritò proponant. Sanctorum enim exempla in ea re potiſſimùm, cuius Deus illos exempla eſſe voluit, conſectari oportet. Quamuis enim à nullius Sanctorum animo vlla virtus abeſſe putanda ſit: eâ tamen quiſque ferè inſignior eſt, cui reſtituendæ propriè à Deo delectus eſt. Ita poſterioribus Eccleſiæ ſeculis S. Bruno ſolitariæ vitæ, Bernardus pœnitentis, Dominicus prædicationis, Franciſcus paupertatis, Franciſcus à Paulâ humilitatis, alij aliarum virtutum exempla prætulere. Quod idem in Eccleſiaſticæ doctrinæ ratione vſu venit, in quâ quoniam Dionyſius cœleſtis Hierarchiæ myſterijs enunciandis, Hilarius & Athanaſius diuiniſſimæ Trinitati illuſtrandæ, Hieronymus Scripturis interpretandis, Auguſtinus Gratiæ arcanis aperiendis, Gregorius Chriſtianis moribus enucleandis diuinitus præpoſiti videntur: eorum quemque in eo quod tradendum explanandumque accepit ducem ac

magiſtrum vulgò agnoſcimus. Sua enim Spiritus Sanctus diuidit ſingulis dona provt vult, & vnicuique Sanctorum eo in opere ac munere cui ad aliorum inſtitutionem & Eccleſiæ commodum eum addixit, lucem, virtutem, ac zelum vberiorem ardentioremque largitur.

CAPVT XLV.

ALIA HORVM TEMPORVM POSTREMORVM teſtimonia de peragendæ ante Communionem pœnitentiæ vtilitate.



T igitur nulla argumenta aliunde colligam, iſta Oecumenici vltimi Concilij decreta, à viro noſtri temporis ſanctiſſimo explanata, ſatis ſuperque ſunt, vt liquidò conſtet, quantam Eccleſiæ contumeliam facias, dum rudibus & imperitis perſuadere niteris, ſanctiſſimas ipſas pœnitentiæ functiones illius autoritate his temporibus abolitas, Patrum, imo ipſiuſmet ſenſa & inſtituta ab eâ conuulſa, fœdâque leuitate & inconſtantiâ noxium ei nunc videri, ſi quis aliquandiu ante Communionem pœnitentiæ operam det, quod tot ante ſeculis ſummè ſalutiferum, atque Euangelicæ ſanctitati congruentiſſimum habuit. Ne tamen vni D. Carolo ſanctiſſimæ illius diſciplinæ tuendæ curam & cogitationem diuinitus injectam ſuſpicere: paucis adjungere viſum eſt, quæ noſtræ memoriæ alia Concilia, alij Epiſcopi, alij Sancti, alij Doctores eadem de re cenſuerunt.

CONCILIVM SENONENSE.

CONCILIVM Senonense proximo superiori seculo aduersus nascentem Lutheri hæresim à Cardinale Pratensi habitum, Hæresiarchæ illius erroribus quos proscribit, hunc accenset. *Nihil conducit ad susceptionem Eucharistiæ se præparare per contritionem, Confessionem, Satisfactionem & alia bona opera.* Errat igitur, Concilio iudice, quisquis ad Christi corpus accipiendum non contritione modo & confessione, sed & satisfactione, pœnitentia, bonorumque operum vsu se componere salutiferum negat. Ac proinde non aliâ quam erroris opinione duci necesse est, qui perniciosum existimet, *plusculis diebus pœnitentiæ operam dari, bonisque operibus animæ sordes elui, antequam Communio adeatur.* Insignisque fallaciæ est, quas sententias Ecclesia in Concilijs damnat, eas ipsi affingere.

Anno 1528.

Annotationes aliquot errorũ iam olim damnatorum, & nunc repullulantium paucis constrictæ.

SYNODVS AVGVSTENSIS.

SYNODVS Augustensis in Germania non multo post tempore ab Othone Cardinali Sanctæ Balbinæ & Episcopo Augustano collecta, innumeris in causis Communionem negari, aut saltem quoad peracta fuerit pœnitentia, differri iubet; neque in atrocibus modo criminibus, vt vocas, sed in vulgaribus maxime peccatis, vt ebrietate, furto, aleâ, maledicentiâ, aliisque similibus. Quare non inutile fortè videatur, omnes canones illos proferre. Sed tamen, tædij vitandi causâ, sex aut septem

Synodus August. an. 1548. c. 19. de pœnit. & remiss.

describere satis habebo, ex quibus de reliquis existimare facile sit, simulque statuere, sintne temeritatis nomine accusandi, qui peccatores ad agendam pœnitentiam vocant, priusquam eos diuinis altaribus admoueant.

Ne hoc præcellens Sacramentum aliquâ afficiatur injuriâ & contemptu, ex SS. Patrum decreto & institutione etiam infames omnes ab eius perceptione prohibendi sunt, cuiusmodi sunt, præstigiatores, incantatores, publicè rei & scurræ, & qui ludis vacant iure Pontificio prohibitis, ibidemque scorta ac lenones....... Ii, inquam, omnes ab altaris Sacramento remouendi sunt, donec vitâ suâ improbâ penitus abdicatâ, irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam persoluerint.

Item ijs annumerandi sunt, qui alearum lusui perpetuò vacant: quibus non est porrigendum venerabile Sacramentum, donec inde abstineant.

Item qui ebrietati & crapulæ ac commessationibus perpetuò dediti sunt & inhærent: illis post factam confessionem venerabilis huius Sacramenti sumptione per triginta dies est interdicendum, vti ab his vitijs sese emendent.

Item quicumque iniquâ mensurâ vel pondere emunt aut vendunt: triginta diebus iubentur abstinere à sacrâ Communione posteaquam ex Canonum præscripto irrogatam sibi pœnitentiæ mulctam susceperint.

Item quotquot ex Ecclesiastici decreti siue præcepti contemptu, Dominicis aut alijs festiuis diebus Sacrum Missæ auscultare nolunt nec in ipso Missæ Officio perseuerant, donec Sacerdos vltimam benedictionem imper-

tiatur : pro iudicio Confessoris sui à Communione prohibeantur, donec agant pœnitentiam.

Item quicumque Omnipotentem Deum, aut sacratissimam Dei Genitricem, vel alios Sanctos palam blasphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina, vel membra indignè ac impiè iurant & imprecantur, seu maledicunt : ab Ecclesiæ ingressu & sacrâ Communione excludendi sunt, donec publicam egerint pœnitentiam.

Item quotquot Sacerdotalem dignitatem & Sacerdotes ipsos publicè dehonestant, aut conuitiantur : ijs similiter Ecclesiæ aditu & sacrâ Communione interdictum est, donec pœnitentiam egerint.

Item qui animo deliberato homicidium perpetrant, & qui erga proximum inimicitias, aut inuidentiam vlcisci meditantem animo gerunt, aut qui proximos iniquè opprimunt, aut eorum existimationi & honori falsò derogant : ij omnes ad venerabilis Sacramenti perceptionem non sunt admittendi, donec vel pacem conciliando, vel aliena damna restituendo satisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam persoluerint.

Qui reliquos canones quos nunc omitto in vltimo Conciliorum generalium volumine diligenter expendere voluerit : facilè intelliget, quam multos istius Synodi autoritate Eucharistiâ prohiberi & ad pœnitentiam adigi oporteat : neque tamen his contenta, quo maiorem sanctæ huic disciplinæ aditum daret, generalem istam clausulam adjungit.

Potest denique vnus quilibet Confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, pro peccatorum magnitudine &

grauitate, eiſdem ſibi confitentibus, ſeu filijs confeſſionis ſuæ, ex cauſa quæ ſibi iuſta videbitur, ad tempus ſacrâ Communione interdicere, eique tales confitentes morem gerere debent: niſi à ſuperiori Eccleſiaſtica poteſtate aliud impetrauerint. Quod ſi peccatum occultum ſit, & talis quiſpiam ad altare accedens, venerabile Sacramentum ſibi porrigi publicè petat, non id illi Sacerdos negare debet: quanquam hoc ipſo quod contra ſui Confeſſoris prohibitionem accedit, peccatum admittit.

Cuius clauſulæ paucis verbis doceris: Primùm Sacerdoti ex causâ, quæ ipſi idonea videatur, quamque tibi probare neceſſe non habeat, ſuo iure facere licere, quod tu Eccleſiæ diſciplinæ & praxi contrarium imperitè arbitraris, nempe hominem pœnitentiæ ad tempus addicere, priuſquam Communionem ipſi adjudicet.

Deinde, occultas etiam ob culpas id ei conceſſum.

Tertiò, dum hoc agit demonſtrare animas ſibi curæ eſſe.

Quartò, pœnitentis eſſe morem ei gerere, niſi à Superiori Eccleſiaſticâ poteſtate aliud impetrauerit, vt ab Epiſcopo, non à pari, qualis Preſbyteri alterius.

Quintò, qui hanc Sacerdotis legem infringat, eoque prohibente Euchariſtiam vſurpet, nouo ſe peccato conſtringere. Nunc ad alia progredimur.

SYNODI

SYNODI PROVINCIALES
Mechlinienſis, Colonienſis & Bituricenſis.

CONCILIVM Prouinciale [a] Mechlinienſe anni 1570. publicam publicorum criminum pœnitentiam reſtitui iubet. Quod idem à [b] Colonienſi multo ante conſtitutum fuerat.

a *Conc. Mechlin. de Sacram. c. 6.*
b *Concil. Colon. an. 1536. de Admin. Sacr. c. 38.*
c *Concil. Bitur. Tit. 21. c. 2.*

Prouincialis Synodus [c] Bituricenſis anni 1584. hoc ipſum edicit, nec ferendum cenſet, qui contrà ſentiat. *Nemo*, inquit, *pœnitentiam publicam peccato publico, quod Chriſtianorum oculos maximè offendit, injungendam neget.*

Eadem Synodus Canones pœnitentiales Sacerdotibus cognoſcendos explorandoſque ſtatuit, ex quibus norint quemadmodum idoneas & peccatis congruentes ſatisfactiones imponendæ ſint. *Sacerdotes*, inquit, *Canones pœnitentiales diſcant, vt modum & rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant.* *Ibid. c. 9.*

Quin etiam vetat quemquam Communionem attingere, qui ad eam ſeſe non contritione modo & confeſſione, ſed & pœnitentiæ operibus præparauerit. *Nemo*, inquit, *ſine contritione, confeſſione & ſatisfactorijs operibus dignè præmunitus, ad Euchariſtiam ſumendam accedat.* Adeoque magnoperè probat, quod tu adeò improbas, lapſos pœnitentiæ operibus ante Communionem temporis aliquid tribuere. *Ib tit. 22 c. 5.*

Cardinalis Gropperi de Pœnitentia instauranda insignis locus.

GROPPERVS Cardinalis, quem Ecclesiæ Coloniensis decus & ornamentum [a] Scriptores vocant, quemque sola virtus ad eminentissimum Ecclesiæ Romanæ honorem euexit, in Institutione Catholica, quam eo consilio se scripsisse profitetur, vt aduersus pestiferas eiusdem argumenti scriptiones, quas tum hæretici ad inficiandum vulgus spargebant, antidoti loco esset: ita præclarè de pœnitentiæ necessitate disputat, & de antiquo illius vsu, quoad fieri poterit, à Pastoribus restituendo; vt Libro illo minus iam obuio, gratum me Lectori, cui eius copia non facilè contingat, facturum existimem; si præcipua disputationis illius eximiæ capita hîc exhibeam.

[a] *Annalium Colon. Autor in Adolpho 3. Rouerus Pontanus in Chron. Petramellarius. Sanderus in Elogijs. Orlandin. in Hist. Soc. Ies. Sacchin. in Lainio, &c.* Ex ijs autem sunt qui tradant Gropperum à Paulo IV. Presb Card tit. S. Luciæ in silice declaratum gratias agentem purpuram remisisse. Sacchinus tamen Ioan. Gropperum *virum egregiæ sanctimoniæ & doctrinæ* appellat; *quem dein*, inquit, *Pontifex renuentem in Cardinalium adlegit Collegium.* De nuntio vero purpuræ remisso nihil, neque ex eius Epitaphio id colligi potest, cuius Romæ in Ecclesiâ Theutonicorum hæc legitur Inscriptio. IOANNI GROPPERIO Religionis fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles summis cum periculis pro Ecclesiæ ac Religionis conseruatione magno semper ac inuicto animo exantlatos labores, multaque præclara litterarum monumenta edita, ob perpetuam fidei pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam, summasque virtutes, absenti, nec quicquam minus cogitanti in Sacrum S. R. E. Cardinalium collegium cooptato, præmatura adhuc morte, & quando sui opera in primis desiderabatur, ex humanis excepto, fratri piissimo atque optimè merito Godifredus ac Gaspar Gropperij fratres mœstiss. posuere. Vixit annos LVII. dies XVIII. Obijt VII. Id. Martij M. D. LVII.

Gropper. in Instit. Cath. p. 226.

Vbi pœnitentiæ publicæ vim explicauit, ostenditque, *Eam olim etiam pro occultis criminibus dari & accipi solitam*, demonstrare aggreditur: *Solâ vel incuriâ, vel inscitiâ Præsulum Ecclesiæ publicam pœnitentiam iam penè abolitam esse.*

Ex prædictis, inquit, *manifestè liquet Pœnitentiam publicam (quam publicorum criminum expiatio requirit) non alia ratione quam inexcusabili prorsus negligentiâ aut imperitiâ Sacerdotum, in Latinâ Ecclesiâ iam in totum penè exoleuisse: requirere vero vigorem Euangelicum, vt præsentium Præsulum industria ac vigilantia ea in Ecclesiam reducatur, veluti res summè necessaria, præsertim hoc deploratissimo tempore, quando omne flagitiorum genus ita vbique sine pudore inundat, vt flagitia vix pro flagitijs habeantur.*

Paulò inferiùs docet, *Non relaxari in Ecclesia grauia crimina, nisi satisfactione* (seu publicâ, seu priuatâ pro ratione criminum) *susceptâ & peractâ: In summâ*, inquit, *hoc constat non relaxari ritè per Sacerdotes in Ecclesia grauia à baptismo commissa crimina, nisi factâ exomologesi & peractâ publicâ, si publica sint crimina; vel priuatâ, si secreta sint, satisfactione, ab ipsis Sacerdotibus (ea in parte vicem Christi gerentibus, eamque virtute diuinarum clauium ab ipso Christo suæ Ecclesiæ relictarum imponentibus) susceptâ. Quod parabola Euangelica de homine descendente ab Hierusalem in Iericho apertissimè demonstratur, &c. Quod quid aliud est, quam vt peritum se medicum aduersus ægrotum præstet? Qui videlicet caueat, ne vulneri dum adhuc pus intus est, parcenti manu cicatricem obducat: sed potius secato ei & aperto fortiorem pœnitentiæ medicinam, dum omnis putredo euacuetur, infundat. Quid hîc dicent Lutherani, qui hanc tam salutarem & necessariam curam ex Ecclesia auferre sunt moliti: quo quid aliud effecere, quàm vt saucios & semiuiuos non attrectato vulnere* Ib. p. 231.

inani spe lactarent; eâque impletos in mortem æternùm duraturam, dum impœnitentes manent, nullosve dignos pœnitentiæ fructus edunt, præcipitarent?

Idem injungendæ satisfactionis & pœnitentiæ
Ib. p. 224. modum præclarè exponit: *Quantum autem*, inquit, *ad qualitatem pœnitentiarum imponendarum pertinet; hoc velut quoddam generale nosse oportet, quod diuersitas culparum diuersitatem facit pœnitentiarum. Nam vt corporum medici diuersa medicamenta componunt, vt aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter combustiones curent: ita spiritales medici diuersis curationum generibus animarum vulnera sanare debent.*

Sed quia hoc paucorum est ad purum scilicet cuncta cognoscere, & curare & mederi, ac ad integrum salutis statum lapsos reuocare: ideo admonentur docti quique & pij Sacerdotes Christi, vt non ex suo sensu, sed aut secundum sacrarum Scripturarum autoritatem, aut sacrorum Canonum institutiones, & Patrum traditiones vniuersa disponant, & conditionem vtriusque sexus, ætatem, paupertatem, causam, statum, personam cuiusque pœnitentiam agere volentis. Ipsum quoque cor pœnitentis inspiciant, & secundum hæc, vti sibi visum fuerit, veluti sapientes medici, singula quæque dijudicent.

Pro quibusdam tamen culpis modi sunt impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cum sit facile per eosdem modos vindictam & censuram Canonum æstimare. Nam qui Canonum ignari peccatis grauibus leues quosdam & insuetos imponunt modos, consuunt puluillos, secundum Propheticum Sermonem, sub omni cubitu

manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.

Quare discretione magnâ opus est, & hæc imprimis seruanda venit, inter pœnitentes publicè & absconsè. Enimverò oportet, vt suprà dictum est, vt qui publicè peccat, publicâ mulctetur pœnitentiâ; & secundum ordinem Canonum, pro merito excommunicetur & reconcilietur.

His vero qui clam grauiora scelera admiserunt, eaque confessi sunt, etsi non injungere inuitis, indicare tamen saltem debent Sacerdotes remedium Canonicum, quod subire debuissent, si eorum facinora publicata fuissent. Quum vero lateant admissa, consilium eis dabunt, vt saluti animæ suæ occultè pœnitentiâ consulant; hoc est, vt veraciter ex corde grauiter se deliquisse cognoscant, & per ieiunia & eleemosynas, vigiliasque ac sacras orationes cum lachrymis se purgare contendant, vt sic ad spem veniæ per misericordiam Dei se peruenturos confidant.

Mensuram autem temporis in agendâ pœnitentiâ idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit: sed magis in arbitrio Antistitis intelligentis relinquendum statuant: quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide & conuersatione pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & negligentiâ protrahenda existimant.

Verum hæc leuiora videantur, si cum ijs conferas, quæ doctissimus ille Cardinalis addit, vbi Ec-

clesiæ Pastores ad pœnitentiæ publicæ instaurationem, velut vnicum grauissimorum, quibus ætas nostra afflictatur, malorum remedium hortatur.
Ib. p. 244. 245. Cuius orationis hic titulus est: *Non desperandum de reductione publicæ pœnitentiæ in Ecclesiam.* Ea de re deinceps ita loquitur.

Sunt qui desperant populum hoc tempore ad seueras illas publicæ pœnitentiæ leges (qui canones pœnitentiales dicuntur) posse astringi & alligari: & proinde de reinstauratione publicæ pœnitentiæ frustra disputari. Existimant enim populum præsenti seculo & fide & charitate nimis languere, vt non videatur vnquam hunc rigorem recepturus. Verum longè mihi alia mens est. Equidem, vt quod sentio dicam, quò magis fides, charitasque in hominum cordibus refrixerunt, eò ardentius Ecclesiarum Præsidibus insistendum puto, vt publicæ pœnitentiæ vsum in Ecclesiam reducant. Nam cum negari non possit, id quod res ipsa loquitur, publicæ pœnitentiæ neglectu, simul omnem disciplinam (quæ religionis vnicum fulcimentum est) exoleuisse; & eius loco fœdissima scandala in Ecclesiam agminatim inundasse, quæ dant causam horum temporum perturbationi, dicant, oro, isti tam modicæ fidei, quânam aliâ putent ratione scandala ista, quibus in præsentiarum afflictatur Ecclesia, è medio vnquam tolli, & religionem retineri posse, nisi in vsum restituatur: quod neglectum hactenus tantorum est vnica causa malorum.

Languet quidem (quod dolendum est) populus fide, & vacat charitate, sed disciplina, autore Cypriano quem suprà citauimus, retinaculum fidei est, custos spei, &

nutrimentum charitatis, quâ in Christo manemus ac iugiter in Deo viuimus. Igitur si languentem fidem erigere & consolidare, si charitatis igniculos in hominibus excitare velimus, hoc tantum restat, vt Ecclesiarum Præsides disciplinam & in primis, quæ huius maxima pars est, pœnitentiam publicam restituant: qua infinita scandala tollent è medio, & innumeras animas quæ huius contemptu nunc (quod negari non potest) relegantur in infernum, Christo lucrifacient.

Poterunt autem Præsides non valde difficulter reducere eam, modò tamen suo munere grauiter ac strenuè perfungi velint. Nam cum lege diuina indicata ac demandata sit, & à temporibus Apostolorum in veteri Ecclesiâ quam maxime frequentata, & ferè ad nostra vsque tempora retenta, quamuis à multis ob crassam insciitiam non satis percepta: quid vetat quominus id quod olim tamdiu in Ecclesia non sine maximo fructu vsitatum fuit, & quod sacræ Literæ tantoperè commendant, imo quod Christus & Apostoli tam seriò præcipiunt; velut post liminio quodam in vsum reuocetur, si quidem cum nunc omnes Euangelici dici velint: quâ, rogo, fronte respuent disciplinam Domini sui, præcepta imperatoris sui, censuram diuinam & Euangelij legem? Si quid desperandum est, magis à Præsidum socordiâ, quàm à populorum languore (cui mederi Sacerdotes debent) desperandum esse videtur.

Nathan & Gad Prophetæ victoriosissimum Regem Dauid; Helias impijssimum & crudelissimum Regem Achab; Ionas Regem Niniuæ potentissimum cum tota vrbe longe maxima, in qua erant plusquam centum vi-

ginti millia hominum; Daniel Nabuchodonosor totius orbis Monarcham, & inter omnes qui illum secuti sunt, sine controuersia maximum: Hi, inquam, viri Sancto Spiritu Dei afflati, quamuis in horum Regum essent potestate ad pœnitentiam tamen publicam eos inflexerunt. Idem post Christum fecerunt Apostoli, quemadmodum de Corinthijs ad publicam pœnitentiam à Paulo conuersis manifestum est: quare quid vetat quominus idem nostris temporibus fiat? Numquid abbreuiata est manus Domini?

Cæterum ne dicas potuisse illos Prophetici seu Apostolici spiritus virtute quod alij ita efficere non possint. En post Apostolos virum Apostolicum S. Fabianum Romanum Pontificem & Christi Martyrem: An non is Imperatorem (Romanorum Principum, qui Christianam fidem amplexi sunt primum) cum iampridem Christianus effectus esset, & communicare vellet sacris, ob quædam publica, quæ de ipso crimina ferebantur, prohibuit, quoad peccata confessus pro foribus inter pœnitentes staret? Quod Eusebius Libro 6. Ecclesiasticæ Historiæ factum testatur.

Et vt ad posteriora tempora veniamus: an non S. Ambrosius Magnum illum Theodosium (qui tamen in eum potestatem vitæ ac necis habebat) ad publicam pœnitentiam in conspectu vniuersi populi agendam adegit? An non Maximum Cæsarem à Communionis consortio segregauit, admonens, vt effusi sanguinis domini sui, nimirum Gratiani, & quod est grauius, innocentis, ageret pœnitentiam? Quomodo igitur nunc causari poterunt Ecclesiarum Præsides, se ne suas quidem plebes

(quarum

(quarum certè magnam partem tam Ecclesiastico quam ciuili iure sibi subjectam habent) eò pietatis adducere posse, modo tamen verè esse velint quod audiunt? Imò non habent, quod vel ob potentiores è plebe, aut alios magnates (qui solent maximis sæpè criminibus, eisque manifestis, esse obsiti, & ad hoc impietatis prouecti, vt glorientur in malitijs suis, & exultent in rebus pessimis) se à reductione publicæ pœnitentiæ excusent, quasi scilicet hi non sint laturi hunc rigorem. Nam si ipsi duces se gregis præberent, & potestate quam eis Dominus in ædificationem & non in destructionem dedit, legitimè vterentur, inuenirent haud dubium adhuc qui suæ Pastorali voci obaudirent, etiam ex viris principibus, nisi tamen prorsus ineptus censendus sit, qui dixit, se non dubitare quin tales habituri simus principes qualis fuit Theodosius, si tales haberemus Episcopos, qualis fuit Ambrosius.

Sed demus vt inueniantur refractarij: an ob id Sacerdotes sui muneris (quod non humanum sed prorsus diuinum est) penitus debebunt obliuisci: An clauem ligandi & retinendi in terris, quæ ligata & retenta sunt in cœlis, à claue soluendi atque remittendi diuellere, atque adeo penitus negligere, ne dicam abijcere audebunt contra Domini præceptionem, qui simul tradidit vtramque potestatem? Deberent sane potius quam eius aliquid facerent, sanguinem proprium fundere, Chrysostomi constantiam imitari, qui homilia 83. in Matth. ad finem sic habet: *Animam prius tradam meam, quam Dominicum corpus alicui indigno, sanguinemque meum potius effundi patiar, quam sacratissimum illum Sanguinem præterquam digno concedam.*

Denique quominus de reductione publicæ pœnitentiæ desperemus, en eius rei periculum Reuerendissimus Dominus Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus, sui ordinis eximium decus, iam non infeliciter fecit, vt mihi quidam testati sunt, qui præsenti anno in die solenni Cœnæ Domini, non paucos in publicè Pœnitentium ordinem redactos in Ecclesia Moguntina secundum Canones Ecclesiæ, religiosè reconciliari suis oculis viderunt, non sine lachrymis, quas rei conspectæ pietas ipsis, vt affirmarunt, expressisset.

Hoc ipsum & aliquanto amplius insigni nostri temporis exemplo comprobatum est, vt facile constet, quod Sapientissimo Cardinali visum est, si quid antiquæ pœnitentiæ instaurandæ ad fœdissima nostrorum temporum scandala tollenda adeo necessariæ obstet; multo magis *Presidum socordiam*, quàm *populorum languorem obesse*.

MARIANVS VICTORIVS Italus Episcopus.

MARIANVS Victorius Amerinus in Italia Episcopus Hieronymi operum recensione ac Commentarijs nobilis, cuius ea fuit tum eruditio, tum dignitas, tum etiam apud summos Pontifices gratia, vt cum tua, ni fallor, bona venia existimare liceat eum Ecclesiæ tum antiquæ, tum *præsentis*, vt tuis verbis vtar, notitia te, vt leuissimè dicam, nihilo inferiorem fuisse, in præclaro de pœnitentia Libro aduersus nuperas hæreses scripto, illud pro certo ac minime dubio sumit, &

integro capite explicat, Eucharistiam non statim à confessione, sed pœnitentiâ demum peractâ adeundam. In operis enim argumento id se capite 6. tractaturum pollicetur. *Non potest sacram quis Eucharistiam sumere, nisi prius peccatorum suorum exomologesin Sacerdoti fecerit*; NEC STATIM POST EXOMOLOGESIN POENITENTIA NONDVM PERACTA EAM SVMERE DEBET. In procœmio vero: *Sexto dicetur, an sine confessione vel continuo post eam factam accedi ad sacram Eucharistiam possit*. In ipso autem sexto capite: *Vetus est*, inquit, *institutio Ecclesiæ, ratione & veterum Sanctorum autoritate firmata, vt quis ad Eucharistiam non accedat, nisi facta prius peccatorum exomologesi* ET POENITENTIA ILLI A' SACERDOTE IMPOSITA AD FINEM VSQVE PERDVCTA. Parumne luculenta videntur hæc verba & tuis aduersa, ad comprimendam censuræ tuæ leuitatem, præcipitemque zeli tui ardorem refrigerandum?

Nam & illud animaduertas velim, Pœnitentiam, quam Episcopus ille ante Communionem peragendam censet, non de istis esse satisfactionibus leuissimis quæ contra Tridentini decretum peccatorum grauitati minime respondeant. Has enim ipsas in breui commentario *de Pœnitentijs antiquis* quem superiori operi appendicis loco adjunxit, grauiter perstringit his verbis quibus Opusculum concluditur. *Libet in fine huius operis omnes Christi Sacerdotes admonere, ne nimis remissi, indulgentesque in imponendis pœnitentijs sint. Ex hoc enim non solum*

Ecclesiasticæ regulæ disciplina omnis resoluitur, verumetiam nulla injecta ex facinoribus præteritis verecundia hominibus rursus redeundi ad scelera, non parua relinquitur occasio. ET HÆC VNA, VT EQVIDEM REOR, PRÆCIPVA CAVSA EST, DEPLORATÆ PROPEMODVM NVNC PROLAPSÆQVE RELIGIONIS: ET QVOD HODIE TAM PERFRICTA FRONTE, OMNIQVE CHRISTIANO PVDORE SEPOSITO CRIMINA PERPETRANTVR, ET ECCLESIASTICA VIVENDI REGVLA PASSIM CONTEMNITVR. *Nam etsi arbitrariæ pœnitentiæ hodie sint, Sacerdotis tamen arbitrium iudicio, iustitia, & veritate inniti debet; & quamuis in tam corrupto & vitiato seculo seueritas ista, quam ex Veteribus collectam in hoc Opere ante oculos lectorum posuimus, seruari modo aliquo non possit, proptereaue remissa etiam sit: videat tamen Sacerdos & secundum quod expedire pœnitenti & Ecclesiæ ex qualitate perpetratorum criminum animaduerterit, ex istis saltem Canonibus discat, quantâ curâ & diligentiâ pœnitentias seu publicas seu priuatas imponere debeat.*

S. FRANCISCVS XAVERIVS.

QVOD si adeò te animi æstus abripiat, vt doctissimum illum Episcopum temeritatis insimulare non dubites; ad nouum vsque orbem istam eandem licentiam extende, eademque censura virum Sanctissimum inuolue, cuius operâ tot gentibus, mortiferâ infidelitatis & Idololatriæ ca-

ligine obrutis, Euangelij lucem inferri Deus voluit, Christumque regni sui toto terrarum orbe tandem spargendi partem non pœnitendam occupare.

Autor est Tursellinus in Vita Francisci Xauerij, eum Societatis Confessarijs hoc in primis præcipere solitum, præsertim si quando contingeret homines negotijs implicatos ac solutioris vitæ ad eos accedere, *ne à confessione absoluerentur illicò*; sed aliquandiu pœnitentiæ operam dare iuberentur. Itaque his verbis Patrem Gasparem admonuisse refert Tursellinus. *Confeßionem non continuò sequetur absolutio: sed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, vt interim animorum maculas lachrymis ac voluntarijs eluant pœnis. Si quid cui debent, restituant: simultatibus, si quas habent, depositis: redeant cum inimicis in gratiam: à libidinis consuetudine cæterisque quibus impliciti sunt flagitijs expediantur.* HÆC OMNIA ABSOLVTIONEM PRÆCVRRVNT RECTIVS, QVAM SEQVVNTVR.

Tursellin. in Vita Xauerij lib. 6. cap. 17.

Si de huius sancti viri sententiâ satius est à pœnitente ante absolutionem hæc omnia præstari, vt mentem verbi diuini pabulo, & rerum cœlestium meditatione pascat: animæ maculas lachrymis ac voluntarijs pœnis eluat: ablata restituat: redeat cum inimicis in gratiam: à vitiorum consuetudine ac visco se expediat: Cui tandem dubium sit, quin vbi bidui, triduive mora, quam exempli causa commemorat, hisce rebus perficiendis satis

non erit, optimum atque adeo necessarium viri Sanctissimi iudicio videri debeat, longius temporis spatium adhibere: præsertim si pœnitens diuinæ gratiæ vi permotus, dilationem illam sponte amplectatur, & in pœnitentiæ exercitationibus tamdiu hærere gaudeat, quoad necesse fuerit, ad impuras vitiorum imagines diuinarum rerum meditatione abstergendas; ad curanda gemitibus malâque corporis tractatione mentis vulnera; ad animum inducendum diuitias repudiare, si quas forte per vsuras & fraudes ex tenuiorum visceribus corrasit; ad inueterata odia ex animo euellenda; ad opprimendos lasciuientes carnis motus, qui non nisi diuturnis laboribus coercentur, vbi ad corruptionem naturæ deprauatio morum accessit; ad exitiales denique quibus in peccati seruitute detinetur laqueos dissoluendos. *Hæc enim omnia*, vt ait vir Sanctissimus, *absolutionem præcedunt rectius, quam sequuntur.*

Ex quibus facile intelligitur singularis Spiritus prudentiâ triduum ab illo expressum, quo magis peccatores ad pœnitentiam induceret, breuique ac facili velut aditū allectaret. Similia prudentiæ Sanctorum exempla in Scripturis videre licet, qui ab ijs quos grauius vrgerent peccata, leuiora primum postulauerint, vt sensim ac pedetentim ad veritatis & pœnitentiæ viam illos adducerent. Sic à Rege Nabuchodonosore, vno omnium sui temporis nocentissimo, hoc vnum Daniel petijt, vt imminentem Dei iram eleemosynis auerteret, pe-

cuniâ in pauperes erogatâ peccata redimens: quod illi quidem facilius haud paulò fuit, quàm ijs de quibus B. Xauerius loquitur, inter absolutio-nis moram triduo pœnitentiæ operam dare. Sic Ioannes Baptista posteaquam peccatores acerrimè insectatus est, pauca tamen principiò ab illis con-tendit ac postulat, nimirum per indulgentiam, in-quit Chrysostomus, vt illorum infirmitati obse-queretur. Ad eundem prorsus modum S. Xaue-rius, vt pœnitentes & Presbyteros ad moram ali-quam inter confessionem & absolutionem inter-ponendam mollius pertraheret, exempli gratia, triduum affert. Quod enim intercapedine illâ vten-dum ob eam in primis causam censet, vt *homines à libidinis consuetudine cæterisque quibus impliciti sunt flagitijs expediantur*, indicio est benigniorem & ac-commodatitiam eius esse orationem: quandoqui-dem vix vllos esse qui à deprauatis moribus vitio-rumque assuetudine tantulo tempore emergere queant, ipsa naturali philosophia constet. Quan-quam existere nonnunquam potest, qui multo-rum licet criminum reus, tanto cum animi dolore ac pietatis sensu ad Sacerdotem adeat, vt tridui spatium vel etiam breuius satis illi superque sit, quemadmodum illustri exemplo quod in Vita S. Vincentij extat, alteroque in Vita Cardinalis Vitriaceni declaratum est.

Vt vt sit, cum Sancti viri sententia sit, lachry-mas, voluntarias pœnas, reditum cum inimicis in gratiam, discessum à vitijs *absolutionem præcedere re-*

ctius quam sequi, multo magis ea Eucharistiæ communionem antecedere præstat; ac proinde viro Apostolico autore saluberrima est ad Sacerdotes admonitio, vt peccatores aliquantisper in pœnitentiæ curriculo contineant, antequam eos absolutione & communione dignentur.

DOCTORES SCHOLASTICI *& Theologiæ Moralis Scriptores huius ætatis.*

Suarez de Pœnit. disp. 38. sect. 7. n. 7. Bonacina disp. 5 sect. 3. p. 2. prop. 4. Reginaldus lib. 7. n. 83. &c.

IAM vt ad nostrum orbem regrediamur, addere licet, inter Scholasticæ & Moralis Theologiæ Scriptores constare, ius esse Sacerdoti vt pœnitentem iubeat impositam satisfactionem implere priusquam eum absoluat, eiusque prudentiæ permittendum, vt in ea re id potissimum sequatur, quod pœnitentis saluti accommodatissimum iudicauerit. Quod cum omnibus compertum sit, nec cuiquam non imperito dubium, cuius tandem frontis atque audaciæ est, Presbyterum temeritatis arguere, eo tantum nomine, quod absolutionem à confessione diuellerit, & ad impletam vsque satisfactionem suspenderit, nempe id ipsum faciens, quod eius potestati ac prudentiæ recentiorum etiam Theologorum doctrina concedit? Cum vero huius potestatis vsus in illius iudicio positus sit; iudicium autem illius in cognitione quam à pœnitente acceperit de intimis animi arcanis, peccatorum ratione, de totius vitæ serie, de innatis vitijs, de consuetudinibus prauis, de peccandi vinculis ac necessitatibus, de internis externisque affe-

ctionibus

ctionibus & circumstantijs: cuius tandem temeritatis & inscitiæ est, factum id damnare de quo sine horum omnium notitia, quam nec habemus, nec habere saluo confessionis sigillo possumus, iudicari non liceat?

Hoc amplius addo, minimè dubium esse, quin si Presbyteri eâ quâ par est, diligentiâ considerent, quam multi Sacramenta ludibrio habeant, eademque semper crimina & confiteantur & factitent: facile intellecturi sint, quam frequens & quotidianus sit vsus Theologorum Moralium doctrinæ de procrastinanda absolutione; & quam fructuosum passim, imo ad pœnitentium salutem necessarium videri oporteat, ad agendam pœnitentiam, certioraque exhibenda sinceræ conuersionis argumenta, eos ablegari, antequam absolutione impartiantur. D. Caroli eam in rem sententiam suprà expressimus.

CARDINALIS BARONIVS.

EI iam illustrissimum alterum Cardinalem adjungo, qui cum in Ecclesiasticis Annalibus Cleri Romani ad Cyprianum de lapsorum causa scribentis verba retulisset, quibus decernitur, vt reconciliarentur ij quos iam suscepta nec ad finem vsque perducta pœnitentia mortis periculum vrgeret: *Si tamen professa frequenter suorum detestatione factorum, lachrymis, gemitibus, fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodidissent*: de quibus nihilominus post hæc omnia quid futurum sit Deo soli *Clerus Rom. ad Cyprian. Ep. 31.*

notum esse dicitur: *Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter iudicij sui examinet pondera:* Ex his illustrissimus Annalium conditor meritò concludit: *Quam ergo parum tuta, quamque dubia sit illa festinanter exhibita reconciliatio etiam petentibus eam cum lachrymis, dicta nuper sententia declarauit.*

Baron. ad Ann. 253. n. 79.

PONTIFICIA DIPLOMATA.

PROGREDIAMVR etiam longius, atque vt planissimè constet, quam sanctum sit & pietati consentaneum operam dare, vt pœnitentiæ functio absolutionem, adeoque & communionem antecedat, audaculis istis qui quicquid ignorant damnare non dubitant, Successoris Petri autoritatem opponamus. Si enim quæsierint quid Pontificia diplomata quibus criminum quorum absolutio Apostolicæ Sedi reseruata est, dimittendorum facultas datur, præscribant, edici reperient, vt grauis imponatur satisfactio pœnitenti, cuius saltem parte ante absolutionem defungatur.

SVPERIORVM OMNIVM testimoniorum summa.

QVID habes tandem quod ad hæc omnia reponas? An temeritatis accusare perges facientem quod Summus Pontifex quotidie præscribit? An Ecclesiæ disciplinam & mores exploratiores tibi esse contendes, quam totius Ecclesiæ duci ac principi? An Sanctissimas pœnitentiæ leges & praxes in Ecclesia abolitas censebis, quod eas vel

ignores ipſe, vel faſtidias? An in te vno Eccleſiam vniuerſam ſitam opinaris?

Ergone Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis, in primis huius ætatis eruditione præcellens, qui peccata à Sacerdotibus myſterio Chriſti fungentibus *retinenda cenſet propter pœnitentiæ immaturitatem, vt paulatim perficiatur*, de Eccleſia non fuit?

An Binsfeldius Archiepiſcopi Treuirenſis ſuffraganeus Epiſcopus, qui Preſbyteris autor eſt, vt quoad poſſint ad antiquorum Canonum, multos ante abſolutionem & communionem pœnitentiæ annos imperantium, obſeruationem pœnitentes reuocent, de Eccleſia non fuit?

An Ludouicus Granatenſis ſcriptis de pietate Chriſtiana Libris nobiliſſimus, qui abuſum temeritatemque non ferendam cenſet, quod plerique hodie cum primùm nefandorum criminum vim euomuerint, à Sacerdotis genibus ad Chriſti menſam aduolant, diuinumque illum panem ad quem Angelica, ſi fieri poſſet, integritas afferenda erat, confidenter arripiunt: ac denique dies ſaltem aliquot interponendos monet quibus Deum propitient, & ſedem, in quam illum accepturi ſunt, fletibus ac lachrymis ſpargant & eluant, de Eccleſia non fuit?

An Cardinalis Baronius qui præproperas iſtas abſolutiones quas idonei pœnitentiæ fructus non anteceſſerint, parum tutas ancipiteſque declarat, de Eccleſia non fuit?

An Cardinalis Gropperus qui disciplinæ Ecclesiasticæ atque in primis pœnitentiæ prolapsionem grauissimis verbis luget, nec fœdissima scandala quibus in præsentiarum Christiana res conflictatur, alia ratione quam instauranda pœnitentia tolli posse contendit, de Ecclesia non fuit?

An Marianus Victorius Italus Episcopus, & apud Summos Pontifices magno in honore habitus, qui Cardinalis illius orationem quodam modo exprimens Patrumque omnium vestigia secutus disertè docet, non modo peccata confitenda, sed & pœnitentiæ functione purganda antequam Eucharistiæ communio vsurpetur, de Ecclesia non fuit?

An S. Franciscus Xauerius qui homines vitijs mersos sic à Sacerdote tractari iubet, vt diuinarum rerum meditatio, voluntariæ pœnæ quibus animi sordes eluantur, iniquè partorum restitutio, simultatum depositio, à libidinum & flagitiorum consuetudine discessio, absolutionem, ideoque & communionem præcedant, de Ecclesia non fuit?

An Theologi omnes, quorum consentiens est sententia, posse etiamnum quoad impleta sit satisfactio, reconciliationem differri, proindeque & Eucharistiæ sumptionem, de Ecclesia non erunt?

An Catholici Libani montis incolæ apud quos antiquæ pœnitentiæ disciplina ad hæc tempora seruata est, de Ecclesia non esse videantur?

An Concilia Prouincialia Coloniense, Mechliniense, & Bituricense, quæ publicam pœnitentiam restituendam decernunt, de Ecclesiæ Concilijs non fuerunt?

An Synodus Augustensis ab Othone Cardinali Sanctæ Balbinæ congregata & Conciliorum corpori inserta, quæ cum plurimis in causis peracta demum pœnitentia communionem peccatoribus permittendam sanxisset, omnes penitus Presbyteros sanctam hanc disciplinam quoad potuerint obseruandam monet, de Ecclesia non fuit?

An Episcopi qui in Senonensi Concilio errorem damnant negantium vtile esse non solum per contritionem & confessionem, sed & per satisfactionem aliaque bona opera ad communionem sese comparare, de Ecclesia non fuerunt?

An S. Cardinalis Borromæus qui Presbyteris vnam lapsorum sanandorum formam priscos illos canones proponit, quibus omnibus pœnitentia ante Communionem agenda præscribitur, quique tot decretis Sacerdotes à peruagata ista praxi, quam tu sine temeritatis nota prætermitti posse negas, ad antiquiorem tutioremque reuocauit, de Ecclesia non fuit?

An Concilij Tridentini vox, quam disciplinæ à te damnatæ adeò suffragari, probatæ aduersari ostendimus, totius Ecclesiæ vox non fuit?

Canon, Omnis vtriusque sexus.

An denique solennis illa Ecclesiæ lex, quæ sola Eucharistiæ sumptionem fidelibus imperat, quod disertè excipiat fas esse Sacerdoti eo ipso tempore quo vniuersis communio præcipitur, pœnitentem à Communione prohibere, apud te exoleuit, & de vtilibus Ecclesiæ legibus esse desijt?

CAPVT XLVI.

PRAXIN, QVAM EXPLOSA QVAVIS aliâ Aduersarius vsquequaque seruari iubet, non esse totius Ecclesiæ praxin.



DESINE igitur tibi ipse fingere, ac temerè alijs asseuerare, id ab Ecclesia non amplius fieri, quod ab ea etiam nunc fieri tot testimonia euincunt; quodque omnibus hodie Sacerdotibus ipsa non modo planissimè permittente, sed etiam ex animo approbante, factitare licet; quippe quod ipsius votis multo maxime consentaneum sit.

Itaque vulgaris ista praxis quam objectas, multorum in Ecclesia priuatorum, non vniuersæ Ecclesiæ est praxis: vel potius vna est praxium Ecclesiæ (ab ea quibusdam in causis semper vsurpata) dummodò abusus absint, quos multos obrepere posse S. Carolus Borromæus monuit: at sola non est, & vnica Ecclesiæ praxis. Nunc quidem frequentior & communior fortassis euasit, quod omnium animis à pœnitentiâ vulgò alienioribus

arridet, & quaſi blanditur, omnibus ad confeſſionem facilè inclinantibus, à pœnitentia vero ferè auerſis : at nec præſtantiſſima eſt, nec tutiſſima, nec inſigni in primis Eccleſiæ notæ, antiquitati & perpetuitati doctrinæ conjunctiſſima, quia per Eccleſiæ demum indulgentiam toleranti amque neceſſariam increbuit : cum altera contrà praxis ſit primigenia, Apoſtolorum, Patrum vniuerſorum, vniuerſæque per duodena penè ſecula Eccleſiæ praxis : quæ quamuis ab hinc quingentis annis propter cordium duritiam quam Synodus Tridentina ingemuit, ac Sacerdotum inſcitiam & ſocordiam, quæ à Gregorio VII. Summo Pontifice & à S. Bernardo notata toties ac deplorata eſt, ſenſim exoleuerit & defluxerit: multis tamen in cauſis ac temporibus ſingulari Dei prouidentiâ retenta & conſeruata, atque his etiam poſterioribus ſeculis, Conciliorum & Epiſcoporum decretis, Sanctorumque virorum ac Theologorum ſcriptis, vt ſuperius demonſtrauimus, ſtudioſius inſtaurata ac renouata eſt,



CAPVT XLVII.

MOREM ET PRAXIM IN ECCLESIA vulgatiorem interdum ſine temeritatis nota omitti poſſe.



ERVM vt quam in iſta tua accuſatione iniquus ſis, magis etiam pateſcat, hoc te admoneri operæ pretium fuerit, homini qui à vulgato more & praxi diſcedat, temeritatis notam non ſemper iure irrogandam videri, nempe vbi mos ille priuatorum vſu, non Eccleſiæ lege inductus eſt, nec contentionis ſtudio, & vnitatis corporis Chriſti, quæ quauis morte martyrioque vindicanda eſt, conturbandæ cauſa prætermittitur, ſed vt mos alter eiuſdem Eccleſiæ, Scripturarum, Pontificum, Conciliorum, ac Patrum iudicio ſanctior ac præſtantior, etſi his temporibus inuſitatior, retineatur.

Exemplum quæris? Accipe minime dubium. *Vſus ieiunia ſoluendi circa meridiem, & cœnulam ſumendi ſub noctem*, hodie in Eccleſia vulgaris eſt. Is tamen Cardinalem Bellarminum non deterruit, quominus aſſereret, SS. Patrum ſententia verum ieiunium vnica cœna ad veſperam ſumenda contineri, vſumque contrarium *ab Eccleſia non imperari, ſed tolerari.* Vt vt ſit, hominem qui conſuetudine iſta, quæ nunc penè ſola obtinet, prætermiſſa, ieiunium perfectius, ac Scripturæ & Traditioni Eccleſiaſticæ congruentius ſectari voluerit, inſimulare nemini opinor, præter te, in mentem venerit.

Bellarm. de Bonis oper. in part. lib. 3. c. 2.

Accipe

Accipe alterum. Moris est passim Clericis in ecclesiasticarum precum canone persoluendo, nullam temporum ab Ecclesia definitorum rationem habere, terque aut quater omnino ad orandum se conferre, cum *septies in die*, more Dauidico, *laudem Duo dici* Ecclesia velit. Nihilominus idem Cardinalis Bellarminus cum innumeris Theologis & canonum interpretibus eos qui citra necessitatem licentiore consuetudine ista vtantur venialis saltem culpæ condemnat. Necessitatem autem non facilè causentur, qui rem in consuetudinem, ne in legem dicam adduxerint.

Vt peccatū quodcūque etiam veniale vitetur, debent officia singularū horarum illis horis celebrari vnde nomina acceperunt. Esse autem peccatum saltem veniale, à Canonico tempore in officio persoluendo recedere, communis est sententia Theologorum, & Canonistarum, quorum ingentem numerum citat Marcellus Francolinus in libro de tempore Horarum Canonicarum. cap. 24. n. 4. & cap. 25. n. 4. *Bellarm. de Bonis Oper. in part. l. 1. c. 18.*

Sed vt controuersiam istam interim omittam, quis saltem præter te arguendum temeritatis quemquam putet, quod animo reputans Dei majestatem longè dignissimam cui statis indictisque horis ministretur, Ecclesiamque in distribuendis canonicarum precum temporibus id potissimum spectasse, vt Clerici reuocatis ad Deum identidem animis, in quadam orationis perpetuitate contineantur, à vulgari ista consuetudine, quam à generali Ecclesiæ sensu ad quem omnis pietas nostra dirigenda est, discedere malit: nec propter qeotidianas occupationes à disciplina illa Canonica immunem se esse existimet, cum ob eam ipsam causam, Hieronymo teste, *diuisas orandi horas debeamus habere; vt si fortè ali-*

Sed quidquid sit de rigore iuris certè dubitari non debet, quin sit longè perfectius, fructuosius, & facilius officia singularum horarū, suis propriisque temporibus celebrare, quam multa simul officia sine vlla horarū & temporū distinctione coniungere. Sic enim satis fit Ecclesiasticæ institutioni,

quæ ideò in certas horas diurnas, atque nocturnas officium distribuit, vt in iisdem horis, atque adeo per omnes totius diei partes, Deum laudemus: sic enim maxima vtilitas ex Officij recitatione ad nos accedit; dum tam crebro ad nos ipsi redimus, & à tumultibus sæculi ad pacem Dei, animum reuocamus: sic denique labor precum horariarum in tot partes diuisus, ita minuitur vt leuissimus ac pene nullus esse videatur. *Ib.*

quo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. [a]

a Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen diuisas orandi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus, opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam Tertiam, Sextam, Nonam, diluculum quoque, Vesperam nemo est qui nesciat, &c. *Hier. ad Eustoch. de Custod. Virgin. V. etiam in Epist. ad Lætam, ad Demetriadem, & in vita Paulæ. Et Cypr. de orat. Domin.*

Quod si qua in re priuata singulorum facta toti Ecclesiæ ascribi non debent, id in pœnitentia minimè omnium fieri licet. Cum enim arcanum occultumque sit pœnitentis cum Sacerdote commercium, nihil aliud Ecclesiæ relinquitur, nisi vt legibus, institutionibusque suis illius administrationem generatim præscribat. Quanam verò ratione legibus illis pareatur cognitionis iudicijque sui esse non existimat, idque omne in Presbyterorum deponit fide, quibus solis dissoluta indulgentia & mollities qua peccatores corruperint, præstanda Deo erit ac luenda.

Ita Concilium Tridentinum Sacerdotes pœnitentiam delictorum grauitati conuenientem iubet imponere; ne si grauia crimina leuiter plectant, alienæ culpæ participes efficiantur. Quod si nihilominus Sacerdotes nonnulli vel inscitiâ vel negligentiâ, vel clementiæ cuiusdam crudelis inani specie adducti, æquissimum ac sanctissimum Ecclesiæ vniuersalis decretum proterentes, periuria, blasphemias, fornicationes, adulteria, sacrilegas communiones, & alia nefaria ctimina, orationis Domi-

nicæ quina vel Psalmorum pœnitentialium vnica recitatione vindicent: an continuo tantum Ecclesiasticarum legum contemptum, à singulis illis clam atque ad vnius pœnitentis aurem susceptum pro generali Ecclesiæ more & praxi, à quâ sine temeritate disscedi non possit, obtrudes? Denique an disciplinam illam autoritate falli nescia sancitam, diuini Spiritus doctrina, Apostolorum traditione, decretis Pontificum, canonibus Conciliorum, ac perpetuo Patrum omnium consensu præfultam, obseruari deinceps sine temeritatis nota à te ac tui similibus irroganda non patieris?

Nemo tam alienam absurdamque cogitationem non explodat. Conciliorum enim est leges condere, priuatorum obsequi. Qui secus fecerint, rei Deo erunt, nec eorum peccata Ecclesiam attingunt. Quare vt hanc secundam partem tandem aliquando concludam, criminationes tuas omnes hæc vox vna depellit: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit absconndita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* 1. Cor. 4. v. 5.

SECVNDÆ PARTIS FINIS.

DE FREQVENTI COMMVNIONE, ADVERSVS COMMENTARIVM, cui titulus: *Quæstio, Vtrum præstet sacra Communione frequentiùs vti, an rariùs.*

PARS TERTIA.

DE INTERIORIBVS ALIIS QVIBVSDAM ad Communionem fructuosè obeundam adjumentis.

An quisque quamuis se tepidum, torpentem, à diuinarum rerum studio & gustu remotum, gratiæ diuinæ inanem, sui ipsius amore plenum, ac seculo immaniter addictum sentiat, ad Eucharistiam tamen intrepidè accedere debeat, vt Aduersarius autor est. An dilatio Communionis ad eam sanctius & religiosius percipiendam vsui esse non possit.

CAPVT PRIMVM.

VTRVM EVCHARISTIAM QVANTVMVIS tepidum ac frigidum sumere oporteat. Scriptoris Libri de Imitatione Christi & D. Bonauenturæ super ea re mens explanatur.

Aduersarius.

7. *SAnctorum etiam sententia est, eum qui pietatis sensu & charitatis ardore quem vellet, careat, sibique ipse tepidus videatur, ab Eucharistiâ abstinere se non debere, dummodò ad pietatem pro viribus animum exsuscitet, summißèque & cum profectus spe accedat. Ita SS. Bernardus & Bonauentura sentiunt. Licet tepidè*

accedas, tamen de misericordia Dei confidito. Tanto enim magis æger necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum. Alibi: Non ideo quæris te iungere Christo, vt tu eum sanctifices, sed vt tu sanctificeris ab eo. Ac Gerson. Qui, inquit, à Sacramento isto se summouet, quod tepidum se ac frigidum sentit, similiter facit, ac si quis dicat, Ad ignem non accedo, quia frigeo. Medicum non quæro, quia æger sum. Sacramenta medicamenta sunt: etsi æger sis, accede. Christus ignis est: algeas licet (absit modo lethale peccatum) accedito. Sæpe enim qui ad Cammunionem frigidus accessit, feruidior atque ardentior ab ea rediit.

RESPONSIO.



ESPONSIONIS ad articulum præcedentem, quæ secundam operis huius partem complectitur, longitudo, me tædij fugiendi causâ, in reliqua tua scriptione confutanda breuiorem faciet. Quod quidem eo rectius videtur, quia præcipuis illius fundamentis alijs alio loco disjectis, reliqua sponte sua nullo impellente collabuntur.

Quare hoc loco breuiter dico, Sanctorum te autoritate & nomine ad commenta tua fulcienda etiam nunc abuti. Vt enim nonnulla verba tua eorum verbis respondere videantur; res tamen quas illis subijcis, quasque inde colligis, quantum error à veritate, tantum ab eorum mente dissentiunt.

Nam ex ipſo totius ſcriptionis tuæ genio dogmatumque tuorum nexu ac colligatione manifeſtum eſt, totum te in eo eſſe, vt omnem omnibus per reuerentiam tantiſper ab Euchariſtia diſcedendi cogitationem eripias : contraque perſuadeas, vtcumque ad pietatis ſenſum obtorpuerint, mentem ab ea ſemotam, voluntatem auerſam, ſenſus alienatos geſſerint; quantolibet ſe rerum diuinarum odio, faſtidioque occupatos, ſecularium ac terrenarum ſtudio & cupiditate captos ac velut ebrios ſenſerint; quamuis gratiæ ac feruidioris charitatis expertes, ſui ipſorum amore ac prauis libidinibus abundantes, *dummodò lethalia peccata abſint* (hæ enim tuæ ſunt voces, ac tuam mentem produnt) hoc eſt, quemadmodum ſuperiori articulo docuiſti, modo confeſſi illa fuerint, etſi innumerabilia commiſerint, creberrimèque committant, ſanctiſſimis tamen ac tremendis, vt Eccleſia vocat, altaribus ſine vlla formidine ſeſe inferre oraque immittere oportere.

Hæc illa eſt doctrina, quam pro SS. Patrum decretis obtrudis. Cui ego auream illam Chryſoſtomi vocem opponere in præſentia ſatis habebo. *Nemo nauſeans*, inquit, *ad hanc menſam adeat, nemo remiſſus : ſed alacres, accenſi & feruentes omnes accedant. Nam ſi Iudæi ſtantes calceati ac baculos in manibus habentes cum feſtinatione Paſchalem Agnum comedebant : quanto magis vigilare nos decet, viuidoſque & inflammatos ad Sacramentum iſtud animos afferre?* Chryſ. hom. 83. in Matth.

Quod autem attinet ad SS. virorum autorita-

tem, quos ad tam perniciosæ doctrinæ patrocinium aduocas, patet cum eos qui pietatis ardore minus quam velint flagrent, ad Communionem cohortantur, significari ab ijs statum mentium manifestiore illo ac teneriore pietatis sensu carentium, ac velut ariditate & sterilitate quadam affectarum, quæ vel Sanctissimo cuique subinde accidit, Deo gratiæ cœlestis suauitatem ad comprimendos vel probandos suorum animos interdum subducente.

Atque hoc beatæ memoriæ Geneuensis Antistes in Introductione sua luculenter exponit. *Erit,* inquit, *interdum, cum te omni deuotionis sensu adeo nudam ac vacuam experiare, vt anima tua incultum quoddam ac sterile solum tibi videatur, in quo prænimia siccitate velut horrido & syluescente nec via ad Deum nec semita compareat, nec vlla quâ irrigetur cœlestis gratiæ stilla suppeditet.* Ac varias huius rei causas scrutatus, concludit ad extremum, *liberationem ab eiuscemodi molestijs anxiè ac sollicitè nimis non esse expetendam, sed in Dei nutu & prouidentia prorsus conquiescendum, vt nos in istis difficultatibus & quasi spinis, quandiu libuerit, exerceat. Interea vero firmis animis consolationis diuinæ accessum præstolantes, pietatis munia persequi ac Christo religiosa opera offerre oportere. Certum enim,* inquit, *habere debemus ea nihilominus illi iucunda fore,* MODO ANIMO AMANDI COLENDIQVE IPSIVS VERÈ AC PERFECTÈ CVPIDO OFFERANTVR.

Introduct. 4. part. c. 14.

Tali affectione mentis præditos viri sancti Communione

munione dignandos putant, cum videlicet cor
ipſum Deo intimè adhæreſcit : quod ex operibus,
è corde, fructus inſtar, pullulantibus æſtimandum
eſt : quamuis alioquin animus ſua quadam ieiuni-
tate languidior, eo quem velit pietatis ſenſu ca-
reat. Atque id te, illi ipſi quos profers Scriptores
docuiſſent, ſi illos, eâ quæ res diuinas decet, dili-
gentiâ curâque legiſſes.

Gerſon, vel potius Thomas à Kempis, autor Li-
bri de Imitatione Chriſti, in quo ſolos Canonicos
regulares ſuos, falſis, vt loquitur Propheta, mundi
inſanijs expeditos, non homines ſeculi contage
cœnoque merſos compellat : Chriſtum de præpa-
ratione animi ad ſacram Euchariſtiam afferendâ,
cum diſcipulo ita loquentem facit. *Ego ſum purita-* De Imitat. Chriſti lib. 4. c. 12.
tis amator, & dator omnis ſanctitatis. Ego cor purum
quæro : ibi eſt locus requietionis meæ. Para mihi cœnacu-
lum grande, ſtratum, & faciam apud te Paſcha cum
diſcipulis meis. Si vis vt veniam ad te, & apud te ma-
neam ; expurga vetus fermentum, & munda cordis tui
habitaculum. Exclude totum ſeculum, & omnem vitio-
rum tumultum. Et paulo infra : *Cum gratiam deuotio-*
nis tribuo, gratias age Deo tuo : non quia dignus es, ſed
quia tui miſertus ſum. Si non habes, ſed magis aridum
te ſentis, inſiſte orationi, ingemiſce & pulſa : nec deſe-
ras donec merearis micam, aut guttam gratiæ ſalutaris
accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo : nec tu me
ſanctificare venis, ſed ego te ſanctificare & meliorare
venio. Tu venis vt ex me ſanctificeris & mihi vniaris,
vt nouam gratiam recipias, & de nouo ad emendationem

accendaris. Noli negligere hanc gratiam : sed præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduc ad te dilectum tuum.

Quis eum loqui non videt de tædio languoreque illo quo pius quisque deprimitur, Deo pietatis ardorem & sensum, qui in intimo nihilominus cordis recessu maneat, eripiente? Nec tamen eo prorsus animi habitu Communionem censet adeundam : sed orationi firmius incumbere, gemere, pulsare iubet, neque incœpto ante desistere, quam expressis ac velut extortis à Deo nonnullis gratiæ radijs, accessionisque illius ad nos indicijs & pignoribus.

De Imitat. Christi. lib. 4. c. 15.

Rursum alibi de studij ac feruoris gratiæ comparandi viâ & modo clarius etiam disserens : *Oportet*, inquit, *te deuotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conseruare, studiosè cum ea operari, ac Deo terminum & modum supernæ visitationis donec veniat, committere. Humiliare præcipue te debes, cum parum, aut nihil deuotionis interius sentis, sed non nimium deijci, nec inordinatè contristari. Dat sæpe Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare. Si semper cito gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini benè portabile. Propterea in bona spe & humili patientia expectanda est deuotionis gratia. Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum leuauerit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ euacua-*

uerit; aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus deuotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, vbi vasa vacua inuenerit, & quanto perfectius infimis quis renuntiat, & magis sibiipsi per contemptum sui moritur, tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, & altius liberum cor eleuat.

Hinc disce quam absurdè faciat, qui cum omnes ambitionis ac voluptatum libidines inclusas animo immotasque seruet, cum sui ipsius amore ferueat, atque arctissimis seculo vinculis astrictus sit; si modo genu flexo per semihoram ad Deum cogitationem contulerit, nihil sibi ad pietatem suscitandam reliqui fecisse, adeoque ad Communionem, nulla etiam exsuscitatæ pietatis scintilla emicante, rectè properare videatur.

Iam vt de sancto Bonauentura respondeam, ipse capitis, vnde verba illa prompsisti, titulus docere te debuit, verè à nobis iam dictum, locum accipiendum de fastidijs & languoribus quibus pij subjecti sunt. Quæ enim profers extant in secundo Libro de profectu Religiosorum cap. 77. cui titulus est: *De tentationibus Deuotorum*, vbi illis iisdem arescentium animarum tædijs expositis, de quibus B. Episcopus Geneuensis, eorumque causis declaratis, deinceps de præparatione ad Eucharistiam afferenda disserens: *Attentius tamen*, inquit, *Religiosi & qui obtulerunt se Deo: sic enim erunt in majori custodia vitæ suæ & conscientiæ, dum & ante, & post Eucharistiæ susceptionem ob reuerentiam ipsius, student magis innocenter viuere, & studio deuotionis frequentius*

intendere. Et licet quandoque tepidè, tamen confidens de misericordia Dei, fiducialiter accedat: quia si se indignum reputat, cogitet quod tanto magis æger, necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum. Non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus: nec ideo quæris te jungere Christo, vt tu eum sanctifices, sed vt tu sanctificeris ab eo. Nec propterea prætermittenda est sacra Communio, si quandoque homo non sentit specialem deuotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cum in ipsa perceptione, vel post fortè minus deuotum se sentit, quam vellet: quia ex aliqua supradictarum causarum ratione solet euenire.

Nonne ex postremis hisce vocibus clarissimè liquet eum loqui de torporibus ac dejectionibus illis animi ab ipso superius expositis, quæ in optimum quemque cadant; non autem de lethali illo frigore mentis à pietate prorsus abhorrentis, quod oritur à vitæ prauitate, à cupiditatum corruptela, ab ardenti rerum secularium studio, ab immenso sui ipsius amore, aut etiam à *negligentia, & inconsideratione, ac distractione dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis* vt alibi loquitur.

D. Bonauen. De Præparat. ad Missam. c. 5.

Si quid dubitas, ipsam accipe illius orationem è Compendio Theologico depromptam. *Abstineant quidam à Communione propter culpam propriam, & aliqui sine culpa mortali, sed propter Sacramenti reuerentiam, sicut qui sentiunt se minus mundos carne vel mente, vel etiam indeuotos: & isti benefaciunt, dummodò possint iustè & sine aliorum scandalo supersedere. Vbi enim non instat necessitas, consulendum est talibus, vt de*

Idem Comp. Theolog. lib. 6. c. 17.

Communione expectent, quousque parati & deuoti ac circumspecti possint accedere. Nulla tamen necessitas debet compellere, vt aliquis in peccato mortali existens, scienter communicet.

Quod si ne his quidem satis commoueris, adde illa etiam è Libro ipsius de Præparatione ad Missam. *Ideo caue ne nimis timidus & inordinatus accedas & inconsideratus :* QVIA INDIGNÈ SVMIS SI NON ACCEDIS REVERENTER, CIRCVMSPECTÈ AC CONSIDERATÈ. *Vnde Apostolus :* Iudicium *sibi manducat & bibit. Quod apertius insinuat cum subdit, dicens :* Ideo *inter vos imbecilles multi, scilicet per fidei inconstantiam ; & infirmi, id est, graui peccato sauciati ; & dormiunt multi, scilicet,* PER TORPOREM ET DESIDIAM. Idem de Præparat. ad Missam. c. 5.

Confer nunc voces istas omnes cum tuis. Sancti Bonauenturæ perspicua sunt verba : *Absit licet lethale peccatum, si tamen tepidus es, si per torporem & desidiam dormis, ad Eucharistiam ne accedito.* Tu contra nouâ quadam arte Philosophis ignotâ omnibus, eum hoc ipsum quod disertè neget, disertè affirmantem facis ; eoque pacto ex sancti illius Doctoris sententiâ ita pronuntiandum existimas : *Quamuis frigidus sis, & pietatis sensu omni vacuus, modo absit lethale peccatum, ad Eucharistiam accedito.* Eadem arte cum libuerit, quicquid à nobis hîc scribitur, ad doctrinæ tuæ defensionem scriptum tibi facile persuadebis : nisi fortasse illud intererit, quod Librum meum lecturus videris, Bonauenturam prorsus non legisse videaris.

CAPVT II.

IN ADMINISTRANDA EVCHARISTIA, nullane infirmitatis, languoris, ac morborum animæ habenda sit ratio.

Aduersarius.

NEc vero à Sacra Communione secedere quis debet, quod mentem in diuinarum rerum cogitationes figere non valeat. Ad eam siquidem accedis, vt id, quo cares, adipiscare. Stant mendici pro diuitum foribus, ab ijs accepturi, quod per inopiam aliunde non possunt. Quo me à gratiæ donis desertiorem experior, hoc ad eum qui nulla re æque ac munerum suorum effusione delectatur, audacius accedere debeo. An vero Christus, quandiu inter homines est versatus, peccatores vnquam à se abegit? Nihil minus. Eorum enim causa in hunc orbem venerat. Quorsum tandem Sacramenta, atque in primis Eucharistiam Ecclesiæ reliquit? Nonne animarum alendarum causâ? Sanandarum, confirmandarum? Famelicum igitur, ægrum, infirmum ab ea se summouere quî conuenit? At enim præcelsæ illi majestati debitus honor, nos ipsius benignitate abuti vetat. Qui sic agit, non abutitur eâ, sed illi obsequitur. Nec aberit reuerentia. Chrysostomum & Cyrillum horum omnium autores ac sponsores habeo.

RESPONSIO.



TOTA oratio tua perplexis & ambiguis vocibus salutisque, nostræ adjumentorum à Christo institutorum perturbatione nititur. Quis enim ob eam rem neget Christum venisse, vt peccatores

vocaret, egenos ditaret, infirmos confirmaret, ægros ſanaret, fame confectos expleret?

Quis vero hinc conficiat, ſpretâ & abjectâ eiuſdem Chriſti voce Sanctum dandum canibus, margaritas porcis proijciendas, & quoſlibet paſſim ac ſine delectu, cœleſtibus Sacramentis frequenter impertiendos?

Quis hinc conficiat, eos qui, vt Granatenſis ait, flagitiorum ſuorum ſordes paulo ante euomuerunt, quique eorumdem viuam ac veluti ſpirantem imaginem in animis, radicem in cordibus infixam gerunt, vt primum occaſio inciderit, de integro pullulaturam, ad iuſtorum mercedem Sanctorumque felicitatem è veſtigio aſpirare oportere? *Memoriale Tract. 3. c. 5.*

Quis hinc conficiat, quo quis à gratia nudior eſt, & ab animæ bonis egentior: eo confidentius ad eam menſam adire debere, à qua Chryſoſtomus arcet eos omnes, *qui quamuis à peccatis expediti, bonorum operum diuitijs referti non ſint*: graue etiam ſupplicium denuntians ei, *qui pannis & macie obſitus, pallore, ſituque deformis ad regalem menſam accedere non dubitarit?* *Chryſ. hom. 17. in c. 10. Ep. ad Hebr.*

Quis hinc conficiat, eos qui diuturnâ atque inolitâ vitiorum labe in eum languorem debilitatemque venerint, vt ne ad octo quidem dies ab iiſdem peccatis temperare valeant, committere merito poſſe, vt Chriſtum in ſe ſuſcipientes, antea quam pœnitentiæ remedijs firmiores ſint effecti, eum mox à ſe grauiori piaculo extrudant?

Quis hinc conficiat, ægros vlceribus ſcatentes,

manante etiamnum ſanie ac tabo, medicinæ cœleſtis, vt ait Auguſtinus, ordinem rectè perturbare, atque à corpore Chriſti primum vulnerum ſuorum malagma linimentumque petere, quod illis lachrymarum vi, aliorumque pœnitentiæ ſubſidiorum frequentiâ expurgatis atque deterſis extremi medicaminis & quaſi complementi loco adhiberi oportuerat?

Poſtremò, quis hinc conficiat, æquum videri, vt qui Chananææ inſtar, defluentibus è menſa Domini micis contenti eſſe debuerant, in menſam ipſam continuò inuadant, ac ſe ipſi ſua ſponte filiorum pane dignentur?

Erras vehementer, cum Euchariſtiam, quod animarum corroborandarum causâ à Chriſto inſtituta ſit, ab infirmis quibuſlibet indiſcriminatim, infirmitatis eorum nec genere, nec cauſis exploratis, adeundam exiſtimas.

Panem Dei beneficio ſuſtentandi corporis, cordiſque confirmandi gratiâ nobis indultum, Scriptura eſt teſtis: *Vt panis*, inquit, *cor hominis confirmet.* Quare per Prophetas ſæpe minatur Deus populum panis robore ac præſidio ſe ſpoliaturum:
Iſaiæ 3. v. 1. *Auferet dominator Dominus à Ieruſalem omne robur panis.* Et alibi: *Conteram baculum panis.* Ex quo merito
Ezechiel. 4. v. 16. colligas conſentaneum eſſe, vt homo alimenti inopiâ, vel exhauſtis longo labore viribus debilitatus, à pane corporis ſui recreationem, infirmitatiſque, ac famis iſtius, quæ ſanitatis indicium eſt, leuamen petat.

Sin

Sin vero languor ille febrilis eſt, à viſcerum corruptione vitaliumque tabe profectus; languenti peſſimè conſulat, qui multo pane ingeſto collapſas vires reſtituere velit. Contra enim ſedulò ſubducendus eſt, quoad vitioſis humoribus remediorum ope depulſis alleuetur corpus, ac melius habeat. Tum denique panis alimenti ſimul & medicamenti loco eſſe poterit, curationem valetudinis explebit, morbique reliquias infuſo membris omnibus vigore, conficiet.

Ita panis ille cœleſtis datus eſt, vt fatiſcentem animam fulciat; vt confirmatam tueatur; vt gratiam dilabi ac diffluere vetet; vt quotidiana illius detrimenta ſarciat; vt Chriſtum per deſerta ſequentes, ac de via languentes reficiat, velut quinque panes, quibus Euchariſtia adumbrata eſt, turbis, *ne deficerent in via*, porrecti fuere; vt vehementem illam qua ad Chriſti conjunctionem anhelamus famem exſatiet; denique vt animam cœleſtis ſponſi amore incenſam, diuturnoque illius deſiderio conſeneſcentem atque afflictam, aliquantum attollat interim, atque ſuſtentet. Nec enim virum vxor amat, quæ abſentis deſiderio non tabeſcit: nec viator patriam diligit, qui redeundi cupiditate non angitur: & quiſquis cum valet ſolidiora alimenta abdicat, morbum aduentantem prodit.

Quod ſi Spiritus Sancti calorem diuino illi cibo concoquendo neceſſarium in nobis extinctam deprehendimus; ſi prauis affectionibus omnis animæ noſtræ temperatio diſſoluta eſt; ſi vitio-

rum lue corrupta; ſi igneis illis, de quibus Apoſtolus, nequiſſimi ſpiritus telis penitus confixa; ſi ad Deum idcirco ſeſe erigere non poteſt, quia peccatorum pondere deprimitur; ſi languor eius ac debilitas, cordis veneno tumentis indicium eſt: præpoſterè admodum tantis malis mederi ſe poſſe putet, ſi ægra & perdita iiſdem quibus valentes alimentis & eadem copia vtatur, cùm pœnitentiæ exercitationibus, quæ propria malorum illorum remedia ſunt, vitæ prauitas emendanda primum fuerit, quoad paulatim conualeſcens, eam, quæ ad eſcam adeo ſolidam eſſet accommodata, ſanitatem conſequeretur. Tum demum enim panis ille ſpiritualis & cœleſtis, eandem in ipſam, ac panis viſibilis in corpus, vim & efficientiam obtinet; non alit tantum, ſed & valetudinem complet & perficit; extremas morbi exhaurit reliquias; vitæque ac ſanitatis diuiniſſimæ tum corpori tum animo ſemen ac radicem immittit. Nam ipſa Eccleſiæ ſchola teſte, omnes omnium pœnitentiæ laborum, omnium virtutum, Sacramentorum denique omnium fructus & effectus cumulare & abſoluere ſolius Euchariſtiæ eſt.

Sed quoniam hoc in opere nihil de meo proferre, ſanctamque Sanctiſſimorum Patrum doctrinam duntaxat exponere conſtitui: clariſſimum Eccleſiæ lumen hac de re audiamus, vt conſtet tecumne ſentiat animas quantumlibet effœtas ac debiles ab Euchariſtia recte non amoueri, vt ad eam tum demum reuocentur, cum vegetiores

& ad fructum ex ea capiendum maturiores euaserint.

Ambrosius in Lucam, quinque panum multiplicatorum miraculum explanans: *Posteaquam*, inquit, *Apostoli ad euangelizandum regnum Dei sunt destinati, gratiæ cœlestis impartitur alimentum. Sed quibus impartiatur aduerte: non otiosis, non in ciuitate quasi in Synagoga, vel seculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum.* *D. Ambros. lib. 6. in c. 9. Luc.*

Animaduertit deinceps, patere ex Euangelio Christum huic miraculo, ægrorum præmisisse curationem. Vnde inquit, *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus.* *Ibidem.*

Et tamen vt doceat animam vtcumque sanatam, non continuo idoneam fieri, quæ diuinissima Saluatoris carne vescatur, subdit eidem accipiendæ multitudinem illam parem nondum fuisse. *Quanquam*, inquit, *nondum validioribus hæc turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore & sanguine ieiuna solidioris fidei corda pascantur. Lacte, inquit, vos potaui, non esca, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. In modum lactis quinque sunt Panes.* Esca avtem solidior, corpvs est Christi; potvs vehementior Sangvis est Domini. *Non statim à primo epulamur omnia, neque potamus omnia. Hoc primum, inquit, bibe. Est ergo primum quod manduces, est etiam secundum quod bibas. Est & primum quod manduces, est etiam secundum, est tertium. Primum, quinque Panes sunt; secundum, septem; tertium, ipsum Corpus est Christi.* *Ibidem.*

Nequaquam igitur talem Dominum deseramus, qui pro vniuscuiusque viribus impartire nobis alimenta dignatur: NE AVT INFIRMVM VALIDIOR CIBVS OPPRIMAT, AVT VALIDVM EXILIA ALIMENTA NON SATIENT. *Qui enim infirmus est olera manducet*, hoc est cibo infirmitati suæ congruente alatur; *& ille qui iam videtur laqueos infirmitatis euadere, de quinque istis manducet Panibus, & duobus piscibus:* hoc est alimento validiore, nondum tamen Eucharistia sese reficiat.

Hinc perspice aliquando, quantum supremi illius Patris-familias sapientissimis aduersere consilijs, qui omnes nullo delectu, nulla ægritudinis atque infirmitatis habita ratione, iisdem quibus sani vtuntur alimentis, & eodem modo mensuraque vti compellas; cùm illius benignitas eo magis suspicienda ac veneranda sit, quod suum cuique demensum, & cuiusque viribus tam accommodatum constituerit; *ne aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non satient.*

Ex quo intelligitur eos qui ab Eucharistia velut ab esca solidiori summouentur, non ideo alimento prorsus omni carere oportere: Hoc enim cibi sufficiendum illis est, vt à Deo fames sitisque vehementior iustitiæ, hoc est spiritus & gratiæ ipsius postuletur. Illud quippe ratum fixumque in vniuersum esse debet, ne quid vnquam de pijs operibus nostris minui patiamur, quin continuò aliorum operum subsidijs agamus enixius apud Deum, vt detrimentum illud ac velut inane nouo gratiæ incremento

expleatur. Quod quidem multo magis in Communionis intermissione retinendum est. Cum enim ab ea, infirmitatis atque indignitatis nostræ conscientiâ, secedamus, eam rationem imitari nos decet, qua medici aduersus ægros vti consueuerunt, quos à cibis solidioribus ac valentium hominum proprijs exclusos, eorumdem ciborum succo ac medulla in iusculis reficiunt ac sustentant. Quod si alimentum eis vtrumque simul subduceretur, ad extremum deficerent, aut illorum similes fierent, quibus desperatâ salute nihil iam cibi, nisi consuetudinis causâ, præbetur.

Atque hinc fit, vt plerique falsâ persuasione inducti, quid in illa Eucharistiæ priuatione emolumenti sit, minime videant. Eam namque Semi-Christianorum istorum qui Sacramentum istud exitioso quodam rerum diuinarum fastidio abijciunt, exemplo metiuntur. Quibus quidem ieiunij hoc genus nulli vsui esse nimis quàm perspicuum est. Non enim ab Eucharistia honoris ac verecundiæ causa, sed interiore contemptu se remouent; nec iacturam illam compensare, atque in diuini illius alimenti, cui concoquendo pares non sunt, locum, aliud ipsorum imbecillitati congruentius sufficere laborant, quo paulatim confirmati vires ad panem fortium edendum idoneas colligant.

CAPVT III.

AN PROPTER MENTIS AD DIVINAS res cogitandas languorem & inertiam, ab Eucharistiæ vsu continere se sit nefas.



EVERSA superiori capite vniuersæ doctrinæ tuæ velut basi ac fundamento, iam quædam illius partes & membra sigillatim expendenda sunt.

Negas Eucharistiam omittendam *propter vllum mentis ad res diuinas cogitandas languorem & inertiam. Ad eam enim*, inquis, *accedimus, vt id quo caremus assequamur.*

Equidem nihil aliud vitij oratio ista innuere videtur posse, nisi talem mentis affectionem vt ad augustissimum illud tremendumque mysterium errabunda & aliud agens se conferat. Itaque vniuersim doces, causam non esse, cur discessio ab Eucharistia cuiquam suadeatur, quod non ea quâ par erat, attentione complecti illam possit; atque adeò rectius illam adire, vt quam non afferat attentionem, ab illa ipsa consequatur.

Tu vero quando dogmata tua pro Sanctorum placitis obtrudis, velim effatum istud cum his S.Bonauenturæ vocibus conferas. *Postremò, quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu: non in ventre, sed in mente: & mens Christum non attingit nisi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem: ita quod fides illu-*

S.Bonauent. Part. 6. c. 9. tom. 1. in breuil.

minat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad deuotionem: Ideo ad hoc quod aliquis dignè accedat, oportet quod spiritualiter comedat, vt sic Christum per recordationem fidei masticet, & per deuotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius traijciatur in eius mysticum corpus. Propter quod manifestè colligitur, quod qui TEPIDE, INDEVOTE, ET INCONSIDERATE ACCEDIT, IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT: *quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his qui se sentiunt minus mundos mente vel carne, vel etiam indeuotos, vt differant quousque parati ad esum veri Agni, mundi, deuoti & circumspecti accedant.* Vides, doctrina tua cum SS. Patrum decretis quam bellè consentiat.

Quid vero pestis ac perniciei eadem importet in Christianorum animos, vel ex eo liquet, quod ista mentis euagatio & inertia, quam quidem in ijs quæ ad pietatem pertinent seculares ferè experiuntur, non aliundè ortum habeat, quam quod eorum mens ita vanis formis imaginibusque corporeis, vitiorum & cupiditatum consuetudine inculcatis ita obducitur atque obruitur, vt iam nihil in ipsa loci diuinarum rerum cogitationi relinquatur: pectus vero in terra vsque adeo defixum atque immersum sit, vt paulum modò attollere atque in cœlum erigere non valeant. Hic tu perinde quasi studio habeas peruersam eorum inertiam negligentiamque alere, imo omnem illis suæ sensum calamitatis eripere: non eos cum B. Bonauentura

admones, eum qui *tepidè, indeuotè & inconsideratè Christi Corpus accipit, tanto Sacramento contumeliam facere, iudiciumque sibi manducare & bibere*: non cum eodem S. Doctore *differre* Communionem hortaris *quousque parati ad esum veri Agni, mundi, deuoti & circumspecti accedere* possint: sed eorum præsidentiam decreto illo generali armas & instruis; *etiamsi mens vagabunda & instabilis de Deo cogitare vix possit, ab Eucharistia tamen secedi non oportere.*

CAPVT IV.

ADVERSARII HORRENDVM DOGMA: Quo quis gratiâ inanior sit, eò confidentius ad Eucharistiam accedendum.



QVIN etiam longius haud paulò progrederis, & eo quidem vt mirer has te voces Christianæ pietati ac reuerentiæ Christo debitæ adeò contrarias illabefacta manu exarare potuisse: *Quo me gratiâ inaniorem experior, eò confidentius ad eum qui nulla re æquè ac munerum suorum effusione delectatur, accedere debeo. An vero Christus quandiu inter homines versatus est à se peccatores submouit? Nihil minus. Ipsorum enim causa in hunc orbem deuenerat.*

Equidem si hæc verba in eam quam præseferunt sententiam interpretari velim, Lutheri Caluinique hæresim de præparatione ad Eucharistiã percipiendam necessaria, facile exhibeant. Quin & impijs hominibus cum flagitiorum ac scelerum sexcentorum conscientia

conſcientia Sacramentum illud inuadentibus Sacrilegiorum tantorum purgandorum tuendorumque rationem demonſtrent, vt videlicet temeritatis ſuæ reprehenſoribus obijciant, ſe tecum ſenſiſſe, quo gratiâ inaniores forent, eò ſibi ad Chriſtum confidentius accedendum. Atque ipſum illud exemplum quod apponis criminoſorum hominum à Chriſto in terris agente minime repulſorum, magnum interpretationi huic pondus afferret. Cum enim plerique omnes vbi Chriſtum conueniebant, etiam tum peccatis conſtricti gratiæque inanes eſſent: nonne hoc argumento facile probetur imbecillis hominibus carniſque mancipijs, quamuis fœdiſſimis cupiditatibus miſerandum in modum irretiti, in iiſdem ſemper delictorum ſordibus hæreant, ſacrâ tamen Euchariſtiâ frui ſibi fas eſſe, nec contumelioſum Chriſto viſum iri, ſi tali animo præditi ad ipſum ſe conferre applicareque audeant. Quod quidem iſtinc ita facile colligitur, vt hoc ipſum ſceleroſorum ad Chriſtum in terris degentem accedentium exemplum, aduerſus Catholicam de Euchariſtia extra gratiam charitatemque non attingenda doctrinam, S. Thomas de more obijciat. Quin & eandem Eccleſiæ ſententiam Lutherus impugnans, in exemplo illo hæreſis ſuæ arcem conſtituit.

Verum tamen, vt me clementer ac benignè tecum agere intelligas, tua illa verba in partem vnam omnium commodiſſimam, minimèque criminoſam accipiam: vt nimirum exceptio illa ſuperiori

articulo à te expreſſa, apponatur, *modo abſit lethale peccatum*, hoc eſt, ſi te audimus, modo qui lethale peccatum admiſerit, illud primùm ſit confeſſus. Hic enim tibi vnus ad defenſionem locus relictus eſt, vt dicas, gratiam, quâ quo inaniores ſimus, eò ad Chriſtum audacius accedere debeamus, te aliam non intellexiſſe, niſi motiones illas diuinæ gratiæ, quibus mentem Deus illuminat, accendit, pietatis ſenſu complet, & dignam tantis myſterijs cogitationem immittit. Nullum eſt ingenium quod tuis verbis mitiorem benigniorémque interpretationem comminiſci queat.

At illam ipſam quis tandem Catholicus non exhorreſcat? Quis ferat in Eccleſia Chriſti, quæ ab ipſo quanta Sacramenti huius cœleſtis ſit dignitas, quæ ab ipſius Apoſtolo quanta minus reuerenter illud attrectantibus pœna impendeat. Quæ deniq; à SS. Patribus accepit, quanta cura expurgandus excolendúſque ſit animus, vt quam ſanctiſſimè ac demiſſiſſimè ad illud adeatur: in ea, inquam, Eccleſia quis ferat doceri, ac velut longè veriſſimum pronuntiari, vt quiſque pietatis ſenſu, feruore charitatis, Dei ſtudio, rerum cœleſtium cura & cogitatione alieniſſimum ſe ſentiat, ita confidentiſſimè in Chriſti complexum irruere fas eſſe? Hoc eſt, quo ad Communionem percipiendam imparatiores fuerimus, hoc ad eam inuadendam audaciores eſſe oportere. Plura addere nihil attinet: *Sententias iſtas prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet prima fronte blaſphemia: non neceſſe habet conuinci quod prima ſtatim profeſſione blaſphemũ eſt.*

Hieronym. ep. ad Eteſiph.

CAPVT V.

RATIONES AB ADVERSARIO ALLATAE confutantur: quarum prima est: Christum nulla re æquè vt donorum suorum largitione delectari. Duo loci insignes è Vitis Patrum.



NE tamen inauditum te damnari queraré, rationes quibus tam perniciosam doctrinam fulcis, æquum est ponderari.

Prima est: *Christum nullâ re æquè ac donis suis largiendis delectari.* An ergo hinc tibi sumas, vt à debito illi honore ac reuerentia præstanda solutum ac liberum te putes? An quia munificus in te est, tu in illum vicissim eam securitatem audaciamque adhibebis, quasi Dominus non esset: hoc est, vt Tertulliani verbis vtar, *liberalitatem facies seruitutem.* Tertull. de Pœnit. c. 6.

At meminisse, & alios ne in re tanta illuderes commonuisse oportuit, Christum *quantum Patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum Iudicis majestate esse metuendum*, & in Eucharistia potissimum misericordiam illum pariter ac iustitiam exhibere. Cyprian. de lapsis.

Atque hîc in mentem venit duorum in primis insignium huiusce rei exemplorum quæ in Vitis Patrum à Ruffino memorantur. Eorum prius est *Sancto Macario Episcopo Alexandrino tale visum diuinitus objectum, eo tempore quo fratres accedebant ad* Ruffinus in Vitis Patrū. lib. 2. c. 29.

*Sacramenta. Vbi porrexissent ad suscipiendum palmas in nonnullorum manibus præuenientes Æthiopes carbones deponere : corpus autem quod tradi Sacerdotis manibus videbatur, redire ad altare : Alijs vero, quos * meliorum merita iuuabant, extendentibus manus ad altare longè recedere Dæmones & cum ingenti metu refugere, Angelum enim Domini assistere cernebat altari, qui cum Sacerdotis manu suam quoque manum in Sacramentorum distributione superponeret.*

* Sup. *operum* aut leg. *meliora.*

Alterum est, Episcopo cuidam à Deo concessum, vt *accedentium ad Communionem per singulorum facies intelligeret & animas. Peccatorum enim facies nigras suspiciebat vt carbonem, & oculos eorum sanguine repletos : alios vero vidit clara facie & vestibus albis indutos. Cum autem Corpus Domini suscepissent, in quorumdam vultibus lumen, in quorumdam flamma videbatur.*

Ibid. lib. 3. c. 166.

Hinc disce sacrâ Communione animi habitum & affectionem minime immutari. Non accipi ab eâ quod non attuleris, sed augeri quod attuleris, seu bonum seu malum. Qui splendentem faciem ad eam afferat, lumine completum discedere : qui atram & horridam, fœdum ac velut igne ambustum : adeoque illius vim & efficientiam præparatione contineri: lucem bonis esse, improbis ignem: in ea denique Christum benignum alijs esse ac munificum, alijs iustum & seuerum Iudicem.

CAPVT VI.

SECVNDA RATIO REFELLITVR: Christum quamdiu in terris versatus est, nunquam à se peccatores submouisse. Eorum ipsorum exemplis doceri Sacram Eucharistiam nonnisi summa cum reuerentia adeundam.



SECVNDA ratio quâ efficere niteris, vt quisque se gratiæ inanissimum sentiat, ita ad Eucharistiam confidentissimè accedendum, hæc est: *Christum quamdiu in terris est versatus, nunquam peccatores à se submouisse.*

Iam quò tandem euadat hæc doctrina suprà demonstraui, quantamque sacrilegis communionibus fenestram aperiat. Quare plura non addo. Tantum spectare lubet nonnulla criminosorum istorum exempla, qui in Euangelio Christum conuenisse leguntur, vt pateat, num quò gratiæ major fuerit inanitas, eò confidentius Eucharistiam appetere suadeant atque arripere.

Petrus cùm multitudine piscium miro modo capta, aliquod Christi potestatis indicium vidisset, tremens ac stupens ad genua illius se proijcit. *Exi*, inquit, *à me Domine quia homo peccator sum.* Nos qui Christum non iam nouimus secundum carnem, sed ad admirabilem illam quâ ante mundum conditum fruebatur, claritatem regressum, omnemque in cœlo atque in terra potestatem ad- *Luc. 5.*

eptum, eò procacius instabimus, vt nobis in mysterio prorsus stupendo sui copiam faciat, quo fœdiores flagitijs & à gratia derelictiores videbimur?

Matth. 8. & Luc. 7. Centurio ad Christum adire ipse non audet. Amicos ad eum mittit, qui rogent vt sanitatem seruo restituat. Quod si coram eum alloquitur (contra quam sentit Augustinus) nihil aliud agit, nisi vt indignum se rursus profiteatur, qui domo sua illum accipiat, quamuis ad id se paratum vltrò Christus ostenderet. Ecclesia, quo illius humilitatem animis infigat nostris, eius nos quotidie vocibus vti iubet: Tu contra autor es, vt non modo Christum, quantumuis indigni, excipiamus, sed etiam quo ad tanti hospitis accessum imparatiores fuerimus, hoc eum ad nos sese inferre audacius compellamus.

Matth. 9. & Luc. 8. Mulier illa Euangelica sanguinis fluxum patiens, quæ, vt Patres docent, Ethnicorum qui in Christum crediderunt imaginem gestauit, necnon & eorum quorum in mente praua vitiorum consuetudo inoleuit penitus atque inueterauit, tametsi sanitatis, quam & omni cura ac facultatum dispendio quæsierat, studio flagraret; Christo tamen se coram sistere non audet. Retro accedit, neque ipsummet attingere audet; sed vestem solam: imo nec vestem, sed fimbriam vestis. Atque id ipsum adeo summissè ac reuerenter, vt etiam fidei suæ mercede perceptâ, quasi nimiæ confidentiæ rea, *timens & tremens* ad pedes Saluatoris accidat. Tu

vero eos qui diuturnis vitijs contaminati, vulnera numquam sua pœnitentiæ remedijs curare studuerint, ad Christum non iam mortalem & nostra infirmitate obductum, sed immortalem atque æterni Patris gloria circumfluentem accedere iubes: nec accedere modò, sed sumere, oreque haurire tanto petulantius, quanto se omni pietatis sensu alieniores senserint.

Mulier illa peccatrix, cuius in animo Deus terrenæ cupiditatis flammam cœlestis incendio amoris extinxerat, Christum quidem propius venit. Verum, vt Basilius notat, *non se illi coram offert, neque enim audebat, sed ponè consistit; nec arripit manum, pedes tantum osculari ac lachrymis rigare contenta*. Tibi vero placet, vt qui vitæ illius prauitatem imitati ab eiusdem pœnitentiâ imitandâ longissimè absint, dum sui ipsorum amore tument, ac seculo immaniter sunt mancipati, Christo sese offerant ad diuinissimi oris eius osculum, quandoquidem Sponsæ vocem, *Osculetur me osculo oris sui*, de Eucharistiâ Patres interpretantur; & eorum tanto magis crescat audacia, quantum illius amor refrixerit magis atque elanguerit.

Luc. 7.

προσῆλθεν οὐ πρὸς προσώπῳ· οὐ γὰρ εἶχε παῤῥησίαν· οὐκ ἐκράτησεν αὐτοῦ χεῖρα. οὐ γὰρ ἐτόλμα. ἀλλ' ἐπὶ τοὺς πόδας, οὓς τοῖς δάκρυσιν ἔπλυνεν. *D. Basil. Homil. 28. de Pœnit.*

Addendus huc diuinus Bernardi locus, Christum à beata illa muliere bis vnguento perfusum obseruantis. *Est vnguentum*, inquit, *bonum quod Maria pedibus Saluatoris infudit. Est & melius, quod eadem (si tamen eadem) super caput recumbentis effudit. . . . Notanda vtriusque differentia, & secundi sublimitas attendenda, quoniam illud est sacrificium Deo spiritus*

Bernard. ser. de B. Magdalena.

contribulatus, pœnitentia ſcilicet, *& iſtud ſacrificium laudis quod honorificat Deum*, nimirum Euchariſtia. *Pedes igitur vngimus Saluatoris, cum de peccatis compungimur. Vngimus caput, cum de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus*, (quod nunquam perfectius quam in ſacra Communione præſtamus). *Interſtitij tamen moroſitas inter pedes eſſe debet & caput :* QVIA PROFECTO DIFFICILLIMVS ET PRÆSVMPTVOSVS SALTVS EST A VESTIGIIS AD VERTICEM DOMINI TRANSVOLARE. *Neque enim eadem quæ vnxit pedes, vnxit & caput : cum illa meretrix nihil horum feciſſe legatur, ſecundum illud : Verte impios & non erunt. Vnxit ergo Maria ſanctum Domini verticem, profecto iam electa, iam familiaris effecta, longèque à peccatricis illius obuoluta veſtigijs, quam infelix ille ſeptenarius confundebat.*

Ergo ad Chriſtum quidem tanquam ad vnicum vulnerum ſuorum medicum peccatores confugiant, ſed verecundi ac trementes, altiſſimaque humilitate, Petri inſtar, digniores ſeſe ſentientes à quibus ille quàm longiſſimè refugiat. *Mittant*, Centurionis exemplo, *legatos pro ſuis doloribus lachrymas*, vt Eccleſiæ Romanæ ſcripta ad Cyprianum epiſtola loquitur. Mulierem illam ſanguinis fluxu laborantem imitentur, veſtis tantum fimbriam tetigiſſe, hoc eſt, vt interpretantur Patres, & ſuadet Chryſoſtomus, verbis è ſanctiſſima Chriſti carne, quaſi è veſte quam induit, defluentibus ſeſe expurgaſſe contenti. Poſtremò beatæ illius peccatricis modeſtiam

modestiam æmulentur: mox sacrificio contritionis oblato, dignos se qui sacrificium laudis offerant, ne existiment: nec repente à pedibus ad caput, à pœnitentiæ luctu ad Eucharistiæ gaudia transiliant; *quia profecto difficillimus & præsumptuosus saltus est, à vestigijs ad verticem Domini transuolare.*

CAPVT VII.

AN AD FRVCTVOSAM COMMVNIONEM alia non opus sit præparatio, quàm gratiam adipisci, aut eam se adeptum opinari, & ad pios animi motus eniti. SS. Patrum ea de re sententiæ.

Aduersarius.

NEcessaria ad fructuosam Communionem præparatio est; primùm quidem gratia, si fortè deperdita fuerit, per Contritionem, aut Sacramentum pœnitentiæ recuperata. Eam ita prorsus necessariam multi existimant, vt Sacramentum in eo qui in gratia non sit, nihil efficiat. Alijs probabilius satis videtur, si quis peccato mortali inquinatum se non agnoscat. Vt vt sit, extra culpam est, quisquis Eucharistiam sumit, conscientiâ nihil mordente, nec mortifero delicto se captum ratus. Deinde allaborandum pro viribus ad commouendum pectus pietatis sensu: quem si non experiare qualem optares, submittendus est animus, atque ita timore omni abjecto Communio adeunda.

Responsio.



Osteaqvam cuiuſquemodi homines ad frequentiſſimam Communionem vocaſti, de neceſſaria ad rem tantam præparatione, perinde quaſi nulla foret, ne verbo quidem præmonitos, in hoc tandem articulo illuc dilaberis, ac de neceſſario ad fructuoſam Communionem animi ſtatu agere inſtituis. Verùm ſilere præſtitit, quam adeò abjectè de adhibenda ad myſterium tam ſublime tamque diuinum præparatione loqui. Duo enim duntaxat petis. Primum, *gratiæ, ſi fortè amiſſa fuerit, per Contritionem, aut Sacramentum pœnitentiæ receptionem.* Deinde, *conatus ad pietatis ſenſum commouendum.* Imò facilè intelligitur, te poſterius hoc cum maximè verbo adſtruis, reipsâ ſubuertere, atque eò redigere, vt ludibrium merum ſit & fucus: quandoquidem qui pietatis guſtum aut exiguum aut nullum experiatur, Euchariſtiam tamen citra metum inuadere iubeas.

Itaque ad gratiam Sacramento pœnitentiæ receptam tota res tandem redit: Sacramentum vero pœnitentiæ ex ſuperioribus articulis tuis ad ſolam nudamque confeſſionem. Neque hoc ipſum de probabiliori ſententia omninò neceſſarium putas, ſed ſatis habes, ſi quis peccati mortiferi culpam in ſe non agnoſcat.

Nempe hæc eſt doctrina tua de præparatione non ad Communionem modo, ſed etiam ad fre-

quentissimam Communionem (de qua in hoc Commentario tuo sermo est) necessaria. Non mihi sumam, vt de ea arbitratu meo iudicem. Sed paucis demonstrare conabor, Ecclesiæ Christi SS. Patrum voce editis oraculis non congruentissimam videri.

S. DIONYSIVS.

A Quo vero æquius exordiar, quam à diuino sacræ Hierarchiæ interprete? Docet D. Dionysius: *Sanctæ Hierarchiæ morem pati quidem, vt Catechumeni, Energumeni, quique in pœnitentia sunt, sacram Psalmorum modulationem, diuinamq; sacrarum Scripturarum recitationem audiant: ad sacra autem opera quæ deinceps sequuntur, atque mysteria spectanda non eos conuocare, sed perfectos integrorum oculos.* Quibus etiam subjungit: *Cœleste diuinorum sacrificium eos qui in pœnitentia sunt, etiamsi ei aliquando interfuerint, arcere: quoniam id non admittat, quod non est ex omni parte sacro-sanctum.*

τοὺς δὲ κατηχουμένους, ἐνεργουμένους τε, καὶ τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας, ὁ τῆς ἁγίας ἱεραρχίας θεσμὸς ἐφίησι μὲν ἐπακοῦσαι τῆς ψαλμικῆς ἱερολογίας, καὶ τῆς ἐνθέου τῶν πανιέρων γραφῶν ἀναγνώσεως. εἰς δὲ τὰς ἑξῆς ἱερουργίας καὶ θεωρίας οὐ συγκαλεῖται τούτους, ἀλλὰ τοὺς τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμούς. εἰ γὰρ ἡ τῶν θείων ὑπερκόσμιος ἱερουργία, καὶ τοὺς ἐν μετανοίᾳ καὶ πρὸς αὐτὴν ἤδη γεγονότας ἀποκρούεται, τὸ μὴ παντελῶς ἱερώτατον οὐ προσιεμένη, &c. D. Dionys. de Eccles. Hierarch. c. 3.

Atque hunc locum suprà à nobis allatâ sententiâ concludit: *Non eos modo qui à Christianæ vitæ sanctitate desciuerint, à templo eijciendos; sed & qui à deteriore quidem vita recesserunt, nondum vero animos à pristinæ impuritatis phantasmatis satis expurgatos gerunt, habitu amoreque Dei purissimo ac simplici, à sublimi & diuina sacrificij excelsitate nimium abesse iudicandos: ideoque ijs demum tam augusta patere mysteria, qui ad diuini ac deifici habitus immobilitatem, vimque actuosam peruenere, qui soli Deo vnicè adhæreant, quique omnino irreprehensibiles sint atque immaculati.*

S. IVSTINVS MARTYR.

IVSTINVS in ſecunda pro Chriſtianis Apologia de hoc Sacramento agens, *nemini licere* docet *Euchariſtiæ participem fieri, quin prius Chriſtianæ fidei ſuſceperit veritatem, & regenerationis lauacro in peccatorum remiſſionem ablutus conſentaneam Chriſti præceptionibus vitam agat.* Si ergo conſentaneam Chriſti præceptionibus vitam agere videatur, qui omnigenis flagitijs vitam conſpurcet, modo illa Presbytero ſubinde confiteatur; confeſſione, quam nulla morum emendatio conſequatur, Communione dignum quemque fieri meritò exiſtimas.

καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. *S. Iuſtin. Mart. Apol. 2. in fine.*

S. BASILIVS.

NON refero quæ ex S. Baſilio lib. 1. de Baptiſmo ſuprà commemoraui: *Peccato, mundo, ac ſibi mortuum eſſe oportere, viuentem autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui Euchariſtiam accipere mereatur.*

Sed vt intelligas, quam firma & ſtabilis hæc eius ſententia fuerit, eandem in Moralibus iterat, ac verbis etiam, ſi fieri poſſit, grauioribus. *Quid proprium,* inquit, *Chriſtiani? Ab omni inquinamento carnis & ſpiritus per ſanguinem Chriſti mundari: perficere ſanctimoniam in timore Dei & charitate Chriſti, neque habere maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed eſſe ſanctum & immaculatum: & ſic manducare corpus Chriſti & ſanguinem bibere. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.*

Τί ἴδιον χριστιανοῦ; τὸ καθαρισθῆναι μὲν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ; ἐπιτελεῖν δὲ ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεοῦ, καὶ ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ, μὴ ἔχειν σπῖλον ἢ ῥυτίδα, ἢ τι τῶν τοιούτων. ἀλλ' εἶναι ἅγιον καὶ ἄμωμον, καὶ οὕτως ἐσθίειν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. καὶ πίνειν τὸ αἷμα. ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει. *D. Baſil. in Moral. regula 80. c. 22.*

S. AMBROSIVS.

SANCTVS AMBROSIVS populum ad Communionem exhortans, considerare iubet, *Quod in Christi corpore vita nostra consistit, sicut & ipse Dominus noster dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Atque vt doceat, quâ tandem ratione ad diuini corporis esum, ne in condemnationem vertat, accedendum sit, continuò subjungit: *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutat vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur quàm sanetur, magis occiditur quàm viuificetur.*

Ambros. ser. Domin. 4. Aduent.

Ibidem.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS.

SI ex varijs D. Chrysostomi locis suprà commemoratis quantam illius qui adorandæ atque immaculatæ, de qua agimus, Victimæ particeps fieri velit, integritatem & virtutem esse oporteat, nondum intellexisti: quo tibi plenè ac cumulatè satisfiat, doctrinamque tuam cum illius doctrina diligentius comparandi causa præbeatur: adjungere hoc loco visum est, quæ de tantæ præparationis excellentia vir maximus, diuinoque Spiritu instinctus ad populum pronuntiauit, etiam tum cum se id agere significaret, vt Eucharistia quàm frequentissimè adiretur. Sic enim loquitur Homilia 17. in Epist. ad Hebræos, nihil de suo afferens, sed solenne illud Ecclesiæ dum mysteria fierent, carmen, SANCTA SANCTIS, explanans.

Οὐκ ἔχεις εἰπεῖν, οὐκ ᾔδειν, ἠγνόουν ὅτι κίνδυνος ἔπεστι τῷ πράγματι...... τούτου χάριν ὑψηλὸς ἑστὼς μεγάλῃ τῇ φωνῇ, φρικτῇ τῇ βοῇ καθάπερ τις κῆρυξ τὴν χεῖρα αἴρων εἰς τὸ ὕψος...... καὶ μέγα ἐπ' ἐκείνῃ τῇ φρικτῇ ἡσυχίᾳ ἀνακραυγάζων, τοὺς μὲν καλεῖ, τοὺς δὲ ἀπείργει ὁ ἱερεύς; οὐ τῇ χειρὶ τοῦτο ποιῶν, ἀλλὰ τῇ γλώττῃ, τῆς χειρὸς τρανότερον.... ὅταν γὰρ εἴπῃ, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις τοῦτο λέγει, εἴ τις οὐκ ἔστιν ἅγιος μὴ προσίτω. οὐχ ἁπλῶς φησιν ἁμαρτημάτων καθαρὸς, ἀλλ' ἅγιος. τὸν γὰρ ἅγιον οὐχ ἡ τῶν ἁμαρτημάτων ἀπαλλαγὴ ποιεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῦ πνεύματος παρουσία, καὶ ὁ τῶν ἀγαθῶν ἔργων πλοῦτος. οὐ βούλομαι

Non potes dicere, Nesciebam, ignorabam hanc rem plenam esse periculi. Ne hoc possis vti prætextu, ea de causa magna voce, terribili clamore tanquam præco, manum tollens in altum, stans excelsus & omnibus manifestus & in tremendo illo silentio vehementer vociferans alios quidem vocat, alios vero arcet Sacerdos, non hoc manu faciens sed lingua clarius & apertius quàm manu. Nam vox illa in nostras aures incurrens tanquam manus, alios quidem repellit & eijcit, alios autem introducit & sistit. Nam quando dicit: SANCTA SANCTIS, *hoc dicit :* SI QVIS NON EST SANCTVS NON ACCEDAT. *Non solum, inquit, à peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum abundantia. Non solum, inquit, volo vos à cœno esse liberatos, sed albos esse & speciosos. Nam si Rex Babilonius iuuenes eligens ex captiuitate, elegit pulchros specie & vultu decoros : multo magis eos qui adstant mensæ regiæ, formosos esse oportet, mentisque pulchritudine præditos, auro fulgentes, pura veste amictos; regalibus calceis indutos, formosum animæ vultum splendidèque ornatum circumferentes, ac veritatis zona præcinctos. Qui talis est, accedat, & pocula tangat regia. Si quis autem pannis obsitus, sordidus & squallidus ad mensam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, cum non sufficiant quadraginta dies* (hoc est, sacrum Quadragesimæ tempus pœnitentiæ consecratum, & ab Ecclesia ad Communionem Paschalem meditandam adornandamque destinatum) *ad abluenda quæ omni tempore sunt admissa*

delicta. Nam si non sufficit gehenna, licet sit æterna, idcirco enim est æterna: multo magis hoc breue tempus. Non enim validam sed imbecillam suscepimus pœnitentiam.

μόνον, φησί, βορβόρου ἀπηλλάχθαι ὑμᾶς, ἀλλὰ καὶ λευκοὺς εἶναι καὶ ὡραίους. εἰ γὰρ ὁ Βαβυλώνιος βασιλεὺς ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ἐκλεγόμενος τοὺς νεανίσκους καλοὺς τῷ εἴδει, καὶ ὡραίους τῇ ὄψει ἐξελέξατο, πολλῷ μᾶλλον παρεσταμένους τῇ τραπέζῃ βασιλικῇ, καλοὺς τῷ εἴδει εἶναι δεῖ τῷ τῆς ψυχῆς, τὸν κόσμον ἔχοντας χρυσοῦν, τὴν στολὴν καθαράν, τὰ ὑποδήματα βασιλικά, τὸ πρόσωπον τῆς ψυχῆς εὔμορφον, τὸν κόσμον αὐτῇ περικείμενον χρυσοῦν, τὴν ζώνην τῆς ἀληθείας. ὁ τοιοῦτος προσίτω καὶ ποτηρίων ἁπτέσθω βασιλικῶν, εἰ δέ τις ῥάκια ἠμφιεσμένος, ῥυπῶν αὐχμῶν τοιοῦτος ἐπεισιέναι τῇ βασιλικῇ βούλοιτο τραπέζῃ, ὅρα ὅσα πείσεται, οὐκ ἀρκουσῶν τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν τὰ ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ πεπλημμελημένα ἀπολούσασθαι. εἰ γὰρ ἡ γέεννα οὐκ ἀρκεῖ καίτοιγε αἰώνιος οὖσα, διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αἰώνιός ἐστι, πολλῷ μᾶλλον ὁ βραχὺς οὗτος χρόνος, οὐ γὰρ μετάνοιαν ἰσχυρὰν ἐπεδειξάμεθα, ἀλλ' ἀσθενῆ. *Homil. 17. in Ep. ad Hebreos.*

S. HIERONYMVS.

D. HIERONYMVS illud Zachariæ interpretans, *Frumentum electorum, &c; Vinum germinans virgines: hunc panem ijs comedendum* docet, *qui in Christo robusti sunt: bibendumque hoc vinum ab his virginibus quæ sunt sanctæ & corpore & spiritu, vt inebriatæ atque gaudentes sequantur Ecclesiam & dicatur eis: Adducentur Regi virgines post eam.* *Hieronym. in c. 9. Zachar.*

Quin etiam, quod grauius est, docet, non eos solos qui animo criminum sordibus contaminato Christi corpus & sanguinem sumunt, iudicium sibi manducare & bibere, sed & illos qui post communionem ad vitia declinant. Nam in hæc Psalmi verba: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*, ita loquitur: *Hæc de his, qui Deum post acceptum manna dereliquerunt. Nam & nunc in Ecclesia si quis carne & sanguine Christi reficitur, & declinat ad vitia, nouerit Dei iudicium imminere, sicut Paulus Apostolus ait: Qui acceperit cor-* *Hieronym. in Psal. 77.*

pus & sanguinem Christi indignè, iudicium sibi sumit & bibit.

S. AVGVSTINNVS.

AVGVSTINVS in Ioannem, hæc Christi verba: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*, ita exponit: *Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non viuit, nisi corpus Christi. O Sacramentum pietatis! O signum vnitatis! O vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat: habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum: non sit putre membrum quod resecari mereatur: non sit distortum de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum. Hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt postea regnet in cœlo.*

Aug. Tract. 26. in Ioan.

Quibus infrà subijcit: *Ac per hoc, qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit; quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Ibidem.

Ex quibus discimus, sicut Eucharistia ipse ille cibus est qui in cœlo manducatur: ita prorsus necesse

necesse esse, vt fidelium qui illâ vescuntur integri-
tas, cordisque munditia Beatorum munditiæ quo-
dammodo respondeat: neque aliud intersit, nisi
quod inter fidem claramque visionem interest.
Ab hoc enim discrimine omnis inter vtramque
corporis Christi manducationem terrenam & cœ-
lestem diuersitatis ratio petitur. Quare merito il-
lum Scripturæ locum de necessaria ad videndum
Deum cordis munditia ad vtramque D. Augusti-
nus accommodat: cuius verba in publicas preces
primi diei infra Octauam Sanctissimi Sacramenti
Ecclesia inseruit, vt fideles diligentius expendant,
qua animi affectione illud suscipi oporteat. Atque
hinc liquet, eum qui Christi corpore in Euchari-
stia potitus, terrenarum rerum cupiditate nihilo-
minus inflammatur, eandem pro rata portione
Deo injuriam facere, quam si Beatus Deum possi-
dens alterius boni desiderio teneatur. Vtrobique
enim significatur plenam bonorum omnium co-
piam quæ Christi corpore continetur, non ad-
esse.

THEODORETVS ET PSELLVS.

THEODORETO cum cæteris Patribus pia & Christiana vita præcipua ad Communionem præparatio est. Apostoli enim verba: *Probet seipsum homo*, explanans, sic scribit: *Tuus ipse autem seipsum homo*, explanans, sic scribit: *Tuus ipse iudex esto, & VITÆ QVAM AGIS DILIGENS EXPLORATOR. Scrutare conscientiam, tumque hoc dono fruere. Si enim indignè illud attrectas, non modo*

σὺ σαυτοῦ γέ-
νου κριτὴς,
καὶ τῶν βε-
βιωμένων ἀ-
κριβὴς δικα-
στὴς, ἐρεύνα
τὸ συνειδὸς,
καὶ τότε δέ-
χου τὸ δῶρον.
οὐ γὰρ μόνον
σωτηρίας ἐκ-
πίπτεις, εἰ τεύξῃ
παρανόμως
τὸ δῶρον δε-
ξάμενος, ἀλ-
λὰ καὶ δίκας
τίσεις, τῆς

ex eo salutem non consequere, sed & injuriæ Christo illatæ pœnas dabis.

Idem alio loco quantam eorum qui ad hanc diuinam mensam accedunt, virtutem & sanctimoniam esse oporteat, paucis egregiè describit in hæc Cantici verba: *Comedite, propinqui mei, & bibite & inebriamini, fratres mei. Illius,* inquit, *propinqui perfecti sunt qui eius imaginem incorruptam & inuiolatam seruant, quique ipsi vniri summoperè exoptant. Iis vero non vt bibant modò, verumetiam vt inebrientur imperat.*

Ad quem etiam locum Psellus ita Sponsum Sponsæ loquentem facit. *Descendi ego quidem, inquit, in hortum tuum, virgo, & pulchris fructibus tuis cupiditatem meam prorsus expleui, atque ex ardenti tuorum fide ac pœnitentia magnam lætitiam percepi. Hæc cum dixisset Christus idem & sponsus, vt pro mellito conuiuio quasi gratiam aliquam referret, ipsis virginis filijs dat corpus suum. Sic enim illos, sed dignos tantum, quos & propinquos suos ita esse dixit, alloquitur: Comedite propinqui mei & bibite, & inebriamini, fratres mei. Quicumque estis, inquit, operibus fratres mei corpus meum comedite & sanguinem meum bibite.*

εἰς αὐτὸ παροινίας. Theodoret. in c. 11. ep. 1. ad Cor.

πλησιάζουσι δὲ αὐτῷ οἱ τετελειωμένοι, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν αὐχοῦσι συγγένειαν, οἱ τὴν εἰκόνα φυλάττοντες ἀδιάφθορον. καὶ οὐ μόνον αὐτοῖς πιεῖν ἀλλὰ καὶ μεθυσθῆναι παρακελεύεται. *Theodoret. in Cant. c. 5. v. 1.*

GENNADIVS.

GENNADIVS insigni illo Dogmatum Ecclesiasticorum loco à teipso allato, atque à nobis superius descripto, eum cuius mens peccati etiam venialis studio & affectu teneatur, *grauari magis Eucharistiæ perceptione, quam purificari* profitetur.

Quam sententiam à superiorum ætatum Patribus, maximèque à Dionysij Ecclesiastica Hierarchia repetitam innumeri posteriorum seculorum Scriptores exceperunt, atque vt fidei decretis conuenientissimam amplexi sunt.

S. GREGORIVS.

D. GREGORIVS in illud Cantici Annæ: *Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt*: Eucharistiæ perceptione id quotidie impleri docet, vbi soli famelici saturantur, repleti vero inanes manent, neque satiari vnquam possunt. *Quod tamen*, inquit, *contra negligentes sacri altaris ministros atque audaces Dominici corporis susceptores dici non inconuenienter potest. Repleti vero prius sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant. Qui nimirum comedunt & saturari non possunt: quia etsi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur ..... Non saturantur ergo nisi famelici: quia à vitijs perfectè ieiunantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt: quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit; paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus insinuans ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid enim est hoc loco,*

Greg. lib. 2. in 1. Reg. c. 1.

probare, nisi euacuatâ peccatorum nequitiâ se probatum ad Dominicam mensam & purum exhibere? De repletis etiam subdit: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipsa sola virtus est quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc verè famelici saturantur, quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectione.

S. BERNARDVS.

SANCTVS BERNARDVS Libro de Modo bene viuendi pro certo exploratoque tradit, nemini fas esse Christi corpore vesci, nisi qui antea bonis operibus ipsius voluntatem impleuerit. *Qui ergo*, inquit, *Christi corpus vult accipere, prius studeat in Christi fide & dilectione manere. Hinc est quod ait Dominus in Euangelio: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Ac si diceret: Ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin nisi prius maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo, carnem meam manducare non potest nec sanguinem bibere.*

Bernard. aut quisquis alius est autor Lib de Modo bene viuendi, c. 28.

S. THOMAS.

QVOD si à Patribus ad Scholæ Theologos progrediamur, eandem doctrinam à duobus Sanctissimis viris, Scholæ ducibus & columnis, aut, vt verius dicam, Angelis, Thomâ & Bonauenturâ accipiemus.

Prior enim præter innumera in hanc rem egregiè scripta Opusculo de Sacramento Altaris, paucis ibidem verbis omnes abundè docuit, quales ad Eucharistiam conferre se debeant. *Si quis*, inquit, *ad suscipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primo debet per aquam lachrymarum emundari: secundò per operа pœnitentiæ torqueri*: (id est, vt paulo inferius exponit *per ieiunia, orationes, afflictationes & cætera eiusmodi*:) *Tertio per feruorem amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari.*

D. Thomas in Opusc. de Sacram. altar. c. 15.

S. BONAVENTVRA.

IAM à S. Bonauentura, omissis plurimis locis quorum aliqua retulimus, vnum hunc attulisse sat erit, ex quo facilè intelligas quam tua doctrina à SS. omnium doctrina discesserit. *Quoniam*, inquit, *capacitas nostra ad Christum suscipiendum non est in carne sed in spiritu; non in ventre sed in mente; & mens Christum non attingit nisi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem; ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad deuotionem. Ideo ad hoc quod aliquis dignè accedat, oportet quod spiritualiter comedat, vt sic Christum per recordationem fidei masticet, & per deuotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius traijciatur in eius mysticum corpus. Propter quod manifestè colligitur, quod qui tepidè, indeuotè & inconsideratè accedit, iudicium sibi manducat & bibit: quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his qui se sentiunt minus mundos mente vel carne,*

S. Bonauent. in Breuil. part. 6. c. 9.

vel etiam indeuotos, vt differant quousque parati ad esum veri Agni mundi, deuoti, & circumspecti accedant. Propter quod etiam hoc Sacramentum præceptum est celebrari cum solemnitate præcipua, tàm quantum ad locum, quàm etiam ad tempus, & quantum ad verba & orationes, & quantum ad vestimenta in celebratione Missarum: vt tam ipsi Sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, viuificentur, & in ipsum Christum per excessiuum amorem ardentissimè transferantur.

JOANNES AVILA.

HORVM omnium agmen coget vir extremis hisce temporibus pietate præcellens, quo magis perspicias non Sanctorum modo Patrum doctrinam, sed & communem Christianæ pietatis sensum à prauis opinionibus tuis vel longissimè abesse, quibus id vnum agis, vt imminuta quam maximè & accisa animi virtute ad tanti Sacramenti vsum necessaria, omnes eò promiscuè inconsultâ facilitate impellas. Ioannes Auila, Hispanus Presbyter, pietate nobilis, præter alia à nobis superius allata de Præparatione ad Eucharistiam in Epistola quadam disserit in hæc verba:

1. Part. ep. 65. *Multum errant qui solam Communionis cupiditatem à consuetudine potius quam ratione veriore natam, pro idonea ad Eucharistiam præparatione habent. Quod si præterea dum Christi corpus accipiunt lachrymulam extillent, magnoperè se profecisse arbitrantur. Verum eò fal-*

luntur quod Communionis fructum, quem nullum capiunt, non satis attendunt: neque intelligunt vnicum probæ Communionis signum animæ profectum esse, atque ad pietatem progressionem, quam si assequantur, rectè ad Eucharistiam sæpius recurrunt: sin minus, ab eâ debent abscedere. Commonefaciendi sunt, quanti periculi sit, ignem diuinum sinu colligentem non incalescere, pane cœlesti vescentem eius suauitate non imbui, præsentissimâ medicinâ vtentem in summa nihilominus ægritudine iacere. Eripiendus illis cibus tanquam inertibus & ignauis, vt tanti boni penuriâ miseros se agnoscentes pluris illud faciant, sibique laboris aliquid & sudoris subeundum intelligant, quo ad sacras epulas sanctius se præparent: culpas in quas identidem incurrunt acrius vlciscantur, earum medicinam ardentius appetant, orationi ac bonis operibus toto pectore instent, vt ita instructi ac præculti cum interiori esurie ad cœlestem panem edendum properent: hic enim cibus, vt ait Augustinus, interioris hominis famem postulat.

In altera item Epistola Concionatorem in eandem ferè sententiam affatur. *Frequentem esse istîc Communionis vsum accepi, atque alicubi frequentiorem quam velim: etsi nihil me magis delectet, vbi rectè atque ordine fit. Nactus sum qui cum ignaui essent & desidiosi, neque de salutis progressu admodum solliciti, eo tamen tenerentur errore, vt se probè Communione defungi arbitrarentur, si id ipsum sæpius facerent, atque interea aliquo pietatis sapore caperentur, qui breuis & fluxus nihil veri fructus & incrementi virtutis afferret. Nam & ille ipse tenuiculus pietatis sapor paulatim* I. Part. ep. 66.

euanescit, eòque res redit, vt nihilo amplius ex sacra Eucharistia assequantur, quam si illam omninò non attigissent. Hoc vero detrimentum frequentior quàm par est tanti mysterij vsus importat: cum scilicet vita cælesti cibo minus est digna. Itaque monitum te velim, ne cuiuis promiscuè sacratissimi panis edendi potestatem facias, sed si illum sapienter largiri velis, vniuscuiusque animum diligenter explores. Nolim vlli sæpius quam octauo quoque die porrigi, quemadmodum suadet Augustinus, nisi forte quis tanto alimento præter alios egeat, aut tanta illius appetentia & fame teneatur, vt tantæ cupiditati res tantoperè concupita vix sine injuria denegari posse videatur. Reliqui decimo quinto quoque die vel mense cibo illo pascendi, monendique, vt si hoc conuiuio delectantur, aliquo pretio ac symbolo sibi redimendum meminerint; adducendi ad corrigendæ vitæ studium; accuratius denique docendi, si languori & desidiæ se dedant, minimè committendum, vt panem attrectent, ijs solis diuinitus comparatum, qui in cupidatibus expugnandis domandoque animo acriter & studiosè laborent. Ad vtrumque enim panem referendum illud Apostoli: Qui non vult operari, non manducet, ne scilicet gratis panem comedat. Cuinam vero sine labore ac dimicatione pane hoc sanctissimo animam pascere concessum est?

SVPERIORVM TESTIMONIORVM *summa.*

IAm doctrinam tuam cum Patrum omnium Sanctorumque doctrina à Christo ad hanc ætatem deriuata, quemadmodum hactenus perpetua Eccle-

Ecclesiasticæ Traditionis serie ostendimus, comparare non admodum opus est. Hoc vnum peto, vt animaduertas de communi Patrum omnium consensu (quem toties à Concilio Tridentino in certissimæ inuiolatæque legis loco allatum vidimus) vitæ integritate, morum innocentia, bonorum operum cultu, seculi corruptelarum & vitiorum abjectione, arctiore conjunctione cum Deo, firmo denique & constanti Christianæ virtutis statu spectandam & dijudicandam cuiusque ad accipiendum Eucharistiæ Sacramentum vim & dignitatem. Itaque præparationum meditationumque omnium ad fructuosam Communionem necessariarum, ex Ecclesiæ sententia caput est, PIE' ET CHRISTIANE' VIVERE. Hinc demum probandi seipsum, quemadmodum ante cœlestis pabandi manducationem fieri iubet Apostolus, ducendum est initium; vt diligenter exploremus verène Christiani simus; an mores fidei respondeant; an suscepta in baptismo pacta sanctè seruemus; an Christi discipulorum munere fungamur; an eius vestigia, vt iussit, insistamus. Quod si rem aliter se habere deprehendamus, corrigenda mutandaque vita, antequam panem viuum vitæque fontem degustemus (*Mutet enim vitam*, inquit Ambrosius, *qui vult accipere vitam:*) Danda denique opera, autore Bernardo, vt *per fidem, bonamque operationem* Christus in nobis maneat, quò vtiliter carnem ipsius manducare ac sanguinem bibere possimus.

Quid æquius ac pietati Christianæ congruen-

tius? Si enim ſolis Chriſtianis, baptiſmoque ablutis ad hæc myſteria aditum patere fides docet: nonne ipſa ratio conſequens eſſe demonſtrat, vt illorum particeps fieri mereantur Chriſtianam ac baptizatis dignam, id eſt, Euangelij præceptis conuenientem viuere illos vitam oportere; atque vbi ſuo vitio ab hac menſâ ſeſe depulerunt, vnam ad eam regrediendi eſſe rationem, vt ad accuratam initorum in baptiſmate pactorum obſeruationem regrediantur?

CAPVT VIII.

AN QVICVMQVE PECCATI MORTALIS ſibi non conſcij Euchariſtiam accipiunt, extra noxiam ſint, vt contendit Aduerſarius. Cæcitatem & negligentiam culpæ non eximere eos, qui crimine implicati, quo ſe non teneri arbitrantur, ad Communionem adeunt.



VERVM ne in re adeo perſpicua longiores ſimus, præſtat illud expendere quod ais: *Quoſdam gratiæ ſtatum ad fructuoſam Communionem neceſſarium prorſus exiſtimare. Alijs vero probabilius ſatis videri, ſi quis peccato mortali inquinatum ſe non agnoſcat.* Quibus addis: *Ut vt ſit, extra culpam eſſe, quiſquis Euchariſtiam ſumit, conſcientiâ nihil mordente, nec mortifero delicto ſe captum ratus.*

Nunc quidem minimè lubet de hac opinione quam tu probabiliorem videri vis, in contentionem tecum venire. Illud monere ſatis habuerim,

ne ea plerique ad ſuam perniciem abuterentur, proponendam fuiſſe, quomodo ab illius patronis explicari ſolet. Ita enim intellectum eſſet, ſi ea quam maximè obſcura eſt & dubia, tam explorata & liquida foret, nihilominus ſacrilegij culpam innumeris adhæſuram, qui inter adeundam Euchariſtiam mortiferis peccatis ſe liberos arbitrentur.

Qui enim eam ſequuntur opinionem, agnoſcunt indignè Euchariſtiam quemque accipere, quantumuis peccati mortalis labe ſe inquinatum non exiſtimet, ſi ſuâ culpâ id ſentiat. Quod quidem duplici potiſſimum ex cauſa contingere docet D. Thomas, *vel quia per ignorantiam iuris quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum (puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale) vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius contra id quod Apoſtolus dicit: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum.* *D. Thom. 3. part. q. 80. art. 4. ad 5.*

An igitur cenſeas tantam iſtorum turbam qui ſe ipſi vltrò excœcant, & magnum ſe feciſſe arbitrantur, ſi honeſtum flagitijs nomen obtendant, idoneam ſacrilegarum Communionum purgationem apud Deum habituros, quod mortifero ſe crimine obſtrictos non putarint? An tot auaros, qui turpiſſimas vſuras omni ratione interpolantes, vt hominibus, ita & Deo ſe fucum facturos exiſtimant: tot Clericos, qui occulta cupiditate inflam-

mati, patrimonio pauperum pasci ac pinguescere amant, sexcentisque fraudibus & technis impunitam sacrorum nundinationem instituunt: tot Sacerdotes, qui ne leuis quidem culpæ putant, quod inuocati, imperiti, improbi ac degeneres terrenorum spe commodorum Ecclesiastica minist eria vltrò inuadunt: tot fœminas, quæ cum innumeris sceleribus occasionem præbere gestiant, nihilominus se innocentes haberi volunt, aut ad hoc vnum se natas putant, vt Ethnicarum more, vitam degant: An, inquam, hos omnes, innumerosque alios censes, ea sola cogitatione falsa & inani fretos, se à peccato mortali abesse, dum ad Eucharistiam accedunt, intentatum ab Apostolo omnibus, qui impurâ mente Christi corpus edunt, supplicium euasuros?

Ego vero contra sentio, vix esse qui Christi corpus indignius accipiant, quam isti in medijs flagitijs nihil in se flagitiosum sentientes. Nam tenebræ illæ, quæ animos eorum occœcant, bonique & mali discrimen eripiunt, perspicua sunt deprauatissimarum mentium argumenta, & irati Dei supplicia, qui, vt præclarè Augustinus, *spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates.*

Aug. Lib. 1. Confess. c. 18.

Quod si alterum caput à D. Thoma commemoratum de indiligenti sui ipsius probatione spectemus: facile intelligetur peruulgatissimum vnum hunc esse fontem, è quo prauæ Communiones oriuntur. Cum enim omnibus ferè vulgò persuasum sit, hanc sui ipsius probationem sola peccato-

rum omnium recensione accuratiore contineri: vix quisquam est, qui intimos cordis sui recessus scrutetur, serioque excutiat, fixumne & certum sibi sit Deo se dedere, vitam mutare, à peccati seruitute in perpetuum se expedire, & in posterum ex baptismi lege ac pacto mores componere: QVONIAM ALITER, inquit Sapientissimus Pontifex, SIMVLATIO DICI POTEST, NON POENITENTIA.

Gregor. VII. epist. lib. 7. ep. 10.

Hoc quippe minus attentè explorato, innumeri confidenter ad Eucharistiam ruunt, nescij memoriam se non animum peccatis leuasse, confessiones istiusmodi voce expressas quas vera & constans pietatis amplexandæ voluntas non comitatur, colloquia vel fabulationes dicendas, non confessiones. *Qui enim*, vt præclarè Nicolaus I. *ore, non corde confitetur: non confitetur, sed loquitur.* Denique falsis eiusmodi pœnitentijs id se assequi, vt cum hominibus à peccatorum sordibus abluti videantur, Dei iudicio qui inani rerum specie non capitur, sed occultiores interioresque mentium latebras perspicit, nocentiores fiant ac maculosiores.

Nicol. I. in epist. ad Regem Salomonem.

Enimvero mirâ mentis cœcitate laborare necesse est, quem sua ipsius experientia non doceat, quemque metus saltem aliquis non subeat, ne Confessiones, Communionesque omnes sacrilegio laborent, ex quibus perspicuè animaduertat, nullam vnquam emendatioris vitæ frugem fluxisse. Cum enim constantes sint, & certi in hominibus bene affectis Sacramentorum fructus; profecto vbi

nulla prorſus eorum fructuum veſtigia, ſed alieniſſima potius & aduerſa cernuntur: incredibilis ſtuporis eſt, non intelligere prauâ vitioſâque animi noſtri affectione diuinos illos fontes obſtrui, gratiæque fluenta, ne in nos redundent, prohiberi. Quare cum ſingularis in primis Euchariſtiæ efficientia ſit, aduerſus hoſtiles impetus vires ac robur addere, cœleſtiſque *antidoti* vice, vt docet Tridentinum, *à peccatis mortalibus præſeruare*: nonne vltrò labatur & erret, qui nullas vnquam nouas vires expertus, parique ſemper procliuitate ad eadem vitia reuolutus, fructuoſas nihilominus Communiones ſe obiiſſe confidat?

Concil. Trid. Seſſ. 13. c. 2.

Denique, vt hoc caput tandem aliquando concludam, obſeruandum, Chriſtum de eo qui carnem ſuam edit & ſanguinem bibit, non dicere: In me eſt, & ego in illo; ſed: *In me* MANET, *& ego in illo.* Vnde liquet (quandoquidem nulla Chriſti verba non ſuum pondus obtinent) propriam Euchariſtiæ vim non eſſe, vt Chriſtum ad animam quaſi ad commorandi diuerſorium adducat, ſed velut ad habitandi locum & ſedem ſtabilem quam perpetuo iure poſſideat, quam in domum ac regiam adoptet, in qua permaneat & regnet. Conſtat enim Scripturæ vſu voci, *manere*, ſtabilem ac firmam permanſionem eſſe ſubjectam. Vnde Paulus cum dicere vellet perpetuum ac ſtabile domicilium nobis hîc non eſſe: *Non habemus,* inquit, *hîc* MANENTEM *ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Ac Ioannes Baptiſta iram Dei omnibus qui Chriſto non cre-

Ioan. 6. v. 57.

Hebræor. 13. v. 14.

diderint æternùm adhæſuram eadem voce profeſſus eſt: *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei* MANET *ſuper eum.* Ioan.3.v.36.

Quod ſi meminerimus hæc eadem Chriſti verba: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*, tum præparationem Euchariſtiæ neceſſariam, tum Euchariſtiæ effectum ex Patrum ſententia pariter complecti; eo quod Sacramenti huius vis ac natura & nos cum Chriſto copulet, & antea cum illo copulatos velit, quemadmodum membris ita demum cibus prodeſt, ſi reliquo corpori iuncta & colligata fuerint; duo hinc in primis grauia conſequentur.

Primum, cum Auguſtino, & poſt eum Bernardo teſtibus, in Chriſto manere neceſſe ſit, vt Chriſti caro comedatur, allaborandum, vt ante Communionem verè *in Chriſto maneamus*, id eſt, ſi huius verbi vim ſacris Literis familiarem ſequimur, bonorum operum exercitatione ſtabilem & firmam in Chriſto permanſionem aſſequuti ſimus, non temporariam commorationem, eamque, vt plurimum, inanem & adumbratam, leui volaticâque ad Deum conuerſione effectam, ex qua nihil ſolidi, perpetuique fructus tedundet.

Alterum, hunc eſſe oportere Euchariſtiæ prouentum, vt firmi & ſtabiles in Chriſto maneamus: *Qui manducat, manet.* Ideoque merito dictum ab Auguſtino: *Signum quod quis hunc panem manducauit*, (quo ſcilicet modo eum à fidelibus Seruator manducari iuſſit) *hoc eſſe, ſi manet, & mane-* Aug. Tract. 27. in Ioan.

tur : si habitat, & inhabitatur : SI HÆRET, VT NON DESERATVR.

CAPVT IX.

DE PIO RELIGIOSOQVE MOTV AD fructuosam Communionem necessario.

Aduersarius.

SÆpe deesse pius animi motus creditur, cum adest. Vera pietas non est de rebus diuinis cogitandi quædam facilitas suauitate conjuncta, sed sincera & certa Deo placendi voluntas. Hanc in nonnullis reperio, qui tamen ægrè admodum cogitationem in Deo figere valeant. Illis autor sim, vt crebrò Communionem vsurpent.

RESPONSIO.



SI veræ pietatis vim ac notionem perspectam haberes, intelligeres profectò verius dici, esse plurimos qui eam sibi adesse putent cum absit, quàm (quod assentationis causâ memoras) qui eam cum adsit, abesse existiment.

Verum ne longius abeam, istam ipsam sinceram & certam Deo placendi voluntatem, quâ pietatem definis, adeone vulgarem & obuiam censes? An ijs omnibus inesse, qui eâ se præditos opinantur? An istos, vt vocant, actus quos animis vulgò effingunt, quique, vt plurimùm, cogitationes meræ intellectus, non cordis motiones atque affectus sunt, pro *sinceris ac certis Deo placendi voluntatibus* habes?

habes? Certa & efficax voluntas re & effectu perspicitur. Effectus porrò non verba sunt, sed opera. Neque opera crebræ duntaxat Confessiones & Communiones videri debent, quibus hodie plerique pietatem metiuntur; sed fidelis & accurata diuinæ voluntatis obseruantia & cultus. Porrò, *voluntas Dei est*, vt præclarè scriptum à Cypriano, *quam Christus & fecit & docuit, humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina. Injuriam facere non posse, & factam posse tolerare: Cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere,* (quod facere non potest, nisi qui mundum oderit) *amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est: Christo nihil omninò præponere, quia nec nobis quidquam præposuit: charitati eius inseparabiliter adhærere, Cruci eius fortiter ac fidenter adsistere*, id est, calamitates & ærumnas prompto animo & Christiana fortitudine tolerare. En germanæ pietatis formam! En sinceram & certam Deo placendi voluntatem! Si his consolis crebram Communionem suades, nihil controuersiæ superest. Sin existimas, qui parum allaboret, vt vitam ad Euangelicam normam dirigat, vt se verum Christi discipulum factis probet, vt angustam cœli viam ingrediatur, vt à mundi corruptelis illecebrisque se expediat, pium seriò habendum, & solida Deo placendi voluntate præditum, quoties id de se apud Sacerdotem verbo profiteatur; nihilo magis adduci possim, vt tibi assentiar, quàm vt Dei verbo fidem derogem, non vno

Cyprian. de Orat. Domin.

aut altero loco, quod ſatis ſuperque eſſet, hominum commentis explodendis, ſed vniuerſa Scripturarum diuinarum mole contraria inculcanti.

1. Ioan. 3. v. 18. *Filioli mei*, inquit Ioannes, *non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate.* Quamobrem vero? Quia, vt paulo ante dixerat: *In hoc ſcimus quoniam cognouimus Chriſtum, ſi mandata eius obſeruemus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Addit appoſitè ſanè ad hunc locum: *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Ibid. 2. v. 3. & 4.

Ibid. v. 6.

Cum igitur Communionis præparatio ſimul & effectus ſit, *in Chriſto manere*, vt iam ſuprà dictum eſt, ea demum explorandi, quinam crebrò Euchariſtiâ paſci mereantur, optima & certiſſima ratio eſt, vt quid faciant, non quid dicant ſpectetur, quam ſtudioſè Chriſti veſtigijs inſiſtant, iubenteque Apoſtolo, *ſicut ille ambulauit & ipſi ambulent.* Vt enim intelligatur, quanta nobis omnibus imitandæ Seruatoris vitæ, qualis in Euangelio deſcribitur, neceſſitas incumbat, illud conſiderandum modo, ex vniuerſa & publica Religione ab ipſo inſtituta nos eſſe Religioſos, eoque nomine ipſius Regulæ obſeruandæ addictos, quam quidem non ſecus ac ſingularium omnium Religionum conditores, qui id ab ipſo eiuſque Spiritu acceperunt, prius factis exequi voluit quam ſcripto tradi pateretur, neque alia prius ratione quam exemplo ad eam ſubeundam homines hortari.

Ita factum eſt, vt vitam communem & promiſ-

cuam viuere voluerit, hominiſque in morem inter homines agere, longe aliter ac Ioannes qui in deſerto Angeli, extra deſertum pœnitentis vitam egit: vt quo vita eius ad cæterorum hominum vitam propius accederet, hoc omnium ordinum Chriſtianis congruentiorem accommodatioremque vitæ formam præferret.

Plerique tamen omnes Chriſtiani qui ſe ad Chriſti regulam ac religionem contulerunt, ita ſe nunc habent, vt externis illam notis ac inſignibus profiteri ſatis arbitrentur, de perſequendis eius veſtigijs, imitandâ vitâ, regulâ legeque obſeruandâ (quæ charitate, mundi contemptu, & odio, omniumque peccandi illecebrarum fugâ continetur) minus laborent. Quâ in re ſimillimi ſunt iſtis Religioſarum familiarum alumnis, qui abjectâ Regulæ ſibi propoſitæ diſciplinâ, ad alieniſſimam penitusque abhorrentem ab antiquis Ordinis inſtitutique ſui moribus vitam defluxerunt.

Hoc vnum intereſt, quod priuatas Religiones priſtinæ integritati reſtitui, ad regulæ obſeruantiam, vitamque autorum & parentum reuocari, quantumuis latè ſeſe diffuderit, atque inueterauerit labes & corruptela, nemo ferè paulùm æquior non probat. Nunc vero vix eſt, qui ferat generali & publicæ Religioni Chriſti deuotos ac Religioſos, ad regulæ cui ſeſe in baptiſmate deuouerunt, id eſt, ad Euangelij cultum præſtationemque redigi, ad diuini conditoris ſui vitam & exemplum vocari, ad ambulandum, quemadmodum ille am-

bulauit, compelli. Consuetudine se liberatos putant, Dei leges tempore ipso antiquatas opinantur: satis habent sic vulgo vitam esse: ne quidem quærendum existimant aliamne esse oporteat: Vltro etiam superbiæ ambitiosæque heterodoxiæ accusauerint, qui studiosius paulò quam ipsi ad Euangelica instituta mores exigere, arctam cœli viam insistere, neque corruptelas & prauitates, quascumque diuturnior vsus approbasse videatur, clausis velut oculis suscipere in animum inducant.

Fœdiora quidem flagitia nondum recta & innoxia videntur, sed iam tamen perquam placabilia & facillima ad ignoscendum. Iis vero expeditum esse virtutis summæ ac sanctitatis haberi solet, quæcumque animo vitia insideant, quamuis superbia inflet, ambitio inflammet, auaritia exedat, inimicitiarum acerbitas & inuidia dirumpat. Vnum iam fere pietatis indicium est crebra Communio. Eâ vero dignus censetur, quisquis crebrò crimina confitetur, etsi nunquam abijciat. Satis putant, si *ab illis discedendi voluntate* ad Eucharistiam adeatur, ac vitijs demersus quisque *solidam Deo placendi voluntatem* toties gerere existimatur, quoties id Sacerdoti affirmet, quamuis nihil vnquam veri fructus exhibeat.

Ambros. in Psalm. 37. Scitum est illud Ambrosij: *Sicut sancti corpus & membra sunt Christi: ita peccatores qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis & membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur, illi autem epulantur corpus draconis.* Nunc vero exquiritur ratio

quâ alimenta adeò inuicem aduersa componantur. Qui quotidie draconis corpus epulantur, ad diuinas Christi corporis epulas eâdem quâ sanctissimi quique confidentiâ octauo quoque die accedere non dubitant.

Imo vero, quid tandem indignius, quàm eos vt Christo vescantur hortari, quos Scripturæ Patrumque verbis Antichristos haberi decuit? Si enim à dilecto illo discipulo quæsieris, quisnam sit Antichristus: *Quicumque negat*, inquiet, *quod Iesus non sit Christus, ipse est Antichristus. Jam ergo quæramus quis neget*, vt optimè ad hunc ipsum locum Augustinus, *& non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogantur, omnes vno ore confitentur Iesum esse Christum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si inuenerimus hoc: si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantum linguâ fit, sed & factis, certè inuenimus multos Antichristos, qui ore profitentur Christum, & qui moribus dissentiunt à Christo. Quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid viuat. Opera loquuntur & verba requirimus.* 1. Ioan. 2. Aug. Tract. 3. in 1. Ioan. c. 2.

Capvt X.

An qui sui ipsorum amore pleni, & mirandum in modum seculo adstricti sunt, Eucharistiam optimè frequentent.

Aduersarius.

IDem censeo de quibusdam sui ipsorum amore plenis, & mirandum in modum seculo adstrictis. Si enim

Eucharistiam frequentent sperantes fore, vt ea ratione à seipsis & à seculo sese diuellant, optime faciunt, magnumque honorem Deo tribuunt. Nec prorsus dubitauerim, quin si in incœpto perstiterint, optata consequantur. Hoc vero regulis superioribus satis exposuimus.

Responsio.



Merito huius articuli doctrinam superioribus regulis tuis contineri putas. Est enim earum verè consectaria, dignusque tot aberrationum tuarum cumulus. Equidem maximè consentaneum fuit, vt quando omnes promiscuè ad sacram mensam accedere iussisti, eò confidentius, quò se à gratiæ donis desertiores experiantur, eodem iure ad crebram Communionem eos hortareris, qui sui ipsorum amore abundent: & quando palam professus es, quamlibet à rebus diuinis cogitandis animi alienationem idoneam omittendæ Eucharistiæ causam non esse, eadem viâ vsque eò progredereris, vt magno Christum honore affici contenderes, si quis eius corpore vescatur, seculo infensissimo illius hosti immaniter deditus. Aptior regularum tuarum analogia & consensio reperiri nulla potuit. Nihil enim conjunctius & consentientius quam gratiæ donorum inanitas & proprij amoris abundantia; à diuinis rebus cogitandis alienatio, & arctissimum cum seculo fœdus.

Sed quo magis dogmata ista inter se cohærent, eò ab æterna veritate quam Scripturæ oraculis &

Ecclesiæ traditione accepimus, longius absunt. Duas, inquit Augustinus, *ciuitates faciunt duo amores. Ierusalem facit amor Dei: Babyloniam facit amor seculi. Permixtæ sunt, & ab exordio generis humani permixtæ currunt. Sed interroget se quisque quod amet, & inueniet vnde sit ciuis.*

Aug. in Psal. 64. De Ciuit. Dei. Lib. 14. c. vlt. Prosper sentent. 221. Ex quibus locis inter se collatis patet idem esse Augustino, *amorem sui* ac *amorem seculi.*

Ita si Sanctissimi viri sententiam accipimus, dubium esse non potest, quin Babylonis ciues sint, qui seculi ac sui ipsorum amore pleni sunt. Quid ergo agis, dum eos ad sacram Communionem impellis, nisi vt diuinissimum panem solis Ierusalem cœlestis filijs à Christo paratum ad æmulæ illius filios transferas? Quod si falli non potest Scriptura, quæ *amicitiam mundi cum Deo inimicitiam esse* testatur, *atque inimicum Dei constitui, quicumque mundi amicus esse voluerit:* quem tandem alium Communionum crebritate honorem Christo tribuant, qui incredibili amore mundo adstricti sunt, nisi quem illi Iudas osculo, milites salutationibus ludicris quasi Regi adhibitis tribuerunt?

Iacob. 4. v. 4.

Quinam vero fingi possit alienior à suauissimo diuini amoris mysterio frequentando animi habitus, quam eius qui mundi ac sui ipsius amore redundet, terrenâ nimirum illa charitate, quæ cum cœlesti charitate velut aduersâ fronte confligit, neque minus omnium radix est & regina vitiorum, quam altera illa omnium radix & regina virtutum.

Sic enim Apostolo, & post Apostolum Augustino teste, duo hi amores habendi sunt bonorum

malorumque omnium gemini fontes : bonorum amor Dei; malorum amor sui. Quare Apostolus sicut plenitudinem legis charitatem appellat, omniumque virtutum munia ei ascribit, dum eam ait, *patientem esse; benignam, omnia sufferentem, omnia credentem*, & alia eiusmodi : ita postremorum temporum labem describens, horribilemque vitiorum proluuiem sub finem seculorum toto orbe redundaturam, proprium amorem illorum omnium fundamentum caputque constituit. *Hoc autem scito,* inquit ad Timotheum, *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa : Erunt homines* SEIPSOS AMANTES, *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei.* Quod solertissimè, vt solet, expendens Augustinus : *Hæc omnia,* inquit, *mala ab eo velut fonte manant quod primùm posuit,* SEIPSOS AMANTES. *Hæc atque huiusmodi vitia siue vni homini accidant omnia, siue his alia, illis alia dominentur,* EX ILLA RADICE QVODAMMODO PVLLVLANT, CVM SVNT HOMINES SEIPSOS AMANTES.

2. Timoth. 3. v. 2.

Aug. Tract. 123. in Ioan.

Cum igitur eos qui sui ipsorum amore ferueant, Communioni perquam idoneos arbitreris : cum eos optime Eucharistiam frequentare magnoque Deum honore afficere contendas : quid dubitas tantum illum, qui crebris istiusmodi Communionibus Deo habeatur, honorem extendere; ramos

stirpi,

ſtirpi, riuos fonti adjungere; atque ad quotidianam, ſi octiduana ſatis non eſt, communionem impellere auaritia, typho, ſuperbia, perfidia, impietate, incontinentia, aliiſque egregijs dotibus cumulatos, quæ Apoſtolo proprij amoris ſunt fructices; denique vt Eccleſiæ, cuius doctrinam euertiſti, etiam ſermonem perturbes, omniaque ad tuum ſenſum inflectas, contra quam miniſtrorum voce olim prædicabatur, *Sancta Sanctis*, ne quis præter iuſtos ſanctoſque aditum ſibi eſſe ad Euchariſtiam noſſet: tu quò facilius ad optatum peruenias, iube deinceps hoc carmine noſtra circumſonari altaria, *Sancta ſeipſos amantibus, cupidis, elatis, ſuperbis, & cæteris eorum ſimilibus.*

Nam & illud in primis hoc loco obſeruandum, erroris tui rationem & cauſam ad omnia vitia peræquè pertinere. Cui enim dicere non liceat, ſe vitij quo tenetur abijciendi ſpe, ad Communionem properare? Quis mœchus non dicat, ſe fœdæ libidinis abijciendæ ſpe ad Euchariſtiam accedere? Quis capitales inimicitias animo fouens, non facilè prædicet, ſe illarum deponendarum ſpe Chriſti carne veſci? Nonne denique auariſſimo aut ambitioſiſſimo cuique promptum ſit ad iſtum modum profiteri, ſe auaritiæ aut ambitionis excutiendæ ſpe ſacris epulis ſæpius accumbere?

Ecquid vero videtur hanc labem tantam Apoſtolus iam tum indicaſſe, cum poſt recenſitam illam vitiorum ſeriem quæ proprio amori velut peſtilentes riuulos exitiali fonti annexuit, hac po-

ſtremâ notâ perditos illos inuſſit homines, vt vanam dixerit pietatis ſpeciem, non vim eius ac frugem habituros: *Habentes*, inquit, *ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

2. Timoth. 3. v. 5.

Hæc enim eſt iſtorum expreſſa imago, qui, vt tecum loquar, ſui ipſorum amore abundantes, ſeculoque immaniter addicti, te nihilominus eodem autore, Sacramenta frequentant, eò audacius quò virtutis inaniores: qui falsâ illâ, quam Apoſtolus notat, pietatis ſpecie ducti, crebris Communionibus ſibi Deum honorare videntur, dum perpetuis vitæ flagitijs dedecorant, eòque improbæ opinionis fiduciæque deueniunt, vt de implendis præceptis exemploque Chriſti imitando minimè laborantes, ſe nihilo ſecius filiorum, chariſſimorumque loco ab eo tractandos confidant, eo quod ſæpius eius menſæ aſſederint.

Minus tamen mirandum homines mundi amore ebrios, qui quaquâ ratione Chriſtum cum Belial conciliare nituntur, pro ſua cœcitate adeò breuem expeditamque viam, quâ ſine magno labore in cœlum perueniant, conſectari. Illud maximè deplorandum, non deeſſe qui eorum veſaniæ duces ſe præbeant, qui, inuito ac repugnante Chriſto, anguſtam viam ingredi recuſantes ad vitam nihilominus peruenturos ſtatuant: qui denique, vt præclarè Auguſtinus, cum diuini verbi diſpenſatores eſſe debuerint, *Serpentis diſpenſatores* & adminiſtros ſe præſtent, *hominibus promittentes quod non promiſit Deus.* Quemadmodum enim primis parentibus

Aug. ſer. 34. de diuerſ. c. 11.

mortem denuntiante Deo si vetitæ arboris fructum decerperent, Serpens contrà spopondit minimè morituros, quamuis eo vescerentur: *Nequaquam moriemini*, inquit: Ita Deo per Apostolum prædicante, omnibus qui impuro corruptoque animo ad hanc mensam accesserint, diuinum illum panem mortem allaturum, atque in hoc numero *homines seipsos amantes* primos collocante; tu tamen istis immenso sui amore insanis atque infinita cupiditate seculo astrictis vaticinari non dubitas, nihil à Communione metuendum: *Nequaquam moriemini*: imo vero, *magnum Christo honorem habituros*, si eum tumentibus veneno atque impurissimis pectoribus excipiant, ac dummodò ita impurè illum excipere perseuerent, magnæ ab eo puritatis integritatisque munus assecuturos.

S. quidem Gregorius censet in hoc cœlesti conuiuio vitiorum pabulo refectos comedere posse, non satiari: *repleti comedunt, & saturari non possunt.* Propterea quod, vt ibidem ait, *non saturantur nisi famelici, & à vitijs perfectè ieiunantes.* Tibi contra sui ipsorum amore ac seculi fascinatione vndique occupati idonei videntur, qui hoc diuino cibo satientur, vt *saturentur repleti*: ac spe vana fallacique lactantur, fore, vt si crebrius Communionem vsurpent, vitiorum laqueis exuantur. *Gregor. lib. 2. in 1. Reg.*

At ne tam pernicioso errore capiantur, S. Isidorum potius audiant: *Qui sceleratè viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali Communione mundari, discant nihil ad emendationem sibi pro-* *Isidor. lib. 1. sentent. c. 24.*

ficere, dicente Propheta: Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?

Nec vero quisquam putet, istâ, quam ais, proprij amoris abundantiâ, arctissimâque cum seculo nequam colligatione Eucharistiæ fructum non impediri, vbi fœdiora corporeaque flagitia, quibus hominum oculi maximè percelluntur, abesse contigerit. Eo periculosiores animarum morbi sunt, quo magis intestini atque occulti, neque vlli, iudice Christo, ab Euangelij gratia alieniores, quam sepulchra ista dealbata, quæ foris speciosa hominibus apparent, intus vero sordibus atque omni spurcitia plena sunt.

Matth. 23. v. 27.

Atque vt facile intelligatur, prauis istis mundanarum rerum cupiditatibus corruptum animum etiam sine fœdiorum libidinum accessione ad eripiendum sacræ Communionis fructum satis valere, hoc vnum consideretur: cum animas duplici cibo Christus pascat, verbo & corpore suo (quem vtrumque cibum D. Augustinus oratione Dominicâ quâ quotidianum panem petimus comprehendit) consentaneum non videri ijs Christi corporis alimentum prodesse, quibus, Euangelio teste, verbi alimentum minimè prosit.

Matth. 13.

Atqui ipsa Veritas dum notat quæ verbi diuini sementem in nobis obruant, ac sine fructu efficiant, homicidia, adulteria, fornicationes, latrocinia, blasphemias, aliaque lutulenta & conspicua vitia non commemorat, sed ijs omissis, *sollicitudi-*

nem seculi istius, & fallaciam diuitiarum. Sub quibus comprehenditur, inquit egregius Euangelij Interpres, *quicquid anxij homines in hoc mundo quasi innocenter consectantur præter regnum Dei, vt honores, splendores familiæ, lites pro temporalibus, voluptates* & delicias, cæteraque eiusmodi, quæ Lucas ad tria capita reuocauit, *sollicitudines, diuitias, voluptates*. Quare cum omnes quos stupendum in modum seculo astrictos ais, trium istorum vinculorum aliquo, seu anxia negotiorum temporalium sollicitudine, seu acquirendarum diuitiarum cupiditate, seu deliciarum voluptatumque studio impeditos esse necesse sit: nonne quod de verbo, altero animæ cibo, Seruator pronuntiauit, multo magis de diuinissima ipsius corporis alimonia pronuntiare licet: *Hi sunt qui audierunt*, neque audierunt modo, sed hospitio pectoris sæpè acceperunt principem vitæ, *& à sollicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Nihil veræ frugis istiusmodi communionibus paritur, nec parietur porrò, quandiu peruerso isto atque impuro amore cor redundabit. Cornel. Ians. Iprensis in hunc locum. Luc. 8. Ibidem.

Imo vero etsi miseri isti à manifestioribus spurcioribusque criminibus iam discesserint, externaque nonnulla pietatis munia obeant, frustra tamen confidunt implendos à Seruatore animos, quos iam mundus implerit. *Neque enim ingressum eius*, inquit Bernardus, *exterioris potest conuersationis tenuis superficies sustinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio est. Quod si nequaquam* Bernard. ser. 2. de Assump.

spiritus disciplinæ subditum manifestè peccatis corpus inhabitat, fictum vtique non modo declinat, sed & effugit, atque elongatur ab eo. An vero aliud est quam fictio, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit vberius, & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem qui ejectus fuerat hostis, malignus intrabit. Reuersus enim ad vomitum canis odibilis erit multo plusquam antè, & filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sordes inciderit, vt sus lota in volutabro luti. Vis videre mundatam, ornatam & vacantem domum? Hominem intuere qui confessus est & deseruit manifesta peccata præcedentia ad iudicium, & nunc solas mouet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, plane quasi vitula Ephraim docta diligere trituram. Exteriorum videlicet quæ ad modicum valent, nec vnum iota præterit, sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim seruus est propriæ voluntatis (quod in omnes conuenit, qui sui amore pleni sunt) *cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator* (his nempe vinculis implicantur qui stupendum in modum seculo addicti sunt) *aut hæc omnia, aut singula quæque intus vitia fouens, & mentitur iniquitas sibi, sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, vt seducat etiam semetipsum, penitus non attendens vermem qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salua sibi omnia arbitratur. Comederunt, ait Propheta, alieni robur eius, & ignorauit. Et dicit: Quia diues sum, & nullius egeo, cum sit pauper & miser & mise-*

rabilis. Nam & inuenta occasione ebullire saniem, quæ latebat in vlcere; & excisam, non extirpatam arborem in siluam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos.

Agnosce præclara hac D. Bernardi oratione improbam doctrinam institutionemque tuam perspicuè profligatam. Agnoscant pariter quanta in pernicie inscientes iaceant, quos seculi vitijs illecebrisque impeditos ad crebram Communionem hortaris: occultam luem sua viscera depascentem perspiciant: ab autore grauissimo aliquando discant, quam nulla fucosis istis & adumbratis curationibus habenda sit fides, quibus culpa damnationisque grauior importatur: ac seriò tandem in animum inducant, ipsam arboris radicem, hoc est, vt Patres docent, peruersum sui amorem, seculique cupiditatem semel extirpare, non amputare ramulos, qui, quoad truncus manet, noua semper vbertate luxuriant.

Quod si viri Sanctissimi consilium aspernentur, audiant quid Apostoli voce Spiritus Sanctus iubeat. Sic enim Iacobus Apostolus mundi amatores affatur, posteaquam denuntiauit, inimicos Dei effici, quicumque huius mundi amici esse voluerint. *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Iacob. 4. v. 9. & 10.

Non ait, peruerso mundi amore præpeditis ni-

hilominus Euchariſtiam vſurpandam; omni timore abjecto ad Chriſtum accedendum; eamque certiſſimam vnam eſſe rationem cum ipſo redeundi in gratiam. Non ea ſunt Spiritus Sancti conſilia. Sed iubet, *manus emundare*, hoc eſt prauas omnes actiones abijcere: neque hoc ſolum, ſed & *corda purificare*, hoc eſt, amicitiam mundi, quæ cum Deo inimicitia eſt, ſtirpitus eruere: nec iam *duplices animo* eſſe, ſed ſe totos ad Chriſtum conferre, non inter ipſum & ſeculum ſtudia partiri. Vnam eorum malis ac vulneribus medicinam oſtendit, afflictationes, gemitus, lachrymas pœnitentiæ. Cuius adhibendæ leges; ne ignorent, *riſum in luctum conuertendum* monet; quantum intemperanti lætitia exultauerint, tantum ſalutari triſtitia tabeſcendum; voluntariiſque laboribus & ærumnis anteactæ vitæ voluptates ac delitias iuſta ratione penſandas. Cæterum quod pœnitentia nulla ſit, quam humilis ac demiſſi animi virtus non comitetur, iubet eâdem operâ, *humiliari in conſpectu Domini*, pio flagitiorum pudore ſuffuſos, & grauiſſimæ calamitatis, quam deſerendo Deo ſibi accerſierunt, ſenſu dejectos. Tum demum fore pollicetur, vt Deus eos extollat: *Et exaltabit vos*. Quaſi dicat, ſuſcepturum munera eorum manibus oblata, ſi ſordibus & maculis vacuæ ac puræ fuerint: in eorum cordibus ſedem fixurum, vbi illinc ſeculum expulerint: cum gemitibus & ſuſpirijs ad ſe redeuntes vltrò amplexurum: cum cauſam eorum lachrymæ agere cœperint, illorum exauditurum vocem: de puniendis

ipſorum ſceleribus cogitationem abjecturum, cum ſe ipſi punient; eoque indulgentiorem fore, quo ipſi vehementiores ſeuerioreſque extiterint: condonaturum voluptates & delitias, quas laboribus & ærumnis commutatas viderit: quo magis denique pœnitentiæ dejectioni atque humilitati ſtuduerint, eo altiore gloriæ gradu iacentes proſtratoſque honeſtaturum.

Hæc eſt D. Iacobi ad *huius ſeculi filios* oratio de reconcilianda cum Deo gratia. Eam, qua par eſt, diligentia expende. Non enim Theologiæ Moralis ſcriptoris, aut priuati Theologi neſcio cuius placita proferuntur. Deus ipſe decreta ſua edit, ex quibus decretis orbem iudicaturus eſt. Quid tandem erit quod reſpondeamus, cum ſupremi iudicij die quæſierit, quâ fiduciâ *mundi huius amicis* cœleſtis regni ſpem alijs legibus, quam quas ipſe per Apoſtolum dixerit, obtulerimus: minimè ſcilicet poſtulantes, vt peruerſam ſeculi cupiditatem ex animis euellerent; vt fletus, gemitus, voluntarioſque cruciatus amplexarentur; riſum & laſciuiam in mœrorem, delitias in labores & aſperitates verterent; ea denique dejectione atque humilitate, quæ veros pœnitentes deceret, exercerentur? Quid ad hæc reponemus? An excuſatione inſcitiæ vti nos ſperamus poſſe, quod vel neſcierimus quæ ſine crimine neſcire non poſſumus; vel humanis interpretationibus & gloſſulis diuina præcepta interpolauerimus; vel denique in regendarum animarum ratione ſuſpiciones & voluntates noſtras

æternis inuictisque ipsius verbi sanctionibus & oraculis antiquiores habuerimus.

Capvt XI.

An eorvm qvi ab adversario ad frequentandam Eucharistiam impelluntur Communionibus, Christus magnum honorem assequatur.

Aduersarius.

Eucharistiæ frequentiore vsu Christus & magnum honorem assequitur & voluptatem. Nec id probare operosum. Communio enim latriæ ac supremæ Dei venerationis actus est, & is quidem quo nobilior, excelsiorve in Christianum non cadit. Plurimæ in ea virtutes fides, spes, charitas, humilitas & cætera continentur. Illâ etiam Christus magnam voluptatem accipit: Quamobrem sub eiusmodi cibi specie se nobis exhibuit, vt ipsa edendi necessitate doceremur, quàm necessarium sit cœlestis huius alimenti subsidium, atque ad id frequentius sumendum nostra nos vtilitas ipsa compelleret. Deliciæ illius, vt ait Scriptura, esse cum filijs hominum. Multa in eandem sententiam dici possunt.

Responsio.



I omnium hominum iudicio terrenis Regibus contumeliosus sit, qui dicat, magnum eos honorem assequi, quod subditi ad ipsorum mensam assideant: an de supremo ac cœlesti Rege dignè loqui censendus est, qui magno eum honore au-

geri honestioremque fieri tecum prædicat, quod miseri homunciones diuinissimo ipsius corpore pascendi sacris eius epulis accumbant?

Ipse quidem immenso nos ac plane infinito honore cumulauit, quod tempori etiamnùm & mortis obnoxijs, eiusdem quo electi in beata æternitate pascuntur, cibi copiam fecerit, hoc vno discrimine interposito, quod nobis in præsentia aspectum illius, gustumque subtrahens, vtrumque cœlo reseruauit. Tu vero frequentiore nostra ad epulum ipsius adorandum accubatione magno eum honore extolli, amplificarique pronuntias.

Quod si etiam meminerimus, cuiusmodi sint quos ad cœlestem illam mensam vocas, quid tandem è crebra illorum Communione (vt toties demonstratum est) nisi dedecus & contumeliam in Christum redundare posse fatebimur? Nonne ipse in Euangelio docet, haud satis esse, si quis identidem *Dominum*, *Dominum* inclamet: nisi sibi pareat, vitamque ex sanctissimis suis legibus institutisque moderetur? Iubet, ipsi nos oderimus, si in discipulis suis velimus numerari: vetat Apostoli voce mundum hunc diligere: præcipit arctâ ingredi viâ, vt ad regnum suum perueniamus. *Quid me vocatis, Domine, Domine, & nos facitis quæ dico?* Luc. 6.

Quod si terrenis sacrificijs etiam tum in Legis vmbra vigentibus, Deus per Prophetam Idololatriæ eos damnat, qui neglectâ obedientiâ, legitimum debitumque illi cultum præstare se sperabant: quanto id magis in Lege noua sentiendum,

vbi omnem qui in ſpiritu ac veritate non eum adoret, repudiare ſe profitetur adoratorem?

Iudaicæ mentis eſt, confidere, externas vllas actiones quantamcumque ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferant, Deo gratas accidere poſſe, niſi ipſius ſpiritu vigeant & conſecrentur. Pelagiani vero, exiſtimare, actus, quos ais, fidei, ſpei, charitatis, & humilitatis aliter ac ſingulari gratiæ Chriſti eos in animum immittentis motu elici poſſe. Quocirca deludit ac circumuenit animas quiſquis perſuadere nititur, ad illos actus frequentandos Communionis ſatis eſſe frequentiam, quaſi vero illam indiuidua ſocietate comitentur, & quoties certas formulas, quibus addicere eas atque alligare ſe poſſe putant, recitare libuerit, toties velut dato ſigno erumpant. Sic enim illos è noſtra voluntate ſuſpendunt, vt aliud quidquam ijs producendis opus non eſſe putent, quàm animum voluntatemque illuc intendere.

Verum cui tandem probetur, hominem accipienda Euchariſtia fidem magnam expromere, cuius omnia facta intermortuæ potius ac Diabolicæ quàm viuæ & charitate vigentis fidei indicia ſint? An vero magnæ in Deum ſpei eſt, arctiſſimis ſeculo vinculis adhæreſcere? An Dei amore feruet, qui ſui ipſius amore abundat? An eximia humilitate præditus eſt, qui ad myſteriorum omnium maximè tremendum eò ſe confert audacius, quo ab omni gratiæ præſidio nudior eſt? Poſtremò, vt verbis vtar tuis, an ille Chriſtum voluptate cu-

mulat, qui vita & factis negat, quem in altari agnoſcit?

Equidem quantùm eorum, qui Deum ex animo diligunt, & Euangelij legibus obtemperant, Communionibus Chriſtus delectatur: tantùm iſtorum ſeculi amatorum Communiones odit, qui impio errore Religionem Chriſtianam à Chriſtiana vita diuellere, nec niſi in templo Chriſtiani eſſe meditantur: qui Sacramentorum frequentationem cum prauis ſuis cupiditatibus cohærere poſſe exiſtimant: qui denique poſt inanes euanidæ, neque vllo ſinceræ conuerſionis indicio probatæ Confeſſionis ſonos, Chriſtum in dommu, foris quidem mundam, vt ait Bernardus, intus autem cœno ac ſordibus ſcatentem recipiunt.

Placent ſibi quidem illi probis quibuſdam cogitationibus; quibus inter Euchariſtiæ myſteria occupantur: ſeque, vt illis autor es, fidei, ſpei, charitatis, & humilitatis actus frequentare exiſtimant, neſcij vmbris ſe rerum & vanis imaginibus ludi. Vt enim piorum mentes prauis interdum cupiditatibus ac peccati motibus extrinſecus obducuntur, cum interna nihilominus munditie ac luce ſplendeant: ita mundi aſſeclarum animi imminente Communionis horâ, pijs, vt illis videtur, affectibus ac votis exuberant, cum in ijs vitia penitus infixa atque inſita permaneant. In illis prauas cogitationes quæ nihil obſint, in his bonas quæ nihil proſint, nequiſſimus Spiritus exſuſcitat. Atque hac

Greg. 3. part. Paſtor. adm. 31.

arte homines flagitijs inquinatos, vt sacrilegijs inquinatiores efficiat, ad Communionem sæpe numerò impellit.

Chryſ. hom. 7. in Matth.

Quare, sicut Chrysostomus eo nomine fideles Magis beatiores putat, quod quem illi in præsepio, ipsi in altari venerentur: quem illi infirmitate circumdatum viderunt, ipsi paterna gloria vestitum teneant; nec ei munera tantum, hoc est, bonorum operum copiam offerre, sed & sumere ipsum, eodemque pasci ac refici possint: ita Christianos ad Eucharistiam indignè accedentes, crudeli illi atque impio regi conferre non dubitat, qui Christum vna cum Magis adorare se velle simulans, cædem ipsi atque exitium machinabatur. Atque vt ad Eucharistiam piæ mentes Dei Spiritu agi debent, non secus ac Reges illi, ad Christum cœlesti luce perducti sunt: ita Sanctissimus Doctor *homines peccatis contaminatos ad Communionem percipiendam à pessimo spiritu instigari* affirmat, *vt Christum in speciem venerantes, quantum in ipsis est, interficiant & extinguant.*

Ex quibus iam intelligis, nequaquam arte ac stratagemate Dæmonis impediri homines, quominus ad tremenda illa mysteria, quibus indigni sunt, detrimentum ac damnationem accepturi se conferant: sed eos potius Dæmonis partes agere, qui ita affectos ad sacram mensam propellere non verentur.

CAPVT XII.

NIHIL-NE AD COMMVNIONEM SANCTIVS obeundam adjuuet illius dilatio. Nonnulla in eam rem exempla Sanctorum.

Aduersarius.

VT reuerentius ac paratius Eucharistiam adeas, nihil prodest dilatio: imo frequentatio prodest. Hominum quidem familiaritas & consuetudo contemptum parit, quia næuos eorum & vitia demonstrat: Dei vero vsus assiduus reuerentiam auget. Quo magis conuenitur, eo magis innotescit. Quo autem notior efficitur, eo pluris fit, sinceriusque diligitur.

RESPONSIO.



HOC articulo duo placita superius à te Chrysostomo ascripta iteras. Alterum, *ad Eucharistiam sanctius percipiendam nihil nos dilatione iuuari*: alterum, *Communione intermittendâ majorem Christo honorem non haberi.* Quæ quantum à Sanctissimi illius Patris sensu absint ac dissideant, suo loco est demonstratum. Restat, vt quantum à veritate abhorreant, quemadmodum à te proferuntur, nonnullis testimonijs pro meo instituto planum faciam. Rem paucis expediam, ab eoque ordiar quod negas, *ad Eucharistiam sanctius adeundam nos dilatione quicquam adjuuari*: quæ ad diuinissimi Sacramenti honorem ac reuerētiam pertinent, deinceps tractaturus.

Cum ſic pro certo ſumis, *ad Communionem ſanctius percipiendam nihil in dilatione præſidij eſſe*; vel dilationem prorſus omnem intelligis quacumque demum de cauſa ſuſcipiatur, & quidquid interea fiat; vel eam tantum, quæ à negligentia contemptuque proficiſcitur, animo de præparatione ad eam dignius obeundam nihil ſollicito, & in omnibus vitiorum prauitatibus ac libidinibus inhærente.

Si poſterius hoc genus ſpectares, meritò diceres, eos qui ita ſe habent *nihil dilatione adjuuari*. Sed quod addis, impium foret: *Eos magis Euchariſtiæ frequentatione adjuuandos.* Niſi forte & hoc longè perniciosiſſimum, ac pleriſque tuorum ſimile adijcere libeat, Communionum indignarum frequentiâ idoneum ad dignam Communionem iter parari; de quo alibi dicturi ſumus.

Sin autem vniuerſa infinitaque eſt orationis tuæ ſententia, vt ipſa verborum ſeries ac totius Scriptionis mens & ſcopus ſignificat: quid pietatis Chriſtianæ Sanctiſſimis regulis aduerſum magis dici aut fingi poteſt, quàm eum qui ab Euchariſtia tantiſper ſecedat, vt puritatem ei conſentaneam piorum operum vſu ac ſtudio aſſequatur, ad eam ſanctius ſumendam nihil illâ morâ, intermiſſioneque iuuandum? Nonne hoc Lutheri doctrinæ in Concilio Senonenſi damnatæ finitimum eſt? *Nihil conducere ad ſuſceptionem Euchariſtiæ ſe præparare per ſatisfactionem, & alia bona opera.*

S. Hieronymus docet, nos Quadrageſimali

ieiunio

ieiunio ad sacram Communionem præparari. *Ipse quoque Dominus verus Jonas missus ad prædicationem mundi ieiunauit quadraginta dies, & hereditatem nobis ieiunij derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat.* Ac multos sanctitate insignes viros ea pietate fuisse accepimus, vt animæ ieiunium cum corporis ieiunio copulantes totius Quadragesimæ tempus ad Paschalis Communionis præparationem conferrent. *Hieronym. in Ionam c. 3.*

Theodoretus, qui S. Simeonis Stylitæ vitam scriptis mandauit, qui & visa à se & ab illius familiaribus accepta memorat; cui Sanctus ille vir & æqualis fuit, & magno vsu conjunctus, atque ad eum potissimum homines barbaros benedictione Episcopali impertiendos misit: narrat eum posteaquam tredecim aut quatuordecim annos in solitudine complesset, in cellam sese inclusisse, ac toto Quadragesimæ tempore omni prorsus cibo caruisse. Bassum vero Monachum, qui cellam foris occluserat, cum Quadragesimo die ad eum rediisset, hominem offendisse humi abjectum, atque ita fractum & debilem, vt nec mouere se, nec fari quidem posset: oreque ipsius aquâ diluto inseruisse illi Eucharistiam quâ eum recreatum pristinas vires recepisse. Porro ex eo anno ad diem illam cum Theodoretus vitam eius scriberet, duodetriginta Quadragesimas pari inediâ illum traduxisse: sed labore multo leuiore. Vbi enim in columnam ascendisset, Deo magis ac magis confirmante, nihil ex ea re molestiæ expertum.

B. Genouefa illi ætate conjuncta, ac de eo diuinitus edocta, diutius etiam sacrâ se Communione priuabat. Ab illius enim vitæ Scriptoribus proditum est, eam ab Epiphania ad Cœnam Domini in solitudinem abire consueuisse, vbi humi cubans ieiuniumque solito arctius instituens, orationi, atque animi latebris penitus excutiendis operam daret.

B. Franciscum idem penè quotannis post Epiphaniam factitasse Scriptor eius vitæ commemorat: & quadraginta dies à Christo in solitudine actos animo recolentem in desertum se abdidisse, ibique cella conclusum perpetua oratione, seuerioreque ieiunio temporis illud spatium contriuisse.

His Monachos illos ad Iordanem addere licet, qui vt autor est Sophronius, Episcopus Hierosolymitanus in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, primo die Dominico Quadragesimæ sacra Communione refecti in desertum omnes secedebant, ad Dominicam vsque Palmarum illic mansuri: eoque tempore exacto in Monasterium remigrabant.

An vero sanctas illas mentes ex eiusmodi dilatione nihil fructus cepisse putas, quo ad Christi gloriam in diuinissimo Sacramento participandam magis idonei fierent, posteaquam dolorum eius participes essent effectæ?

At B. certè Ignatij exemplo nemo non moueatur, qui vt initio Vitæ ipsius à Ribadeneira scriptum est, semel in die frusto panis emendicato & aqua sola reficiebatur, atque hoc singulis diebus

agebat ieiunium, Dominico excepto, quo Confeſſionis & Communionis myſterijs fruebatur. Ita Sanctus vir tanta ſeſe continentia ac duritate ad diei Dominicæ Communionem, quam tu cuiuis concedis, accingebat. Quis vero dilationem eiuſmodi hoc ei attuliſſe neget, vt tanta ieiunij auſteritate purgatus Chriſti menſa dignior fieret?

Cæterum quo tandem pacto expedies quod Scriptor ille addit, Sanctum eundem virum, poſtquam Sacerdotio initiatus fuit, ſolidum annum animo ad Sacrum primùm faciendum, præparando poſtulaſſe? Num videtur abs re tecum exiſtimaſſe ad myſteria quæ iuſtiſſimo cuique horrorem afferant, tempus aliquod & ſpatium ſumi, quo ante comparetur mens, gemituque & oratione gratiam Sancti Spiritus eliciat: cum à tot annis Deo vni ſtudioſiſſimè deditus, ac pœnitentiæ ope ad altiſſimum virtutis gradum euectus, nondum tamen eam in ſe, quæ ſacrificio Miſſæ Deo offerendo par ſit, ſanctitatem atque integritatem agnoſcat, nec paucis hebdomadis aut menſibus, ſed anno ipſo muneris ſibi Sacerdotalis, ad quod à Deo vocatus fuerat, functiones ſuperſedendas putet, vt ad eas ſeſe per id temporis continuo pietatis ſtudio cultuque componat?

Quod ſi iſta ſanctitate homines, quos Dei Spiritus implerat, ſuoque amore ſuccenderat, Communionem aut myſteriorum operationem fructuosè interdum differri à ſe exiſtimabant, vt ad eadem puriores poſtmodum ardentioreſque ſe re-

ferrent: quis flagitijs coopertos verecundiam istam non fructuosam, sed sæpius necessariam æmulari vetet, Communionemque peccatis pœnitentiæ feruore decoquendis suspendere?

Præcipuam ad sumendam Eucharistiam præparationem animi puritatem esse sine errore nemo negauerit, atque adeò quo quisque purior fuerit, eò ad percipiendam eam paratiorem habendum. Ac nisi quis in Lutheri Caluinique hæresim impingat, & cum ijs verbi diuini fidem adulteret, orationes, ieiunia, eleemosynas, aliaque pia opera ad eluendas purificandasque animas valere fateatur necesse est. Quare nec sine errore quisquam inficias ierit, cum intermittitur sacra Communio, vt mens sanctis actionibus aptior ornatiorque existat, intercapedinem illam ad Eucharistiam paratiore animo suscipiendam nonnihil conferre.

Nam in pœnitentes, qui indignitatis suæ conscij ab Eucharistia se remouent, conuenit, quod Ambrosius de Centurione illo scripsit, qui Christum domum recipere minimè ausus est: *O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consueuisti! Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum: & dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnæ enim & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cœlorum esse Deum, verebatur ne hospitij sui eum angusta non reciperent. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus, non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina:*

Ambros. ser. 26. in Dedicat.

non visitat ægrum Saluator, sed visitat sanitas Saluatoris.

Ita qui acerbo peccatorum sensu ac dolore commoti, à sacra Communione velut indigni se abstinent, hoc ipso se digniores efficiunt. Ab altari recedentes ad Christum accedunt: Saluatoremque recipere veriti, ab ipso salutem accipiunt. *Non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat ægros Saluator, sed visitat sanitas Saluatoris.*

CAPVT XIII.

NVM ADVERSVS EVCHARISTIAM reuerentiæ sit, humilitatis causâ ab ea interdum secedere, aut aliquantisper Communionem differre. Sanctorum illustrium eam in rem exempla.



ATQVE hinc iam ad alterum caput aditus patet, vt quæramus, num Christianum sit quod ais, non esse reuerentiæ aduersus Eucharistiam ab ea interdum secedere, aut Communionem aliquantisper differre.

Verum longiori oratione non opus est ad dogma refellendum, primis fidei notionibus aduersissimum. Iampridem definiuit Augustinus, Centurionis modestiam atque humilitatem, qui Christum domo excipere non ausus est, nihilo minus gratam ipsi fuisse, quam Zachæi zelum & ardorem, qui eundem domum suam gaudens recepit: atque ita pias animas pariter honorare Saluatorem *Aug. ep. 118.*

ſiue fidei ductu ad eius menſam ſæpius accedant, ſiue religioſa reuerentia ab ea nonnunquam digrediantur.

Theologi omnes D. Thomam ſecuti vtrumque ad Sacramenti reuerentiam pertinere agnoſcunt. Quam in ſententiam ab autore Libelli *De Imitatione Christi* diſertè ſcriptum eſt: *Si quis interdum abſtinet humilitatis gratiâ laudandus eſt de reuerentia.*

De Imitat. Chriſti. Lib. 4. c. 10.

D. vero Bonauentura adeo certam & exploratam habet hanc doctrinam, vt affirmare non vereatur, *Irreuerentiam* nonnullam videri, ſi Sacerdos quotidie ſacris operetur, nec vnquam reuerentiæ causâ deſiſtat. *Circa Sacerdotes*, inquit, *poteſt hæc forma teneri; vt nec nimis rarò, nec nimis continuè celebrare, vel imprætermiſſè ſacram hoſtiam ſtudeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreuerentiam, cum vix aliquis ſit tam deuotus, qui ſemper eadem deuotione ferueat, quod ſemper cum debita reuerentia illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque quod impediat.*

S. Bonauent. de Profectu Relig. c. 77.

Et quidem conſtat iſtum reuerentiæ atque humilitatis ſenſum, ita in quorumdam Sanctorum virorum animis à Dei Spiritu nonnunquam infixum: vt quemadmodum nonnulli à Sacerdotio capeſſendo refugerunt, vt S. Franciſcus; alij cum Sacerdotes effecti eſſent, nunquam auſi ſint ſuſcepti honoris munere defungi.

Extant præclara huius rei exempla in Vitis Patrum, duorum nempe Sanctiſſimorum Anachoretarum, quorum alter Muthues dictus, cuius, vt re-


fert Ruffinus, sanctitatem miratus Episcopus inuitum Presbyterum fecit: eiusque item sodalem de eius singulari pietate ab altero admonitus. *Vtrique tamen*, inquit Historicus, *ita permanserunt vsque ad finem suum, vt ad altare quantum ad oblationem sacrandam nunquam accederent. Unde dicebat senex: Confido in Deum meum, quia non habeo grande iudicium propter hanc ordinationem, quia oblationem non mihi præsumpsi offerre. Nam ordinatio hæc illorum est, qui sine culpa sunt, iusti & immaculati: ego autem bene me cognosco.* Lib. 3. de Vitis Patrum. c. 188.

Atque vt ad illustriorum multo virorum Sanctorum exempla progrediamur: nonne testatur Epiphanius: *D. Hieronymum, alterumque Sanctissimum Sacerdotem nomine Vincentium, etsi non haberent Bethleemitici Monasterij fratres quibuscum degebant, qui sibi Domini Sacramenta conficerent*, PROPTER VERECVNDIAM ET HVMILITATEM NOLVISSE DEBITA NOMINI SVO EXERCERE SACRIFICIA, *& laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est.* Hæc ipsa sunt Epiphanij verba in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum ab ipso Hieronymo latinè conuersa. Atque hanc sibi fuisse causam addit, vt alium eiusdem Monasterij fratrem vi primùm Diaconum, deinde Presbyterum ordinaret, quantumuis contrà *obniteretur, indignum se esse contestans.* Quod nemo nescit primis illis seculis peruulgatum fuisse, cum Sacerdotij præcelsa dignitas & amplitudo adeò in Christianorum animis defixa esset, vt piorum pleros- Epiph. in ep. ad Ioan. Hierosol.

que ad ſuſcipiendum munus, cui ſe impares arbi-trabantur, ſumma vi cogi oporteret.

Exempla non afferam, quia & innumera ſunt & omnibus obuia. Hinc tantum intelligas velim: Sanctiſſimos viros non in eo pietatem poſitam exiſtimaſſe, vt Eccleſiaſtica miniſteria quiſque inuadat, cum primum ad Deum ſeſe reuocare cœperit, vt cuiuſquemodi munijs & functionibus ſe admiſceat, vt quorumuis paſſim ad Deum conuertendorum partes ſuſcipiat, antequam ipſe pietatis initia firmius fortaſſe perceperit; denique ne ab inſtituto longius digrediamur, vt nullo non die Sacrum faciat, ſi Sacerdos ſit: ſin minus, quàm ſæpiſſimè Communione paſcatur.

Etenim ſi vera ſint quæ ſentis, vt nullus Deo honor habeatur, cum à ſacris myſterijs reuerentiæ cauſa interdum diſceditur, provt Sancti Spiritus motio atque impulſus tulerit: D. vtique Hieronymus, ſanctique illi viri humilitatis improuidæ & ſuperſtitioſæ religionis rei habendi erunt, Chriſtianæque pietatis cognitione ac ſcientia haud paulò te inferiores: quod vel te ipſum abominaturum crediderim.



CAPVT

CAPVT XIV.

NVNQVAM-NE TIMENDVM SIT, vt contendit Aduersarius, ne crebrior Communio debitam tanto mysterio reuerentiam minuat.



I honoris ac reuerentiæ in Christi corpus est, ab eo interdum humilitatis causâ secedere, vt demonstratum est: negari non potest verecundam eiusmodi dilationem ad Eucharistiam studiosius cupidiusque accipiendam plurimùm sæpe conferre; contraque verendum, ne frequentior Communionis vsus reuerentiam minuat, præsertim si nondum penitus confirmatâ & corroboratâ virtute sumus. Hoc qui neget, quod tu facis, sensui communi omniumque hominum experientiæ bellum indixisse videri potest.

Cui enim perspectum non sit, vel suâ, vel alienâ experientiâ, eam esse animi nostri imbecillitatem, vt ad res quasque etiam præstantissimas cogitationis & studij eò minus adhibeat, quò magis in vsum atque in consuetudinem quotidianam venerint? Qui paulo religiosius Deum colunt, nonne assiduè sentiunt, quàm difficile factu sit prouidere, ne ad Sanctissima quæque pietatis officia, quibus assueuerint, more potius & consuetudine, quam virtute duce progrediantur?

De Eucharistia vero docent omnes Theologi, autore D. Thomâ, hoc in primis nomine ab ea

D. Thomas in 4. sent. dist. 12. q. 3. art. 1. q. 2.

quotidie ſumenda temperandum, *ſi quis per illam quotidianam frequentationem reuerentiam minui ſentiat, & feruorem non multum augeri*: atque ita certum & exploratum habent, grauioris eſſe periculi, ne frequentiore vſu debita Euchariſtiæ veneratio ſenſim remittatur & langueſcat.

Tu tamen contra diſputas, & vel maximè ad virtutem debiles & imperfectos (hos enim potiſſimùm à te ſpectari vniuerſa ſcriptio tua loquitur) perſuaſum habere vis, quo crebrius Communionem repetierint, eò maiori feruore ac reuerentiâ in tantum myſterium futuros. *Hominum quidem*, inquis, *familiaritas & conſuetudo contemptum parit, quia næuos eorum & vitia demonſtrat: Dei vero vſus aſſiduus reuerentiam auget. Quo magis conuenitur, eo magis innoteſcit. Quo autem notior efficitur, eò pluris fit, ſinceriuſque diligitur.*

Non argumentabor hoc loco, quam abhorreat à vero, quò quiſque magis Deum nouit, eò magis illum diligere: cum pateat non continuò ardentiorem aduerſus Deum amorem aſſequi, qui perfectiorem eius notitiam aſſequantur: ac Pelagiano errore labi qui putet, vel abſolutiſſima quæ in hanc vitam cadat Dei intelligentia nos ad eius amorem poſſe perduci, niſi nouo gratiæ dono illum ipſum amorem in cordibus noſtris Deus incendat.

Mitto etiam quod prædicas, *quò quis crebrius ad Communionem accedit, eò magis Deum noſſe & diligere.* Iam enim ſæpius demonſtratum eſt, eos qui piam & Chriſtianam vitam agere non ſtudent, cre-

bris illis Communionibus magis ac magis cœcari atque obdurari, vt præclarè his verbis à Bernardo ſcriptum eſt: *Quid iſtos agere dixerim, qui ſcurrilitates, detractiones, iactantiæ & impatientiæ verba non reputant .... & cum his quaſi gens quæ fecerit iuſtitiam accedunt liberè ad Eccleſiam..... & ne ipſo quidem tremendo Angelis participare verentur Dominici corporis Sacramento? Quid, inquam, iſtos aliud agere dixerim, quàm ſecuros iam de gratia Domini ſui fiduciaIiter de ea, quam longo tempore promeruerint, familiaritate præſumere?* *Bernard. ſer. 28. de diuerſ.*

Vnum hoc dicam, rationem quâ vteris optimam fore, ſi de Angelis, non de hominibus ageres, vel praua iſta ad res obuias & vulgares minimi faciendas propenſio à rerum ipſarum naturâ, non à noſtrâ imbecillitate duceretur.

Diuinitus ab Auguſtino dictum eſt, quotidiana miracula quibus rerum naturam perpetuò Deus illuſtrat, longe eſſe ijs mirabiliora quibus ad ſui cognitionem & fidem homines adduxit: imo *& omni miraculo quod fit per hominem maius miraculum eſſe hominem.* Sed inuſitatis inauditiſque miraculis commoueri nos oportuiſſe, *quia miracula viſibilium naturarum, licet multo maiora, videndi aſſiduitate viluerant.* Ac vel Ethnicos vidiſſe, id vnum eſſe, cur non in perpetua diuinorum operum admiratione defixi ſimus, quod *aſſiduitate quotidiana & conſuetudine oculorum aſſueſcunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum quas ſemper vident.* *Aug. de Ciuit. Dei. lib. 10. c. 12.* *Cicero de Nat. Deorum. lib. 2.*

An ergo, ne à ſententiâ, quam hîc adſtruis, diſcedas, ideo admiranda omnipotentis Dei opera apud homines ipſa familiaritate viluiſſe contendes, quod in ijs næuos ac vitia perſpexerint? quod in pulcherrima mundi fabricatione peccata, in conſtantiſſimo ſiderum curſu aberrationes, in anniuerſaria tempeſtatum viciſſitudine perturbationis quippiam diſcrepantiæque deprehenderint? Quod vero nemo vnquam Solem & Lunam tam acriter intuetur, quàm cum deficiunt: ex eone fit, quod maiorem illis defectio, quam lux ipſa & ſplendor pulchritudinem conciliet?

Denique, vt ſapienter ab Auguſtino animaduerſum eſt, noluit Deus tantam miraculorum copiam, quanta naſcentem Chriſti religionem inſigniuit, ſemper in Eccleſia manere: *Ne eorum*, inquit, *conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.* An ergo Deum timuiſſe opinabere, quod vel cogitatu horrendum, ne quam in mirabilibus illis operibus maculam & vitium vſu perciperemus?

Aug. de Vera Relig. c. 25.

Agnoſce igitur quod plerumque familiaritas reuerentiam minuat, non hinc ſemper contingere, quoniam res quæque procedente tempore leuiores vilioreſque videantur, ſed potius quod eas leuiter imperfectèque cognitas habeamus, maxime diuinas & cœleſtes, quodque curioſitas (quæ tertium animæ noſtræ vulnus, peccatique in nobis habitantis, quo nomine concupiſcentiam Paulus appellat, tertia portio eſt) nouis ſemper rebus in-

hians, ab aſſuetarum amore & ſtudio ſenſim auocat. Cui innato menti humanæ vitio Autor Libri *de Imitatione Chriſti* noſtræ aduerſus diuiniſſimum Sacramentum venerationis decrementum refrigerationemque aſcribit. *Heu cæcitas*, inquit, *& duritia cordis humani, tam ineffabile donum non ſemper attendere, & ex quotidiano eſu etiam ad inaduertentiam defluere.*

De Imitat. Chriſti, lib. 4. c. 1.

Huc adde, diuturna agendi conſuetudine animi ad agendum intentionem ſenſim hebeſcere, eo quod conſuetudo longinquior tandem in naturam abeat, naturales autem actiones nulla fere animi cogitatione profundantur. Ac licet ex bonorum operum exercitatione conſuetudo quædam laudanda exiſtat, quæ quaſi continuatam & perennem Spiritus Sancti motionem complectitur, efficitque, vt in eos qui pietate præcellant, valeat illud Auguſtini de Deo, *Semper vetus, ſemper nouus*: exoritur tamen pariter & altera conſuetudo deterior, quæ in bonis operibus perſequendis diuini ſpiritus partes humano ſpiritui accommodat. Cuius conſuetudinis vitio cum feruor & guſtus, quem in prima bonorum operum ſuſceptione experimur, paulatim euaneſcat, fit vt Angeli magis noua peccatoris conuerſione, quàm iuſtorum perſeuerantiâ lætentur.

Quare etſi Euchariſtia votorum noſtrorum ſumma eſſe debeat: ea tamen eſt, quandiu hîc viuimus, mentis noſtræ imbecillitas, vt diligentiſſimè explorandæ ſint vires, ne crebrior, quam par

ſit, Communio nos refrigeret, non incendat. Nam in altera demum vita hoc diuiniſſimo cibo ſine faſtidio æternùm ſatiabimur, quoniam remotis inuolucris illo palàm fruemur, ſanatis prorſus omnibus infirmitatibus ac vitijs penitus exhauſtis.

Capvt XV.

Qvinam reprehendantvr à SS. Patribvs, quod plus æquo à ſancta Communione ſe ſubtrahant.

Aduerſarius.

Cyrillus & Iſidorus apertius profitentur eos qui honoris & reuerentiæ obtentu à Communione ſe abſtinent in ſalutis diſcrimen venire, quod Chriſtus dicat: Niſi manducaueritis meam carnem, non habebitis vitam in vobis.

Responsio.



IN doctrina horum Patrum æque hoſpes es ac peregrinus, atque in cæterorum omnium à te hactenus prolatorum. Cyrillus & Iſidorus cum Sanctis omnibus vehementer inuehuntur in eos, qui Dei obliuione, flagitioſâ ſalutis incuriâ, timore quodam abjecto ac ſeruili à ſacra Communione ſe remouent, qui viuam illam hoſtiam non ſecus ac facinoroſi vultum iudicis exhorreſcunt, quos poſteaquam *nequiſſimus ſpiritus*, vt diſertè Cyrillus loquitur, *multis criminibus inquinauit*, *ipſam*

Cyrill. l. 3. in Ioann. cap. 6.

quoque gratiam cogit exhorreſcere, per quam à voluptate quæ ad vitium inducit, tanquam à vino & crapula ad ſobrietatem reuocati, quid vtile ſit perſpicere queant.

Quis iſtum eorum zelum non æmuletur, aut plerorumque Chriſtianorum ad res diuinas ſtuporem & quaſi lethargum, religioniſque noſtræ myſteriorum ſanctiſſimorum contemptum non damnet, adeo improbum atque intolerabilem, vt niſi conſuetudine potius quam pietatis ſenſu ad Communionem Paſchalem ducerentur, vix vnquam vel cogitarent Chriſtum in diuiniſſimo Sacramento ad paſcendas animas ſeipſum Eccleſiæ præbuiſſe.

Sed quoniam morbos noſſe nihil attinet, niſi & remedia noris, paruum eſt commemorare, eum abuſum damnari à Patribus, qui ab omnibus pariter condemnatur: longè vero maximum tradere & docere, quâ via & ratione ex eorum ſententia tollendus ſit atque ſanandus. Itaque hæc supereſt omnis quæſtio: An qui ab Euchariſtia vel deterrente criminum conſcientia, vel animi licentia diſſolutioneque diſcedunt, ad eam, vt tibi placet, leuiore confeſſione adhibitâ continuò recipiendam frequentandamque impellendi ſint, & ſi nec emendatioris vitæ ſignificationem vllam afferant, & in mortifera peccata identidem relabantur: an ad pleniorem pœnitentiam, ad morum commutationem, ad piæ Chriſtianæque vitæ cultum prius inſtituendum cohortandi ſint, quam ſacris altaribus rurſus ſeſe admoueant? Hoc vero illis ipſis,

quos laudas, autoribus & ipsis, quæ profers, vel proferre vis, eorum testimonijs, quod ea tibi potissimum accommodata existimas, definiendum.

Cyrillus in Ioannem duobus locis iisque diuersis reprehendit eos, qui per negligentiam ac socordiam ab Eucharistia discedunt, sed in vtroque eis autor est, vt peccatorum sordibus abstersis sanctam & Christianam vitam ingrediantur. Eius tertio libro hæc sunt verba: *Eniti quippe eos omni studio ac viribus deceret, vt à peccato statim mundentur, honestumque ac probum vitæ institutum amplexi ad vitæ participationem demum magna cum fiducia properent.* Et paulo post: *Ruptis igitur Dæmonis vinculis & excusso iugo tyrannico in timore Domino seruiamus, vt scriptum est, & carnis voluptatibus per temperantiam superatis ad diuinam ac cœlestem gratiam accedamus, & ad sanctam Christi participationem ascendamus.*

Cyrill. Ibid.

Animaduerte tandem, quid ante Communionem præstandum censeat, idque cum ad eam frequentandam fideles adducere maximè nititur. Iubet vt prius peccati sordes eluant, quod per pœnitentiam fit; rectam vitæ viam ingrediantur; Dæmonis vincula, hoc est, omnia, quibus ad prauitatem implicati sunt, præscindant; eiusdem iugum, pompas & opera ipsius, vt in baptismate factum est, repudiando in perpetuum eiurandoque excutiant; ad Dei cultum & obsequium sese reuocent; carnis voluptates exercitatione temperantiæ, hoc est, ieiunijs, aliisque corporis vexationibus fractas edomitasque habeant, quandoquidem SS. Patrum omnium,

omnium, ac postremò Concilij Tridentini sententiâ vitia omnia contrariarum virtutum vsu tollenda esse accepimus; quæ omnia non in verbis, sed in vita factisque consistunt; ac nisi à Deo mira quædam & prorsus insolita expectes, vna hora non perficiuntur. Idem libro 4. breuius docet: *Piam studiosamque vitam agere institue; atque ita Eucharistiam sumito.* Quæ sententia quicquid in hoc genere dici potuit sua breuitate complectitur.

De Isidoro, verbis quæ ab illo etiam interpolata profers, adjunge quæ statim subijcit: *Qui peccare iam quieuit, communicare non desinat.* Quâ voce declarat de ijs se habere sermonem, qui à vitæ prauitate ad Deum ita conuersi sunt, vt à pristinis peccatis continere se valeant, non de ijs qui assiduè in ea relabuntur. Quin etiam quo magis animi puritatem tanto Sacramento dignam significet, addit: *Coniuges plurium dierum continentiâ & precibus aditum sibi ad illud munire oportere.* *Isidor. Lib. 1. de Offic. Eccles.*

Præterea eodem loco disertè controuersiam dirimit, & pro certo sic pronuntiat: *Si talia sunt peccata quæ quasi mortuum remoueant ab altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc est autem indignè accipere,* SI EO TEMPORE QVIS ACCIPIAT, QVO DEBET POENITENTIAM AGERE. Atque hinc vel cupidissimus tui & à nobis alienissimus fateri cogatur testes tuos omnes, quos tibi suffragaturos existimasti, contra teipsum testimonium dicere. *Ibidem.*

Illud tamen te amicè monitum velim, potuiſſe doctrinam tuam maximi etiam atque illuſtriſſimi Eccleſiæ Doctorum autoritate fulciri: cum Auguſtinus non minus vehementer ac ſeuerè quàm Cyrillus & Iſidorus in eos qui Communionem detrectant, ſcripſerit. Neque tu illum profectò omiſſurus fuiſſe videris, ſi in tuis illum Commentariolis offendiſſes. Quare iſtud ſuppleri à nobis integrumque illius de hoc argumento ſermonem repræſentari non moleſtè feres, in quo vir diuiniſſimus quicquid in rem noſtram optari queat, mirâ breuitate ſubjecit.

Aug ſer. 57. de Temp. *Sæpe aduertimus, dilectiſſimi fratres, nonnullos ex vobis Communionem Eccleſiaſticam declinare, & hoc intelligo fieri ex conſcientia grauium atque ingentium peccatorum.* Ecce genus hominum illud ipſum quod à Cyrillo perſtringitur, quodque hoc loco tractamus. Accipe nunc quid iudicij de illo edat.

Inde admoneo vos, dilectiſſimi, quod prauum eſt hoc inſalubri conſilio duplicatur: quia homines iſta facientes & delictorum ſarcinam cumulant, & munus æternæ ſalutis amittunt, hoc eſt reatum congregare, & remedium deuitare. Potuitne ſocordes ac ſalutis ſuæ ſecuros homines acrioribus verbis commonefacere, quantum ſe in diſcrimen, Euchariſtiam, criminum quibus inhærent conſcientiâ, prætermittentes, conijciant? Nonne Cyrillus & Iſidorus quæ in eandem ſententiam ſcripſerunt ab eo hauſiſſe videantur? Sed quoniam, vt ante dixi, vulnus aperuiſſe parui refert, niſi ad curandum manus & opera adhibea-

tur: audi quid deinceps consilij det: *Ergo vos, dilectissimi fratres, hortor atque commoneo, vt si quis ex vobis conscius criminum suorum indignum se Communione Ecclesiasticâ putat, dignum se esse faciat*. Non monet tantum redeundum ijs ad Eucharistiam: nec enim diuinum illis cibum pararet, sed venenum. Rursum non ait, iniquè ab ijs fieri, quod se escâ illâ cœlesti indignos reputent, proderet quippe, non iuuaret consilio. Hortatur ergo, vt se Communione dignos præstent. Sed quoniam rei caput erat docere, quibus tandem vijs hoc assequi possent, id continuò exponit ijs vocibus, quas accuratius expendi velim. *Dicitis, Quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo? nisi vt errores pristinos relinquat,* ET POENITENTIAM PETAT, VT QVI CRIMINVM SVORVM SORDE POLLVTVS EST, EXOMOLOGESIS SATISFACTIONE MVNDETVR.

Nemo, opinor, dubitare audeat, verasne Ecclesiæ leges quibus quisque vitio suo Eucharistiâ indignus effectus eâ se dignum præstare debeat, notas perspectasque Augustinus habuerit. Quod si cognitas habuit, hoc loco eas exprompserit necesse est, vbi de ijs gregem suum erudire se velle profitetur. Nusquam tamen dicentem audio, hoc vnum postulari, vt peccatorum confessio adhibeatur. Tria vero nominatim præscribit. Primum, vt à peccatis discedatur, vitæ prauitas emendetur, morum conuersio rebus & factis probetur. Alterum, vt Sacerdoti seria confessione prodantur peccata, ape-

riantur vulnera, pœnitentia criminibus par postuletur, placandique Dei iusti iudicis tempus & ordo eiusdem autoritate accipiatur. Tertium denique, vt pœnitentia illa expleta susceptæ peccatorum maculæ laboribus, ærumnis, duriorique sui ipsius tractatione deleantur.

Verum consequens sermonis series maiorem etiam lucem afferet, grauissimaque præcepta suppeditabit. *Nec illud seruet, vt in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non possit.* Si in sola confessione pœnitentia posita esset: nonne absurdè diceret, moribundos homines eam agere minimè posse, cum nihil crebrius iam sit, quàm morientium confessiones? Sed Augustinum audiamus, optimum vtique sui interpretem.

Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. PARVM EST PECCATOREM POENITERE, NISI POENITENTIAM PEREGERIT. AD EMENDANDA ENIM CRIMINA, (hoc est, peccata mortifera) VOX POENITENTIS SOLA NON SVFFICIT: NAM IN SATISFACTIONE INGENTIVM PECCATORVM NON VERBA TANTVM, SED OPERA REQVIRVNTVR. Operibus igitur non verbis Eucharistiâ digni efficimur, quandoquidem de præparatione ad Communionem necessaria agit eo loco Augustinus.

Datur quidem, addit S. Doctor, *in extremis pœnitentia* (hoc est, satisfactio præscribitur, quam ægrum, si conualuisset, exoluere oportebat, vt ex innumeris canonibus liquet) *quia non potest denegari:*

ſed autores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui. Quomodo enim agit pœnitentiam ſi lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo POENITENTIAM AGERE POSSIT, QVI NVLLA IAM PRO SE OPERA SATISFACTIONIS OPERARI POTEST? *Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideo, dilectiſſimi, quicumque inuenire vult miſericordiam Dei; ſanus agat pœnitentiam in hoc ſeculo, vt ſanus eſſe valeat in futuro.*

Habes Auguſtini, imo Patrum omnium de præparatione ad Euchariſtiam peccatorum lethalium reis neceſſariâ ſententiam. *Cui illa diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.* *Aug. de Spiritu & litt. c. 34.*

CAPVT XVI.

VTRVM ACERBISSIMAM ECCLESIAE calamitatem importet, artificioque ac ſtratagemati Diabolico ſubſeruiat, qui peccatores ad pœnitentiam adducere, horrendumque illum, quo Sacramenta paſſim hodie dedecorantur, abuſum pro viribus minuere conetur.

Aduerſarius.

NIhil pernicioſius Eccleſiæ contingere poſſe exiſtimo, quam eſſe qui pietatem profitentes eos quos regendos ſuſcepere à frequenti Communione deterreant. Hoc enim vero artificium ac ſtratagema diabolicum eſt: à Spiritu autem Sancto ortum eſſe nequeat, cum Eccleſia virique ſancti, quos ille regit, planè diſſentiant.

RESPONSIO.



ON res perniciosa, sed commentitia fabula, meraque calumnia à te inducitur, esse pium quemquam, qui Communione dignos à Communione deterreat: imo qui ad Communionis crebritatem non omnes stimulet, qui eâ puritate animi, eâ virtutis firmitate, vitæque veræ Christianæ laude præditi sint, vt ad tantum Christi vsum & consuetudinem meritò aspirent.

Sed ea demùm longè verissima Ecclesiæ pernicies est, nullis lachrymis aut gemitibus pro dignitate deflenda, tantam esse his temporibus hominum vim, qui augustissima Religionis mysteria tam contumeliosissimè accipiant: qui Sanctum Sanctorum impuro ore ac squallido haurire non dubitent: qui contaminatissimam ac prorsus ethnicam vitam in confessionibus & communionibus frequentandis conterant: ex quibus nihil aliud fructus capere eos liqueat, nisi improuidam diuinæ misericordiæ fiduciam, quâ dum nullum Euangelij præceptum exequuntur, viâque latâ, quæ ad interitum ducit, securissimè grassantur, salutem sibi nihilominus felicitatemque despondent.

Tradit Augustinus extitisse ætate sua homines vitijs inquinatos, qui sibi in medijs flagitijs quædam spei lenocinia conquirentes, licet ab ijs non discederent, à Deo se tamen, modo in egenos benefici essent, æternâ damnatione liberandos confi-

debant. At Christiani hodie longius etiam progredi, cœlestemque felicitatem multo facilius ac vilius comparare sibi velle videntur. Multo enim facilius Sacramenta, tuo præsertim more, quam eleemosynæ vberiores frequentantur; & qui sui amore tument, ac seculo immaniter astricti sunt, ad Communionem crebrius repetendam, quàm ad partem facultatum in egenos conferendam haud paulò paratiores erunt.

Et vero quis non horreat, nec vsum Confessionis & Communionis vulgatiorem; nec mores corruptiores, fœdioresque vnquam fuisse? Presbyterorum tribunalia confitentium turbis, altaria Communionem adeuntium multitudine densantur: Vtrisque Parœciarum templa, ac Monasteriorum potissimùm redundant. Et tamen quis nescit, quod seculares ipso seculi vsu nimio plus norunt; quod Confessores necessariâ muneris sui functione magis etiam perspectum habent; quod Concionatores commouendorum ad pœnitentiam hominum causâ tantis clamoribus de sacro suggestu deplorant; iam penè omnes Christianæ Religionis veriores notas è Christianorum moribus esse sublatas: nunquam maiorem in matrimonijs fœditatem, in familijs corruptelam, in adolescentibus libidinem, in locupletioribus ambitionem, in omnibus ordinibus luxuriam & proluuiem, in rebus contrahendis perfidiam, in mercimonijs simulationem, in opificijs fraudulentiam, in plebe dissolutionem ac nequitiam extitisse? Quis nescit ab hinc viginti

annis fornicationis culpam ſecularibus leuiorem videri cœptam; adulterium, quod in grauiſſimis criminibus ſemper fuit, fortunatioris ſortis loco haberi; ſimulationem & fallaciam virtutem aulicam exiſtimari; impietatem, infinitamque licentiam, ingenij firmitati; iuramentorum blaſphemiarumque audaciam, venuſtati ſermonis; præſtigias & mendacia, negotiandi, agendæque rei ſcientiæ; inſanam perpetui luſus conſuetudinem, honeſtiori mulierum oblectationi; maritorum contemptum, rei familiaris, liberorumque incuriam, earum iuri ac felicitati, quæ cæteris vel naturâ, vel fortunâ præcellant; honeſtioris fœminæ appellationem, alij ac probæ fœminæ; ſimoniam tectiorem, Eccleſiaſticarumque rerum diſtractionem ſacrilegam, idoneæ compoſitioni ac ſolertiæ ad faciliorem beneficiorum commutationem opportunæ; denique furandi, fœnerandique impunitatem, legitimis officiorum ſtipendijs, vſitatis pecuniæ fructibus, reique augendæ artificio, quod ſoli iam hebetiores, rudioreſque inconſultâ quadam religione refugiant, aſcribi imputarique conſueuiſſe? Taceo tetriora etiam facinora, maioribus noſtris inaudita, tantoque æſtu & impetu in hanc miſerrimam ætatem effuſa, vt vel ſolâ eorum cogitatione animus exhorreſcat. Taceo item peccata interiora, animiſque penitus inſidentia, quæ nemo iam agnoſcit, neque vllo numero habet, quæque duabus

1. Timoth. 6. illis vocibus à Paulo comprehenſa, *hominum men-*

2. Timoth. 3. *te corruptorum*, & alibi, *homines mente corrupti*, grauiſſima

grauiſſima omnium, Deoque inuiſiſſima eſſe acceptimus.

Hoc illud eſt, quod acerbiſſimam, quâ Eccleſia percelli poſſit, calamitatem verius dixeris. Niſi forte acerbius etiam ac perniciοſius videatur, quod reperiuntur, qui pietatis ſtudium præ ſe ferentes, peccatoribus in animæ ſuæ deſiderijs, vt ait Scriptura, blandiantur; qui ægritudinis illorum vim & grauitatem fallaci verborum ſimulatione eleuent, qui *falſam* eis denuntient *pacem*, vt Cypriani verbis vtar, *perniciοſam dantibus, & nihil accipientibus profuturam*; qui id vnum agere videantur, vt crimina, quæ iuſtâ & ſalutari ſeueritate compeſcere debuerant, praua ac peſtifera lenitate confirment; quique ægris animis pœnitentiæ remedia eripientes, *exitioſa* ijs, vt Eccleſiæ omnium Eccleſiarum matris ac principis voces vſurpem, *properatæ Communionis venena propinent*. *Pſalm. 9.*

Hi nimirum ij ſunt, qui vrbis totius alicuius velut faciem commutaſſe, eamque ad vitam verè Chriſtianam traduxiſſe ſibi videantur, cum nihil aliud noui ei attulerint, niſi vt qui Euchariſtiam ſemel quotannis ſumere conſueuerant, ſingulis illam ſumere cœperint menſibus; qui ſingulis menſibus, die quaque Dominicâ eam accipiant. Fateri enim non dubitauerint mores non minus in ea, quàm olim, deprauatos; non minus auaritiam, ambitionem, ſuperbiam feruere; non minus voluptatibus, impudicitiæ, vinolentiæ, fallaciæ, perfidiæ, maledicentiæ, blaſphemiis ſtuderi; poſtremò, vt

fontem ipſum cum Paulo attingam, non minus ſeculi ac ſui vniuerſos eſſe amantes, quam pridem fuerint: Et tamen eorum cauſam conditionemque meliorem factam eſſe contendant, quod octauo quoque die ea narrent Sacerdoti, quæ anteà ſingulis narrabant menſibus, & cæteris criminibus bina ſacrilegia octauo quoque die ſuperadijciant. In quo quidem ſimiliter faciunt, vt ſi quis agri cuiuſpiam vbertatem & copiam prædicet, cuius arbores pulcherrimis veſtitæ folijs venenata poma gignant, aut Gomorrhæorum ſimilia, quæ cum ſpecioſiſſimo cortice arrideant, intus cinerem tantum, ac funeſtas diuinæ vindictæ reliquias tegere dicuntur.

Euangelium quidem iſtos qui nihil mente mutati, nihil de agenda pœnitentia ſolliciti, in Communionibus multiplicandis toti ſunt, miris prorſus atque horrendis modis delineauit; quæque eoſdem, niſi reſipiſcant, calamitas maneat, perſpicuè Chriſti in Capharnaïtas intortâ damnatione præmonſtratum eſt. Chriſtus enim, vt eſt apud Matthæum, in eorum vrbe primùm pœnitentiam prædicauit. Hæc illius vox in ea primùm audita eſt:
Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Quin & Lucæ cap. 4. Capharnaïtas *in doctrina eius ſtupuiſſe*, ac permulta ab illo apud eos ſigna edita extat. Quâ ex geminâ doctrinæ & miraculorum admiratione tantus eos Chriſti amor inceſſerat, vt eum in deſerta etiam loca proſequerentur, & apud ſe retinere vellent, neque ab vrbe ſua

discedere paterentur. Quare profiteri coactus fuit, sibi ad alias quoque ciuitates prædicandi causâ necessariò pergendum.

Ita Capharnaïtæ crediderunt in Christum, doctrinam eius & miracula stupuerunt; delectati sunt quod secum degeret, quod docentem eum audirent, quod ederent vnà & biberent, (omnibus enim apud quos docuisset, B. Lucas illud ascribit, *Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti*,) ad eum conquirendum in deserta penetrarunt, secum etiam detinere, ac ne ab oppido suo discederet prohibere studuerunt, nihil denique ab ijs prætermissum est, nisi quod pœnitentiam non egerunt: quam ob rem solam terribilius in eam ciuitatem quàm in cæteras iudicium detonuit. Luc.13.v.26.

Etenim cum ciuitates quæ miraculis compluribus apud se peractis pœnitentiam non egissent, execraretur: *Væ tibi*, inquit, *Corozain, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis*. In Capharnaum autem horrendas has voces profudit: *Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum demergeris*. Matth.11. & Luc.10.

Præclaram sane eorum imaginem qui impuris animis diuina mysteria frequentant. Ad cœlum vsque attolluntur, cum quotidie in Sacrificio Missæ, cui intersunt, Cœli Deum regemque conue-

niant. Vocem illius in ſacris concionibus audiunt; illius menſæ in ſanctiſſimo Sacramento accumbunt; Chriſtum aut à ſe diſcedere nunquam, aut ad ſe redire quantocyus multiplicatis Communionibus cupiunt. Sed in ijs Chriſtus, vt in Capharnaïtarum oppido moratur, corpore ſuo illorum contingens pectora, non ſpiritu corda complexus. Ita pœnitentiam non agunt, vitam non emendant, ſui ipſorum amore pleni, ac ſeculo mirum in modum adſtricti permanent, eoque pacto Capharnaïtarum exitium ſibi accerſunt, quorum duritiem ad pœnitentiam ſecuritatemque imitantur.

Hæc eſt, vt rurſus dicam, vera pernicies, hæc magna labes Eccleſiæ, quam Apoſtolus lachrymis & gemitibus proſequi iubet, quemadmodum ſibi
2. Cor. 12. ipſe eos qui admiſſis varijs peccatis pœnitentiam non egerant, lugendos eſſe profeſſus eſt. Contrà nihil Eccleſiæ felicius euenire poteſt, quàm vt pœnitentiæ ſtudium in Chriſtianorum animis Deus inſtauret, illiuſque præſidijs & laboribus denuntiata à ſe mala effugere compellat. Autore enim Con-
Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 8. cilio Tridentino: *Nulla ſecurior via in Eccleſia Dei vnquam exiſtimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Enimvero ſingulare in Sponſam ſuam Chriſti amoris indicium eſt, quod in hac poſtremæ ætatis corruptela nonnullos excitat, qui in medio ſeculi æſtu ſecularem omnem inſaniam ac cupiditates ex animo repudient; qui Chriſto ſe totos dedere, at-

que addicere velle profiteantur; qui, vt præstent quod in baptiſmate promiſerunt, idem de integro promittant ac voueant; qui nulla re alia magis quam vitæ Chriſtianæ ac pœnitentis dejectione delectentur; qui vt Ambroſius de Theodoſio loquitur, *magis arguentes quàm adulantes probent*; ſanctamque iuſtitiam fallaci miſericordiæ anteponant; qui vulneribus ſuis præproperam, breuemque ac fluxam medicinam non quærant, ſed iudicem Deum gemitibus & lachrymis, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, voluptatum contemptu, ſeceſſione, ſilentio, ſuperuacaneorum conuentuum fugâ, atque omni piorum operum genere placare conentur; qui ſalutis ſuæ ſtructuram præfulcire ſtudeant humilitate; cuius tam non eſt ſummis Chriſtianæ Religionis myſterijs quàm mox ſeſe immittere, quàm ab iiſdem tantiſper indignitatis ſuæ conſcientiâ refugere; qui Euangelicum de reditu in gratiam cum fratre præceptum, antequam ad ſacrum altare ſe conferant, ſedulò exequantur, & in eam rem naturæ motus & impetus omnemque offenſi animi ſenſum diuini Spiritus robore ſuperent; qui tempora idonea captent, quibus ſingularem voluntatem ac beneuolentiam in eos probare poſſint, quos ſi ſuorum commodorum ratione aut peruerſis ſeculi opinionibus ducerentur, peſſimè odiſſe debuerant; qui denique à Deo ſelecti videntur, vt hominibus qui ſeſe ſeculi tricis ac fluctibus implicuere, ſinceræ conuerſionis exemplum ac formam exhibeant.

Quis Chriſtianus niſi mira cœcitate percuſſus hanc cogitationem ſuſcipiat, nihil Eccleſiæ perniciosius euenire poſſe, quàm ſi tali animo quam plurimi reperiantur; ſectam induci exitialem, ſi ex Euangelij lege viuatur; accuratiorem per pœnitentiæ ſubſidia mentis purgationem, quâ ad myſteriorum omnium maximè terribile ac venerandum aditus muniatur, criminoſam & capitalem habendam; poſtremò, quod vel cogitatu immane & horrendum, conſeruatam & traditam ab Apoſtolis & Patribus vniuerſis animarum à peccato ad Deum reuocandarum diſciplinam, artem & ſtratagema diabolicum cenſeri oportere?

Talis blaſphemia ſolam inſcitiæ excuſationem recipit, ſed in ea qui ſe doctorem profitetur aliorum, nullâ excuſatione prætexi poteſt. Quod ſi aſſeuerare pergis, eiuſmodi diſciplinam à Spiritu Sancto abhorrere, alium Spiritum Sanctum, ac qui in Apoſtolos eſt illapſus, adores oportet, cum illam lapſorum pœnitentiæ agendæ cauſa ab Euchariſtia depellendorum legem ab Apoſtolis Eccleſia acceperit; alium Spiritum Sanctum, ac qui in eadem Eccleſia vniuerſa adminiſtranda Summis Pontificibus adfuit, cum ſanctiſſimæ illius medicinæ ratio toties ipſorum teſtimonijs præfulta fuerit; alium Spiritum Sanctum, ac qui tot Concilijs præfuit, cum Concilia de conſtituendis pro delictorum varietate humilis illius ac ſalutaris ſeparationis temporibus innumeros Canones condiderint; alium denique Spiritum Sanctum, ac qui



SS. Patres instituit & rexit, cum eorum consensu certissimum hoc veritatis oraculum proditum sit posteris; eam demùm tutissimam esse viam prouidendi, ne quis à Cœlitum altari æternùm arceatur, si ab altari mortalium purificandi animi gratiâ sese tantisper ipse subduxerit.

Capvt XVII.

An qui poenitentiae exercitationibvs, hoc est, orationum assiduitate, ieiunijs, eleemosynis, aliisque bonis operibus à peccatorum sordibus se expurgare student, argui meritò poßint, prætermißâ expurgandarum animarum ratione à Christo institutâ, nouam comminisci.

Aduersarius.

Illud etiam deterius, quod sunt, qui à frequenti Confessione deterreant. Pœnitentiæ Sacramentum ad animæ integritatem & puritatem assequendam institutum est: nonne Christo injuriam faciat, qui existimet satius esse alijs eam rationibus quærere, quàm quas ipse Ecclesiæ tradidit?

Responsio.



Animi tui æstus, dum te quid agas non satis expendere patitur, ita orationem tuam perturbat, vt ægrè admodum dijudicari possit, quidnam tibi tantoperè stomachum moueat. Si enim pijs hodie vsitatas venialium culparum con-

fessiones intelligis, insigni calumniâ simulas, esse quemquam pietatis studiosum, qui ab huiusmodi Confessionum crebritate deterreat. Cæterum fides docet, vtilem esse Confessionem, non necessariam leuioribus culpis diluendis, *quæ multis alijs remedijs expiari possunt*, vt apertè Synodus Tridentina docuit. Qua ratione sine hæresi negari non potest, alia esse præter Confessionem abstergendis quotidianis animarum maculis à Christo instituta remedia.

Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.

Sin autem ista sæpius confitendi consuetudine crebras eorum Confessiones complecteris, qui cum flagitiosè viuant, peccatisque mortiferis se assiduè contaminent, satis habent, si ea crebrò apud Sacerdotem profiteantur, nec ab ijs vnquam discedant; non verebor summo Apostolicæ Sedis Antistite autore, affirmare, quisquis Christi Sacramenta perpetuò ad istum modum illudi ferat, non tam erga flagitiosos benignitatem expromere, quàm flagitiorum illorum conscientiam sibi societatemque asciscere. *Remitti enim*, inquit Gelasius, *culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps sinitur mansura peruersitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assentio.*

Gelas. ep. 3.

Sed quia satis iam multa de hac prauitate atque abusu diximus, plura dicturi, si idonea Responsione coegeris, satius est videre quale sit, quod deinceps addis: *Cum pœnitentiæ Sacramentum ad animæ integritatem & puritatem assequendam institutum sit, Christo injuriam facere, qui existimet, satius esse alijs eam*

rationibus

rationibus quærere, quàm quas ipse Ecclesiæ tradidit. At ego verbo respondeo; Si quid rei sit Sacramentum pœnitentiæ intelligeres, nihil excogitari à te potuisse, quod prauis tuis dogmatibus magis officiat.

Iam enim ante à nobis demonstratum est, vltimam Synodum Oecumenicam ex Patrum omnium sententia & verbis, pœnitentiam *Baptisma laboriosum, baptisma lachrymarum* statuere: Aduersus nuperos hæreticos qui vniuersi pœnitentiæ bellum indixerunt, ab ea decerni, *diuinam exigere iustitiam, vt hoc altero baptismo non sine magnis nostris fletibus renouari possimus*: Impiorum istorum temeritatem ab ea damnari, qui è tribus pœnitentiæ partibus eam maxime oppugnant, quam Ecclesia perpetuo tempore Christiano populo maxime commendauit, hoc est, satisfactionem, quæ ieiunijs, orationibus, eleemosynis, aliisque pietatis operibus continetur: Hac denique præcipua vti ratione, cur peccatorum omnium mortalium singularis & enucleata confessio iure diuino sit necessaria, quod, nisi peccatis sigillatim cognitis, Sacerdotes in pœnis injungendis æquitatem seruare non possint. Quare cum ipsa veritas à te expresserit, vt fateare ad assequendam, vel recuperandam potius animæ puritatem, Sacramentum pœnitentiæ à Christo institutum, neque porro inficiari sit integrum ad fructuosum Eucharistiæ vsum puritatem integritatemque istam necessariò postulari; consequens est, vt Christi voluntati plenè & cumulatè respon-

deatur, omnes qui à gratia exciderunt, hoc laborioso baptismate, quod Concilio & Patribus testibus tanta fletuum, acerbitatum, & laborum vi constat, defungi oportere, vt Eucharistiâ dignos se præstent.

Quod si Sacramenti pœnitentiæ appellatione solam confessionem afficias, sicut & articuli huius initium, & alia Scripti tui loca significant, eosque qui præter confessionem, ieiunijs, orationibus, eleemosynis, offensarum condonatione, aliisque bonis operibus peccatorum maculas abstergere nitantur, criminari velis, alijs rationibus quàm quas in Ecclesia Christus instituit, animæ puritatem exquirere: haud grauatè affirmauerim, huiusmodi accusationem manifestæ hæreseos ream videri, cum salua fide negari non possit, istiusmodi pœnitentiæ actiones diuina esse subsidia à Christo ipso purificandis animis præparata.

Nec vero necesse est argumenta colligere ad confirmandum dogma apud Catholicos omnes adeo exploratum, vt nullos adhuc nisi Ecclesiæ hostes aduersarios habuerit, & tam luculenter in diuinis voluminibus à Deo ipso expressum, vt si Tertulliani vocem vsurpare liceat, *solis ipsius radio* scriptum videatur. Quid enim his verbis clarius:

Luc. 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittemini.*
Ib. 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*
Prou. 15. v. 28. *Per misericordiam & fidem peccata purgantur.*
Dan. 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.*
Tob. 12. v. 9. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est*

quæ purgat peccata. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu: Insunt alia eiusmodi innumera, quibus Catholici Theologi aduersus temporum nostrorum hæreticos vulgò vtuntur, quæque Cardinalis Bellarminus rectè monet, non de remissione peccatorum, *quoad pœnam* duntaxat, sed etiam *quoad culpam* intelligenda, quatenus hæc pœnitentiæ opera præparationes sunt, & *dispositiones ad iustificationem*. Eccli. 3. v. 33. Ioël. 2. v. 12.

Nam *Libro 3. de Bonis operibus in particulari cap. 3. de Eleemosyna*, cum Tobiæ locum attulisset, *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat*; similemque Ecclesiastici: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum: Loquuntur*, inquit, *Ecclesiasticus & Tobias de eleemosynis quæ sunt fructus pœnitentiæ: Verè enim eiusmodi eleemosynæ, partim vt dispositiones ad iustificationem*, PECCATVM ETIAM QVOAD CVLPAM SVO MODO DELENT, *dum gratiam impetrant iustificationis: partim post acceptam remissionem culpæ satisfaciunt pro pœna temporali, & suo quodam modo peccatum extingunt.*

Sequenti vero capite eleemosynæ fructus explicans: *Eleemosyna*, inquit, *dispositio est ad gratiam iustificationis, si fiat ab eo qui pœnitentiam agere incipit, & ex Dei motione & auxilio speciali. De hoc fructu loquitur Salomon Prouerb. 15. Eleemosynis & fide peccata purgantur; Et Dominus Lucæ 11. vt suprà exposuimus: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis; Et Lucæ 19. cum dixisset Zachæus: Ecce dimidium*

bonorum meorum do pauperibus, &c. adjunxit Dominus: Hodie ſalus huic domui facta eſt. Denique Actorum 10. Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Ex quo loco probat S. Auguſtinus in 1. Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. Cornelium per eleemoſynas impetraſſe à Deo gratiam fidei Chriſtianæ, & perfectæ iuſtificationis.

Quæ Cardinalis Bellarmini oratio Patrum omnium ſententiæ conſentanea plurimùm valet ad popularem errorem extirpandum, qui ex praua Theologici dogmatis interpretatione manare cæpit. Quod enim vulgò docent Theologi nihil quod ab homine fiat mortali addicto culpæ Deo probari, nonnulli dicti huius vim minus capientes, eò abierunt, vt ieiunia, vigiliæ, orationes, carnis afflictationes, aliaque huiuſmodi opera ante Sacerdotis abſolutionem ſuſcepta, vana illis atque irrita, ſeu, vt vocant, mortua, nulliuſque apud Deum pretij videantur. Ex quo ſequeretur, Patres omnes, qui eodem Cardinali teſte, *ſemper peccantibus poſt baptiſmum grauiſſimos labores impoſuerunt, antequam eos reconciliarent*, eoſque annis compluribus, imo toto interdum vitæ ſpatio, in pœnitentiæ ſqualore & ſordibus continuerunt, priuſquam reconciliationis gratia potirentur, in magnis inſcientiæ atque erroris tenebris verſatos (quod ne hæretici quidem palam prædicare auſint) inhumanæque auſteritatis apud Deum reos, quod lapſos ad pœnitentiam confugientes, inutilibus & ſuperuacaneis laboribus nullo operæ pretio exercuerint, ad legem

Lib. de Bapt. cap. 18.

nouam durum & importabile legis antiquæ protrahentes iugum, cuius in eo potissimùm grauitas erat, quod, quemadmodum Paulus sæpè significat, tot laboriosissimæ obseruationes ad veram animarum munditiem & sanctitatem nihil conferrent.

Quare vt ab opinatione tam absurda, Sanctisque Patribus, alteris post Apostolos Spiritus Sancti organis, Ecclesiæque oraculis, adeo contumeliosa longè refugiamus: pro certo exploratoque habendum est, Theologorum illud effatum ad eos duntaxat pertinere, qui in peccati mortalis cœno ita hærent, vt eo voluntatem adhuc implicatam habeant, neque illinc sese expedire conentur.

Hi nempe illi sunt peccatores atque impij, quorum dona, Scriptura teste, auersatur Altissimus; quorum oblationes & sacrificia abominatur; quorum orationes ipsæ in peccata vertuntur. Hi sunt, quos vitijs offirmatos tam acriter & feruidè Patres insectantur, monentes atque inculcantes, inscitiæ stultitiæque singularis esse, confidere, qui in sceleribus ac vitijs perstent, vberiore in pauperes beneficentia à diuinis pœnis vindicandos, illiusque mitigaturos iras, quem criminibus lacessere nihil intermittant.

Sanè, inquit Augustinus, *qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustrà sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda* *Aug. Enchirid. c. 75.*

sunt vobis. Quibus ab alio Patre meritò additur:
Eligius hom. 8. *Hanc istis vanam securitatem à crudeli humani generis inimico ingeri: vt cum crimina quotidiana committant, putent quod Deus corruptorum iudicum more, pecuniam accipiat, & peccata dimittat. Accipit planè,* inquit vir Sanctus, *Deus pecuniam, & eleemosynis delectatur; ea tamen ratione, vt vnusquisque peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat illi & animam suam. Quænam enim, fratres, iustitia est, vt aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam Deo offerat, & animam suam diabolo per iniqua opera tradat? In pecunia imaginem Imperatoris offert Deo, & in seipso imaginem Dei tradit Diabolo;* Quod ab Ambrosio breuius dictum est: *Sua tradunt Christo, seipsos Diabolo.*

Sic Sancti Patres durissimos atque insanabiles istos increpant, quorum hodie tanta est turba, qui pauculis eleemosynis cœlum redimere velint, dum quotidianis sceleribus æternam sibi damnationem accersunt.

Quod vero ad eos attinet, quorum animi Spiritus Sancti impulsu peccatorum dolore commouentur, quique, vt ait Cardinalis Bellarminus, *ex Dei motione & auxilio speciali pœnitentiam agere incipiunt*, quis credat, quascumque orationes fundant antequam reconciliationis gratiam consecuti sint vt eam consequantur, quibuscumque laboribus & ærumnis diuinæ iustitiæ satisfacere studeant, quibuscumque eleemosynis, autore Scriptura, peccata redimere conentur, quibuscumque bonis operibus misericordiam Dei eme-

reri contendant, omnia caſſa & inania, nec vllius emolumenti fore.

Longe alia Eccleſiæ mens eſt, quippe que Patrum voce diligentiſſimè ſemper docuit, quemadmodum peccatoribus iſtis, quos ante commemoraui, in flagitiorum luto ſemper hærentibus, nihil prodeſt pecuniarum in egenos effuſio, ita plurimum ijs prodeſſe, qui de emendanda vita ſeriò cogitant, liberalique rerum ſuarum largitione veræ ſolidæque conuerſionis gratiam à Deo impetrare nituntur. Quod vtrumque veriſſimum & grauiſſimum caput vno loco D. Auguſtinus egregiè tradit. *Sanè*, inquit, *cauendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Quod ipſum Lactantius paucioribus verbis complectitur: *Nec tamen*, inquit, *quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes: abolentur enim ſi Deo largiare quia peccaueras: nam ſi fiducia largiendi pecces, non abolentur.*

Aug. Enchir. c. 70.

Lactant. lib. 6. c. 13.

Ex quo plane intelligitur, eleemoſynas (idemque de alijs pietatis operibus iudicium eſt) ijs qui peccato mortali tenentur prodeſſe vnà & non prodeſſe pro varia animorum affectione & ſtudio in

ijs præstandis. Ad istorum enim peruicacium & insanabilium damnationem valent, qui vitiorum amore capti, imminentium à Deo suppliciorum timore perculsi, impunitam flagitiosæ vitæ licentiam pretio quodammodò redimere velint. At maximum ijs afferunt fructum, quibus diuina gratia veram sinceramque ab exitiabili peccatorum seruitute sese expediendi voluntatem immisit, quique eam ob causam ex Christi monitu quam plurimos sibi mammonâ iniquitatis amicos apud Deum parare student.

Quare Augustinus ad circumscribendum tollendumque errorem istum nihil à peccatoribus proficisci posse, quod Deo sit acceptum, sæpius docet, illam cœci Euangelici vocem, *Deus peccatores non audit*, hominis esse, *qui oculos corporis iamquidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant. Adhuc inunctus loquitur, nam & peccatores exaudit Deus: si enim peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori; & ista confessio meruit iustificationem. Quanquam enim*, vt alio loco addit, *iustificatus destiterit esse peccator, tamen vt iustificaretur peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus iustificatus est, vt desineret esse peccator. Non vtique desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator.* Ex quo appositè ad rem nostram concludit: *Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri, sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri Veritas testis est.*

Ioan. 9. v. 31. Aug. Tract. 44. in Ioan.

Idem Lib. 2. contra Epist. Parmen. c. 8.

Cæterum

Cæterum errori etiam locum dedit alia Catholicæ doctrinæ ſanctiſſima ſententia à pleriſque perperam intellecta, quâ, ſine gratia nihil quod Deo gratum ſit fieri poſſe, decernitur. Cum enim hîc vox *gratiæ* eam ſignificet, quam Theologi *actualem* vocant; ipſi *habitualem & ſanctificantem* intelligunt; ex eoque vitiosè colligunt, niſi quis gratiam illam, iuſtitiamque apud Deum aſſecutus fuerit, nihil quod illi probetur, atque ad ſalutem conducat edere nauareque poſſe. Quod vniuersè dictum tam à veritate alienum eſt, quàm vera eſt doctrina, ex quâ perniciosa iſta concluſio efficitur. Quare, vt effugiatur error Chriſtianæ pietatis inſtitutis in primis noxius, cauendum, ne duo longè diuerſiſſima miſceamus ac confundamus, STATVM GRATIÆ, &, AVXILIVM GRATIÆ; ESSE IN GRATIA, &, OPERANDI EX GRATIA NECESSITATEM.

Status gratiæ ad gratiam ſanctificantem ſpectat, per quam Spiritus Sanctus in animæ noſtræ poſſeſſionem venit, ex ea regiam ac templum ſibi comparat, eam ſingularibus ornamentis circumueſtitam ac renouatam Sponſam Chriſti efficit, imo Chriſtum ipſum, pro ineffabili membrorum cum capite conjunctione, ex qua ſolenne illud Auguſtini ab Apoſtolo acceptum: *Caput cum corpore ſuo vnus eſt Chriſtus*. Hanc Patres *gratiam remiſſionis peccatorum* dicunt, quod per eam condonentur à Deo & detergantur: *Gratiam regenerationis*, quod iterum Spiritu genitos *diuinæ*, vt ait Petrus, *naturæ* 2. Petr. 1. v. 4.

consortes præbeat: *Gratiam adoptionis*, quod ex Diaboli filijs Dei filios efficiat: *Gratiam sanctificationis*, quod ipsius sanctitatis Christi communicatione Sanctos præstet: *Gratiam* denique *inhabitationis*, quod per eam Spiritus Sanctus totaque Diuinitas mentes nostras insidet, ac velut viua Dei viui templa incolit. Quam immensam Dei erga nos beneficentiam, *quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat*, admiratus Augustinus: *Et ideo*, inquit, *multum mirabilis res est, quemadmodum quorundam nondum cognoscentium Deum sit inhabitator Deus, & quorundam cognoscentium non sit. Nec enim illi ad templum Dei pertinent, qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: Et ad templum Dei pertinent paruuli sanctificati Sacramento Christi, regenerati Spiritu Sancto, qui certe per ætatem nondum possunt cognoscere Deum. Vnde quem potuerunt illi nosse, nec habere, isti potuerunt habere, antequam nosse.* Hoc ergo sonat *gratia*, & hæc est vocis illius vis, vbi quis IN GRATIA, vel IN STATV GRATIÆ esse dicitur.

Aug. ep. 57.

At longe alia est eiusdem verbi notio, cum pro gratia accipitur, per quam piè agimus, & pro Dei auxilio, quod ex Conciliorum & Patrum decretis, *ad singulos actus datur*. Sic enim non Dei mentes nostras sanctitate imbuentis habitationem, sed eiusdem voluntates nostras, siue iam inhabitet, siue nondum inhabitet, mouentis ac regentis actionem dicit. *Aliter enim*, inquit Augustinus, *spiritus adjuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans*. Atque illud

Aug. ep. 105.

in primis animaduertendum, vniuersam Ecclesiæ cum Pelagianis concertationem, non prioris generis gratiam, quam illi non inuiti agnouerunt, sed posteriorem spectasse, *quæ subministratione Spiritus Sancti datur, vt ad actus singulos adjuuemur*, quemadmodum Ecclesiæ nomine ait Augustinus: quamque alibi definit: *Inspirationem dilectionis, vt cognita sancto amore faciamus.*

Idem de Gestis Pel. c. 14.

Idem ad Bonif. lib. 4. c. 5.

Cum igitur vsitata Christianæ pietatis consuetudine quam Scripturæ & Traditionis Ecclesiasticæ oracula pepererunt, nihil quod Deo probetur sine gratia fieri posse dicitur, non gratia illa habitualis & sanctificans iustorum propria intelligenda est, sed gratia, quam actualem appellant, quæ cœlestis est & ineffabilis suauitas quam cordibus nostris Spiritus Sanctus infundit, vt quæ iusta sunt iustitiæ amore faciamus.

Hæ vero diuinæ gratiæ motiones atque impulsus, non ijs solis, qui *statum gratiæ*, hoc est iustitiam & sanctitatem sunt assecuti, contingunt, sed vel maximè reis interdum à Deo donantur, dum ijs veræ conuersionis desideria inspirat, paulatimque à seculi cupiditatibus abstractos ad sui cultum atque amorem attrahit. Quare alienissimum est à veritate, peccatis mortalibus obligatos nihil agere posse quod cuiusquam sit ad salutem momenti, atque ad obtinendam peccatorum veniam conferat. *Nec ipsa*, inquit Augustinus, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus pro-*

Epist. 105.

pitius esto mihi peccatori. Et descendit iustificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur.

Atque eò vel maxime admiranda est diuinæ gratiæ dispensatio, quod cum tota gratuita sit, & ab incomprehensa Dei benignitate suspensa, ita tamen varia eius beneficia dispertit, vt priora posterioribus viam muniant, & munerum illius initia promerendis incrementis inseruiant. Vt iam minus mirum videri necesse sit, quæ ab homine pœnitentiæ sensu ex animo fiunt Deo cordi esse, atque ad iustitiam assequendam conducere, cum non tam ipsius, quam Dei mouentis ac sedem sibi apud eum sanctis illis affectionibus præparantis sint opera.

August. in Psalm. 8. *Hominem nouum*, inquit Augustinus, *pœnitentia veteris parturit cum dolore & gemitu.* Atque ad hæc

Idem in Psalm. 50. Regij Prophetæ verba: *Et à peccato meo munda me. Quo merito?* inquit, *Medicus est, offer mercedem: Deus est, offer sacrificium. Quid dabis vt munderis? Vide enim quem inuoces. Iustum inuocas, odit peccata: Si iustus est, vindicat in peccata: Si iustus est, vtique non poteris auferre à Domino Deo iustitiam eius. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam. Non impunitum erit. Sed ideo nolo vt tu me punias, quia*

ego peccatum meum punio. Ideo peto vt ignoscas, quia agnosco. Et paulo post: *Veritatem dilexisti: hoc est, sic misericordiam prærogasti, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti,* IGNOSCIS, SED SEIPSVM PVNIENTI. *Ita seruatur misericordia & veritas; misericordia, quia homo liberatur; Veritas, quia peccatum punitur. Plangenda sunt peccata, quomodo audistis plangere istum: Quoniam ego cognosco, & curam geram pro peccato meo. Ne securus sis cum confessus fueris peccatum, tanquam semper præparatus ad confitendum & committendum peccatum. Sic pronuncia iniquitatem, vt curam geras pro peccato tuo; hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lachrymæ currunt, & manus cessant, fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt tu gaudeas de dato Dei. Hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt ad abluendum & sanandum peccatum meum.* Quid luculentius dici potuit, vt doceretur, lachrymas & eleemosynas, *ad abluendum & sanandum peccatum*, adeoque *ad puritatem atque integritatem animæ assequendam* diuinitus comparata esse præsidia. *Idem in Psal. 37.*

Quod quidem magis etiam constabit, si meminerimus traditam Ecclesiæ à Christo legem, ne qui pœnitentiæ exercitationibus animos emaculare contendunt, nisi ex Sacerdotis præscripto quicquam suscipiant, cum autore Gregorio: *Afflictio pœnitentiæ ad redimenda peccata tum demum idonea sit,* *Gregor. lib. 3. c. 5. in 1. Reg. c. 7.*

cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata. Qua ratione labores & acerbitates, durioraque istiusmodi remedia quibus pœnitentium vulnera curantur, non iam per se ac suo modulo spectanda sunt, sed vt à Confessore præscripta Sacramenti pœnitentiæ partem præstare cœperunt, & potestatis Sacerdotalis, quæ eadem Christi est, efficientiâ, nouam ad abluenda, sanandaque peccata vim ac pondus adepta sunt.

Hinc [a] *peccatorum veniam*, [b] *mentisque purgationem ac iustificationem*, satisfactioni quam absolutio sequebatur vniuersi Patres ascribere non dubitant; passimque docent: [c] *Hoc pretio Deum veniam addicere instituisse, hac pœnæ compensatione redimendam proposuisse impunitatem.* [d] *Exomologesin*, hoc est, laboriosæ pœnitentiæ publicam dejectionem, *gehennam extinguere.* [e] *Temporalem afflictationem, æterna supplicia, non frustrari modo sed expungere.* [f] *Præsenti fletu redimi futura gaudia : &* [g] peccatis mortuos *carnis interitu reuiuiscere*.

a Eligius hom. 11. Confessio, Pœnitentiá monstrat. Pœnitentia satisfactionem ostentat. Satisfactio veniam sibi diuina pietate conciliat. *Et Hil. in Psal.* 118. Hæc venia peccati est fonte fletuum flere, & largo lachrymarum imbre madefieri. *b D. Leo ep.* 91. *asserit* salubri satisfactione Pœnitentes purgari & posteà reconciliari. *Greg l. 6. in* 1. *Reg.* Quidam volunt peccati delectationibus resolui, sed Pœnitentiæ nolunt acerbitate purgari. *Et Hesichius lib.* 2. *in Leuit.* Carnes Pœnitentiæ intelligimus, Vigilias, Cilicinum vestimentum cum lachrymis, orationem, Eleemosynam. Ex his enim consistit Pœnitentia, quæ qui tangit rectè sanctificatur. *c Tertull. lib. de Pœnit. c.* 6. *d Ibid. c.* 12. *e Ibid. c.* 9. *f Theophil. Alexandr. in* 1. *Pasch. ep.* *g Pacian. ep.* 3.

Similia passim apud Patres occurrunt, qui vniuersi affirmant lachrymis, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, carnis vexationibus, aliisque pœnitentiæ munijs peccata [h] *ablui*, [i] *purgari*, [k] *deleri*, [l] *tegi*, [m] *aboleri*, [n] *redimi*, [o] *curari*, [p] *expiari.* Itaque vel rudioribus facile perspicuum sit, non alio

h Ambr. lib. 1. *de Pœnit. c.* 2. Maiora crimina maioribus fleti-

quàm erroris motu eos agi, qui vitio tribuant & crimini, quod non confeſſione ſola, ſed & pœnitentiæ operibus ad eluendas peccatorum maculas inſtetur, quaſi Chriſto contempto alia atque ipſe inſtituerit, ſalutis ſubſidia inducantur.

bus ABLVVNTVR. *Cypr. ep. 55. ad Cornel.* Datur opera ne vulnera lachrymis ABLVANTVR. *Et de Opere & Eleemoſ.* Vt ſordes poſtmodum quaſcunque contrahimus, Eleemoſynis ABLVAMVS.

i *Cypr. de lapſis.* Iuſtis operibus incumbere quibus peccata PVRGANTVR. *Seuerus lib. 2. dialog. c. 13.* Fornicatio deputatur ad pœnam niſi ſatisfactione PVRGETVR. *Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. c. 5.* Tegamus lapſos noſtros poſterioribus factis, MVNDEMVS fletibus. *Prouerb. c. 15.* Eleemoſynis & fide delicta PVRGANTVR.

k *Greg. lib. 6. in 1 Reg.* Tunc benè conuerſum peccatorem cernimus, cum dignâ afflictionis auſteritate DELERE nititur, quod loquendo confitetur. *Orig. hom. 6. in Exodum.* Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo DELEAT quod admiſſum eſt.

l *Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. c. 5.* Vtrumque beatum dixit (Dauid) & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum TEGITVR operibus bonis Qui enim agit Pœnitentiam, non ſolum diluere lachrymis debet peccatum ſuum: ſed etiam emendatioribus factis OPERIRE & TEGERE delicta ſuperiora, vt non ei imputetur peccatum.

m *Lactan lib. 5. c. 13.* Peccata largitione tolluntur, ABOLENTVR enim ſi Deo largiare, quia peccaueras. *Et Caſſiod. in Pſalm. 37.* Et cogitabo pro peccato meo, id eſt, talia, te donante, faciam quæ meum poſſint ABOLERE peccatum, ſcilicet fletus adhibebo, Eleemoſynas faciam, & ab hoc quod deliqui, mandatorum tuorum me obſeruatione purgabis.

n *Cypr. ep. 55.* Datur opera ne ſatisfactionibus & lamentationibus iuſtis peccata REDIMANTVR. *Et tract. de lapſis.* Ad hoc tantum profuerit quod remanſit, vt inde crimen & culpa REDIMATVR. *Daniel. 4.* Peccata tua eleemoſynis REDIME.

o *Cypr. ibidem.* Dedit illis Deus Spiritum tranſpunctionis, ne reuertantur ſcilicet & CVRENTVR, & deprecationibus & ſatisfactionibus iuſtis peccata SANENTVR. *Greg. lib. 6. in l. 1. Reg.* Tertia ſpecies, id eſt vindicta quaſi medicina neceſſaria eſt, vt apoſtema reatus, quod conuerſione compungitur, confitendo purgetur, afflictioniſque medicina SANETVR.

p *Cypr. de lapſis.* Ante EXPIATA delicta, ante exomologeſim factam criminis.

Quod ſi tam indignæ homine Catholico criminationis prauitate perculſus, ab hoc conſilio abeſſe videri cupies, tuum erit demonſtrare, quæ tandem igitur ſint iſta ſubſidia à Chriſto Eccleſiæ nequaquam tradita, quæ ad animarum puritatem conciliandam neſcio quos adhibere conquereris. Quod vbi præſtiteris, iam nunc palam facturum me ſpondeo, inaniſſimam iſtam criminationem non aliis quam inſcientiæ, vel calumniæ fundamentis nixam, aut veritatem apertis erroribus, aut

innocentiam ſplendidis mendacijs petere ; & vtrobique non homines, ſed Chriſtum ipſum violari, dum vel eius Euangelij doctrinam ſubuertis, vel ſeruorum illius famam atrociter fœdas, eò iniquius, quod maledicentiam verborum obſcuritate inuoluens, eiuſque venena furtim diſſeminans, vnâ operâ & tibi veritatis inuadendæ licentiam parare, & illi tuendi ſeſe ac repugnandi facultatem eripere contendis.

FINIS.

ILLVSTRISS. ANTISTITVM LIBRI DE FREQVENTI COMMVNIONE APPROBATORVM,

Ad Summos Pontifices

VRBANVM VIII. & INNOCENTIVM X. EPISTOLÆ.

QVIBVS EVNDEM LIBRVM Apostolicæ Sedi honorificentissimè commendant, & ab Aduersariorum criminatiionibus vindicant.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO VRBANO VIII. PONTIFICI MAX.



SANCTISSIME PATER,

Antiquam ac laudabilem Maiorum nostrorum consuetudinem, qua, quæ in priuatis Ecclesijs difficiliora occurrebant, ad Apostolicam Sedem, quam omnium Ecclesiarum sollicitudo manet, per Epistolas referebant, si quod vnquam tempus renouari postulauit, hoc certè imprimis istud à nobis exigere videtur. Quamuis enim vitæ nostræ, quæ omnis tentatio est super terram, nulla pars ab Episcopali sollicitudine vacare possit, sempérque, iuxta Apostoli præceptum, nobis & vniuerso gregi attendere debeamus, tunc tamen ad supremum CHRISTI Vicarium maximè recurratur necesse est, cùm non modò obscuriora eius corporis membra, sed & illustriora quæque, atque adeò ipsum eius caput vocum alienarum profanis nouitatibus impetitur. Neque enim dissimulare possumus quod oculis & quotidiana experientia compertum habemus, quædam hîc à nonnullis periculosa induci dogmata, quibus suprema BEATITVDINIS VESTRÆ autoritas, vel ipsâ profitente, non minuitur modo, sed destruitur; Ecclesiasticæ Hierar-

chiæ vniuerſitas,ac maximè Epiſcopalis Ordo labefacta-tur; diuinorum Sacramentorum vſus, qui ſacer omnino ac ſalutaris eſſe debet, in pernicioſum ac pijs omnibus deplorandum abuſum ſæpiſſimè conuertitur; deprauatis denique ac corruptis hominum moribus, blandimenta potius atque operimenta, quàm ſalubria remedia com-parantur; vt è ſententijs ex libris illorum fideliter excer-ptis nemini non apertum atque exploratum eſſe poteſt. Huic autem malo, cùm pro Epiſcopalis Charitatis mune-re quantùm in nobis fuit, occurrere conſtituimus, pro-teruis concionibus in autoritatem noſtram inſurgere, turbas concitare, atque Eccleſiaſticæ poteſtati contuma-cem peruicaciam omni ſtudio opponere auſi ſunt. Et hęc quidem vis illorum, ac Chriſtianis cordibus parum dignę molitiones tum maximè emicuerunt, cùm Liber de Fre-quenti Communione, ab Antonio Arnauld Doctore Sorbonico conſcriptus, ſexdecim tum Epiſcoporum, tum Archiepiſcoporum, ac ſuprà viginti Facultatis Pari-ſienſis Doctorum Approbatione munitus, in lucem pro-diit. Cùm enim ſcriptum quoddam ab vno è ſuis hoc in libro manifeſtiſſimis Sanctorum Patrum teſtimonijs re-uinci æquo animo ferre nequirent, vias omnes exquirere cœperunt, quibus & iudicij noſtri authoritatem infrin-gere, & doctrinam illam infamare, & Autorem ipſius, vel potius Paternæ Traditionis exſcriptorem, in odium at-que inuidiam vocare poſſent. Quod quàm iniquè geſſe-rint, Sanctissime Pater, non difficilè S. V. æſti-maturam confidimus, ſi cauſas quibus Librum ipſum ſubſcriptionibus noſtris comprobandum eſſe decreui-mus, æquiſſima iudicij ſui lance expenderit. Primùm

enim, si Autoris propositum spectetur, non sua, sed Sanctorum Patrum voce loqui profitentis, constat eum in animo nihil aliud habuisse, aliud in ipso opere nihil præstitisse, quàm vt SS. Ecclesiæ Doctorum, Summorum Pontificum, ac Conciliorum perpetuam & constantem de Pœnitentia, & sacra Communione doctrinam, & Canonicam illam ac sanctissimam consuetudinem proponeret & commendaret, quæ in Ecclesia pluribus sæculis religiosissimè obseruata, posterioribus etiam temporibus expetita, laudata, & quantùm per refrigescentem hominum Charitatem licuit conseruata, atque in præcipuis eius partibus instaurata est, studio atque eximia pietate Summorum Pontificum, & Illustriss. Ecclesiæ Romanæ Cardinalium Gropperi, ac S. Caroli Borromæi, & Mariani Victorij Ameliæ in Italia Episcopi, quem Summi Pontifices, vt Apostolicæ Sedi addictissimum, & Ecclesiasticæ veritatis intelligentissimum, in amore semper, atque in honore habuerunt. Si verò fructus scriptionis attenditur, non obscura spes esse debuit, obseruatis ijs quæ tanta SS. Patrum consensione prolata fuerunt atque tradita, magnum fore nobis operæpretium ad corruptelas morum expurgandas, effrænatámque illam quorumlibet flagitiorum, quæ nunquam tanta fuit, licentiam, augentibus eam in dies nouitijs quibusdam casuum conscientiæ Architectis, Dei misericordia largiente, compescendam: quorum libri complures, & à S. V. æquissima Censura proscripti, & à Clero Gallicano Censuræ per omnes Prouincias promulgatæ. Accedit quòd dum paci non minùs quàm veritati consulit, nullam legem cuiquam, nullam necessitatem imponit; Frequentissimam sacræ Euchari-

ſtiæ participationem ſuadet, non tollit, eiúſque peruerſum vſum tantùm reprehendit; Abſolutionem non debere ſemper, ſed aliquando poſſe differri tuetur; Eandem non declarare modò remiſſum eſſe peccatum, ſed & peccati remiſſionem operari, & gratiam conferre docet; Non id agit, vt antiqua & publica Pœnitentia redintegretur, ſed eos qui aliquam eius partem, Deo impellente, æmulari voluerint, laude potiùs quàm vituperatione dignos oſtendit; Veterem Pœnitentiæ agendæ conſuetudinem, Pontificum, Patrum, Conciliorum autoritate firmatam, non omnibus indicit, ſed ſolis ſuâ ſponte Pœnitentibus proponit; Præſentem autem Eccleſiæ ſine præuia Pœnitentia abſoluendi morem, non modò non damnat, ſed etiam, quamdiu ex Eccleſiæ mente obſeruatur, à nemine ſine magno errore damnari poſſe pronuntiat; Ipſam Eccleſiam (quæ, quia Chriſti Corpus eſt, de ſpiritu Chriſti viuit) ab ipſo perpetuam in continua temporum viciſſitudine vnitatem, & inuiolabilem in præſcribendis tum fidei, tum morum ac diſciplinæ regulis infallibilitatem trahere ſponte ac vltro profitetur; Denique, vt ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris verbis vtamur, ad maiora ſic excitat, vt minora non damnet. Licuit nobis, SANCTISSIME PATER, imò libuit, in hoc pietatis argumento verſantibus, eximium illum Summi Pontificis Gregorij VII. zelum æmulari, qui ne falſarum Pœnitentiarum conſuetudo in Eccleſia inualeſceret, Romæ, atque in Gallia Concilia haberi procurauit. Adducti etiam ſumus autoritate vniuerſalis Eccleſiæ, quæ ſupremi illius Chriſti Vicarij exemplo prouocata, in Concilio Oecumenico Lateranenſi, ſub Innocentio II. habito, Epiſcopos ac Preſbyte-

ros admonuit, ne falsis Pœnitentijs Laïcorum animas decipi, & in Infernum pertrahi paterentur. Quod cùm in hoc Libro egregiè præstitum, & ad mentem Sacrosancti Concilij Tridentini (cuius decreta quantum in nobis erat obseruare, atque alijs obseruanda commendare studuimus) accommodatè vsurpatum videremus, è re Ecclesiæ meritò futurum confidimus, si nostris eum Elogijs, vtpote S. Caroli, Tridentinæ Synodi fidelissimi & certissimi Interpretis auctoritati ac vestigijs inhærentem, ornaremus. Præsertim cùm pateret hac saluberrimâ de Confessione Sacramentali, & Satisfactione, ex præscripto Tridentinorum Patrum, & antiqua ac perpetuâ Majorum nostrorum Traditione, doctrinâ, non minùs Catholicam veritatem à Lutheri & Caluini erroribus, quàm Christianam integritatem à vitijs ac morum deprauatione defendi; atque ideò Ecclesiæ vniuersæ eò fore vtiliorem, quòd ei offerat simul vnde & filij sanentur, & hostes profligentur. Neque enim quidquam Caluinianorum in Sacrosanctam Eucharistiam blasphemantium, animos validiùs ac sanctiùs afficere potest, quàm si attenderint in Libro illo, quantâ animi puritate ac submissione latentem in tremenda Hostia Diuinitatem omnium Patrum, Conciliorum, ac sæculorum consentiens pietas venerata sit. Autorem verò idcircò libentiùs S.V. commendamus, quod illum Ecclesiasticæ vnitatis & pacis, non minùs quàm veritatis, amantissimum nouerimus, déque illis omnibus, quæ superiùs à nobis fideliter expressa & exposita sunt, idem sentire nobiscum, Opúsque suum, quâ decet reuerentiâ, V. S. iudicio submittere, Declaratione in eam rem ab ipso sponte ac vltrò exhibitâ, confirmamus. His rebus

adducti, Beatissime Pater, Sanctitatem Vestram rogamus atque obtestamur, ne doctrinam illam Summorum Pontificum oraculis toties consecratam, quam non sanam modò, sed sanandis peccatorum mentibus aptissimam, sanctâ animorum conspiratione, iudicauimus, parum æquis quorumdam iudicijs atque consilijs in destructionem trahi potiùs, quàm in ædificationem vsurpari patiatur; Eísque silentio imposito, Episcopalem simul dignitatem, à cuius contemptu ad supremæ Sedis impugnationem facilè erumpi nuperis exemplis compertum est, in eo quem accepit honore tueatur atque conseruet. Deus idem pacis custos & veritatis, S. V. in illo, in quo feliciter præsidet, Throno, diutissimè Orbi Christiano, & Ecclesiæ Dei præstet incolumem.

Beatitvdinis Vestræ

Obseruantissimi & obsequentissimi Filij

✠ Octavivs Archiepisc. Senonensis.
✠ Carolvs Archiepisc. Tholos.
✠ Henricvs Archiepisc. Burdigalensis.
✠ Victor Archiepisc. Turonensis.
✠ Franciscvs Episc. Ambianensis.
✠ Henricvs Episc. Lascuriensis.
✠ Stephanvs E. Dardan. N. Massiliensis.
✠ Ægidivs Episc. Adurensis.
✠ M. Mevrice Episc. Madaurensis.
✠ Nicolavs Episc. Aurelianensis.
✠ A. de Harlay Episc. Maclouiensis.
✠ Henricvs Episc. Vazatensis.
✠ Petrvs Episc. Coadjutor Montalbanensis.
✠ Bernardvs Episc. S. Papuli.
✠ Felix Episc. & Comes Catalaunensis.
✠ Dionysivs Episc. Briocensis.

Missa Romam 5. Aprilis. 1644.



EMINENTISSIMO
CARDINALI BARBERINO.



MINENTISSIME CARDINALIS

Sicut grauissimi negotij magnitudine compulsi sumus, vt supremam Apostolicæ Sedis autoritatem imploraremus, ita singularis EMINENTIÆ VESTRÆ in vniuersam Ecclesiam amor facit, vt de illius concilianda nobis ope multùm confidamus. Intelliget E. V. ex litteris, quas omnium, ad quos ea res præcipuè pertinet, qui tum Parisiis aderant, Episcoporum manu subscriptas ad Summum Pontificem destinamus, quarum etiam exemplar cùm priuato, tum communi Coepiscoporum nomine ad te mittimus, quæ nos causæ ad Librum de Frequenti Communione ab Antonio Arnauld Doctore Sorbonico conscriptum, suffragijs nostris muniendum impulerunt: &, quæ illius est pietas ac sapientia, mirabitur fortasse nobiscum, in quàm periculosa tempora deuenerimus. Eò enim mollities animorum, ac disciplinæ elanguescentis solutio processit, vt iam de vera Pœnitentia, ac sincero amore Dei loqui penè sit nefas. Hoc videlicet artificium humani generis hostis excogitauit, quo fatiscentis religionis degenerem illam laxitatem pro ipsa religione obtruderet, quasi à diuerticulis ad viam regredi, à via aberrare sit. Quod enim prædixit Apostolus, iam in multis hisce temporibus videmus impletum, *sanam doctrinan non sustinent, quærunt*

Magiſtros prurientes auribus: à veritate auditum auertunt, vt ad fabulas conuertantur. Ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum; ita Crux Chriſti euacuatur; iam enim crimen ludus eſt; & Pœnitentia penè crimini datur. Huic igitur tanto fidelium populorum malo cùm paternis compatiamur viſceribus, CARDINALIS EMINENTISSIME, obteſtamur E. V. vt Epiſcopalem ſollicitudinem, quam ex tot Sanctiſſimorum Pontificum præſcripto gregibus noſtris regendis ac ſanandis adhibemus, Apoſtolicâ autoritate firmari procuret; vt intelligat Orbis vniuerſus, Eccleſiam Romanam tantò alias diſciplinæ zelo ac veritatis amore tranſcendere, quantò ſingularis honoris apice, ac ſupremæ dignitatis Principatu cæteris omnibus antecellit.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Obſequentiſſimus & addictiſſimus

✝ OCTAVIVS *Archiepiſcopus Senonenſis.*

Pariſijs, 5. Aprilis, 1644.

BEATISSIMO PATRI

INNOCENTIO X.

PONTIFICI MAX.

ANCTISSIME PATER,

Quam superiori anno ad felicis memoriæ Sanctissimum Vrbanum VIII. BEATITVDINIS VESTRÆ Prædecessorem de Libro à M. Antonio Arnauld, Doctore Sorbonico, de Frequenti Communione conscripto, Epistolam miseramus, eam nunc BEATITVDINI VESTRÆ, & in ea causas; quæ nos ad Librum illum honorificis Approbationibus Christiano populo commendandum impulerint, dispiciendas offerimus. Quem enim in Sanctissimo Vrbano VIII. sacræ doctrinæ Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, ac Conciliorum in eo Libro summa cum fide propositæ patronum ac vindicem reperisse merito arbitrabamur, eum nunc in Sanctissimo Innocentio X. nos reperturos confidimus; quoniam in Beatissimorum Pontificum personis mortalibus, vna semper & eadem perstat immortalis autoritas à Deo instituta, vt sit columna & firmamentum semper op-

pugnatæ, & numquam expugnandæ veritatis. Eo vero alacrius atque ſecurius Librum illum, vt prius Sanctiſſimo prædeceſſori veſtro, ita nunc SANCTITATI VESTRÆ iterum commendamus, quod quem fructum ex eo fideles omnes percepturos certis argumentis ſperabamus, eum nunc illos & percepiſſe hactenus, & in dies magis ac magis percipere videamus, dum eius beneficio verè ſanatis animarum vulneribus, Eccleſiæ fideles vt Chriſti membra, Deique filij verè Chriſtianam ac Deo dignam vitam agere ſtuduerunt, Caluiniſtis etiam non paucis (quod in priori noſtra ad Sanctiſſimum Vrbanum VIII. Epiſtola futurum augurabamur) ad pietatem æquè ac Catholicam fidem conuerſis. Ita enim ſanctiſſima magni Cardinalis Caroli Borromæi doctrina in eo Libro fideliſſimè expoſita mentes affecit, atque à vitiorum illecebris abſtractas, ad morum integritatem innocentiamque tranſtulit, vt ſicut in opere iſto ſanctum illum quaſi viuum ac ſpirantem & Eccleſiam Dei etiamnum docentem intuemur, ita ipſius feliciſſimi temporis in animarum ſalubri conuerſione exprimi quandam imaginem efformarique cernamus. Quæ quidem, SANCTISSIME PATER, ſicut pro eximia tua pietate cum exultatione animi vt communem Patrem filiorum ſaluti gratulantem accepturum non dubitamus, ita non ſine aliqua commotione auditurum arbitramur, quibus artibus Libri huius, & virtute atque eruditione clari Autoris aduerſarij, in doctrinam, tot Dei, Summorum Pontificum, ac Conciliorum Oraculis conſecratam inſurrexerunt. Aut enim

ſententiarum veriſſimarum ac fundatiſſimarum vellicatione, aut locorum ipſa contextus ſerie clariſſimorum obſcuratione, aut rerum certiſſimarum in detortos, ac plane alienos ſenſus diſtractione, aut prauarum conſecutionum ſophiſtica deductione, aut contumeliarum inuſitata acerbitate, ita libellos ſuos impleuerunt, vt dum alienam famam temere appetunt, ſuam iuſto Dei iudicio proieciſſe videantur. Quod ſi in Gallia de ſpe ac conatu ſuo plane depulſi, in Italiam ac Romam vſque ſe transferant, ibique fractas illas atque inanes criminationes fallacibus Libri huius verſionibus aut interpolationibus redintegrare, altiſſimamque BEATITVDINIS VESTRÆ, quâ Christianum Orbem omnibus ſupereminens moderatur, prouidentiam tentare voluerint, SANCTITATEM VESTRAM obſecramus, vt de illorum querimoniæ capitibus nos certiores facere dignetur, ſpondemuſque ac promittimus Pontificiæ atque Apoſtolicæ veſtræ, qua tum filios omnes, tum præcipuè ſacræ veritatis depoſitum cuſtodit atque amplectitur, charitati abundè nos eſſe ſatisfacturos. Hanc autem Epiſtolam, vt noſtræ, quam Eccleſiæ Dei debemus ſollicitudinis teſtem, ſuæ beneuolentiæ honore proſequatur, SANCTITATEM VESTRAM rogamus, atque M. Ioannem Bourgeois, Theologum Pariſienſem, eiuſdem Libri cum alijs pluſquam viginti Doctoribus Approbatorem, à quo & hanc Epiſtolam accipiet, noſtro nomine de hoc negotio agentem, pro ſolita ſua benignitate audiat. Deus Optimus Maximus SANCTITATEM VESTRAM

in ſupremo illo Apoſtolici principatus apice conſtitutam, diutiſſimè fidelium votis ac populorum ſaluti ſeruet incolumem.

BEATITVDINIS VESTRÆ

Obſeruantiſſimi & obſequentiſſimi Filij,

✠ OCTAVIVS Archiepiſc. Senonenſis.
✠ CAROLVS Archiepiſc. Tholoſ.
✠ VICTOR Archiepiſc. Turonenſis.
✠ FRANCISCVS Epiſc. Ambianenſis.
✠ HENRICVS Epiſc. Laſcurienſis.
✠ STEPHANVS Epiſc. Maſſilienſis.
✠ ÆGIDIVS Epiſc. Adurenſis.
✠ NICOLAVS Epiſc. Aurelianenſis.
✠ A. DE HARLAY Epiſc. Maclouienſis.
✠ PETRVS Epiſc. Coadjutor Montalbanenſis.
✠ BERNARDVS Epiſc. S. Papuli.
✠ FELIX Epiſc. & Comes Catalaunenſis.
✠ DIONYSIVS Epiſc. Sanbriocenſis.

Burdigalenſis, Madaurenſis & Vaſatenſis quorum hic ſubſcriptiones deſiderantur, cum hæc Epiſtola ſcripta eſt, è vita deceſſerant.

Miſſa Romam 21. Iulij. an. 1645.

BEATISSIMO PATRI
INNOCENTIO X.
PONTIFICI MAXIMO.



ANCTISSIME PATER,

Apostolicam BEATITVDINIS VESTRÆ aciem, ex altissima illa Pastoralis apicis specula, vniuersum, quâ patet, Christianum Orbem circumspicere & complecti facilè intelleximus ex breui Apostolico ad Illustrissimum Fratrem Senonensem Archiepiscopum misso, quo superioribus literis nostris pro Libro de Frequenti Communione ad SANCTITATEM VESTRAM scriptis, respondere dignata est. Et vero nihil vel ad Ecclesiæ tranquillitatem, vel ad Christi gloriam vtilius ac splendidius fieri potest, quam vt vno Pastorum omnium ardore, & communibus votis exorta aut iam exoritura incommoda propulsentur, atque ad veram & Christianam pacem, veritatis assertione stabiliendam, cum Episcopali Dignitate Majestas Pontificia consentiat. Sed cùm ex literis M. Ioannis Bourgeois Doctoris Parisiensis, cui negotij huius nostro nomine procurandi munus à nobis creditum est, accepissemus, aduersariorum Libri de Frequenti Communione criminationes omnes plena responsione ab eo fuisse depulsas, quia ipsis authoris verbis in medium prolatis, ad oculum

pateat solis illum calumnijs, sententiarum planissimarum corruptelis, atque malignis deprauationibus, aliisq; eiusmodi præstigijs impugnari: Patieris profectò, quæ tua est benignitas & fidelium salutis amor, BEATISSIME PATER, nos super hac re *in libertate spiritus*, vt Apostolus loquitur, *& in sinceritate dei*, apud S.V. animi nostri sensum exponere. Cum enim Apostolicæ Sedi, quicquid honoris, & obseruantiæ ab Episcopis deferri oportet libentissimè præstiterimus; nonnihil commoueamur necesse est, dum negotium istud ita se habere dictitant nonnulli, vt duci, ac trahi, & porro ducendum in posterum, ac trahendum potiùs quàm promouendum aliquando, conficiendumque videatur. Hac namque dilatione & mora, Libri huius, hoc est, antiquæ & solidæ, vt existimamus, veritatis aduersarij ad Episcopalis nominis, ipsiusqueRomanæ Sedis dedecorationem abutuntur; dum rudiorum animos varijs, incertisque sermonibus territant; dum pro sua libidine quodcumq; ipsis commodius est, spargunt; fictisque rumoribus, odiosæ ac deploratæ in his regionibus causæ suæ inuidiam leuare moliuntur. Hinc natæ illæ fabulæ, Librum istum, qui iam non eruditorum tantum, sed omnium pene fidelium consentienti existimatione apud nos comprobatus est, à S. V. propediem condemnandum; aut si minùs condemnetur, id vnum in causa futurum, quod BEATITVDO VESTRA Episcoporum famæ parcere, & cum ijs clementiùs atque indulgentiùs agere statuerit. Nos autem, BEATISSIME PATER, hoc in omni negotio, non indulgentiam tuam, sed æquitatem ac seueritatem postulamus; nec Iudicis supremi vocem, sed silentium pertimescimus. Quicquid prudenti, ac maturæ

turæ rerum discussioni dandum fuerat, iam abundè, tanto temporis interuallo, præstitum videtur. Reus publicè accusatus, publicè defensus est. Omnia tela Aduersariorum depulsa ac dejecta sunt: Et si quid in primo Libro iniquioribus hominibus obscurum videbatur; altero plane illustratum, ita vt nullus scrupulo locus relinquatur. Quid ergo superest in hac causa, nisi vt pro BEATITVDINIS VESTRÆ zelo ac sapientia; pro Apostolici throni in quo residet majestate; pro tantæ rei, quæ omnium oculos in S.V. conjectos tenet, grauitate, rumorum illorum, iniquarumque suspicionum facultas omnis præcidatur; fallaciæ, ac calumniæ dispellantur; Christiana veritas asseratur; & Episcopalis authoritas, tandiu prolati examinis tædio læsa, vindicetur. Nouit enim optimè S.V. hanc esse & diuinarum & humanarum legum præscriptionem, vt accusatore non probante, dimittatur reus. Etiam ipse Doctor Gentium, vas electionis, ab ijs qui summæ inter Iudæos virtutis habebantur, multis criminibus in iudicium vocatus, hoc vno argumento omnia objecta diluit, innocentiamq; asserit suam; quòd, quæ illi contra se dicerent, probare minimè possent. Quid vero Ecclesię Romanæ amplitudini, inuictoque illius zelo, tot per omnes ætates exemplis illustribus testatissimo, minus consentaneum fieri possit, quam si (quod nobis augurari non libet) hoc omne negotium sensim ductum ac dilatum, tandem omnino abijceretur? aut certe componendæ rei totius eæ excogitarentur viæ, quibus, cum summo Christianæ veritatis contemptu, & Antistitum dejectione, priuatorum nonnullorum existimationis ab ipsismet temerè projectæ detrimenta resarcirentur, vt vi-

delicet ex angustijs illis in quas inconsultè, Deo vindice, se demiserunt, & è quibus honestè numquam emergent, quoquo modo se extricasse videantur. Auxit sollicitudinem nostram, BEATISSIME PATER, quòd eodem tempore quo Breue Apostolicum ad Illustrissimum Archiepiscopum Senonensem à S. V. perlatum est, aliud item Breue se ab eadem accepisse Vaurensis Episcopus jactitat, quo se verbis etiam honorificis affectum esse gloriatur. Quin Epistolam quamdam, tanquam ad V. S. missam, sub illius nomine circumferri, ac velut spolia ex nobis, ac trophæa vbique hìc ostentari vidimus. Quæ quidem, cum in manus nostras incidisset, manifestas contra doctrinam ab ipso laceratam calumnias; fœdum contra Episcopos maledicendi genus horruimus. Audacter enim eius Epistolæ author profiteri non dubitat, Librum de Frequenti Communione tot Illustrissimorum Doctissimorumque testimonio commendatum, *temerarias, hæreticasque, tum de alijs multis, tum de Pœnitentiæ Sacramento propositiones continere; Incredibile esse dictu quas strages animorum quotidie faciat, sitque facturus; doctrinamque illius,* veritate inuictissimam, autoritate fundatissimam, *nouitios errores, prophanæ nouitatis tenebras, pestiferam doctrinam, contagionem latiùs ac pestilentiùs manantem, noua de Religione dogmata breui tempore totam Ecclesiæ massam corruptura; Episcopos vero se non sanis erroribus addixisse criminatur;* & vbi audacissimo commento fictè deplorauit *pestilentissimam contagionem, quæ in dies latiùs patere non cesset, apud nos grassari; deludi simplicem plebeculam à pseudo-apostolis, qui non augustissimis Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramentis, non throni Apostolici potestati parcant; palam hìc*

exultare nequissimos impostores, qui alios Caluini confidentia, alios diabolica desperatione impleant; Hoc vident, inquit, *hoc approbant, hoc patiuntur Antistites aliqui*, vt ita virus illud omne in Antistites redundaret, quos per summam calumniam apud supremum CHRISTI in terris Vicarium tanquam pestiferæ contagionis fautores, pseudo-apostolorum approbatores, dignosque proinde qui & ipsi pseudo-apostoli censeantur, & nequissimorum impostorum, vel Caluini, vel etiam Diaboli asseclarum protectores, infamare conatur. Et quoniam tam horrendis conuitijs necdum sua de illis maledicendi satis exsaturata libido est, nouas etiam ac commentitias eorum conscindendorum causas somniando, ac diuinando sibi confingit, vt *hactenus prolusum esse, & illos dogmaticæ nouitatis molitores, ad euertendum quicquid est in Religione sanctissimum sese accingere*, impotenti quodam maledicendi genio abreptus vaticinetur. Vix oculi ipsi fidem faciunt, BEATISSIME PATER, tales esse potuisse Christiani hominis contra Episcopos ad supremum Episcoporum Principem voces; quarum atrocitatem non minus admirati sumus, quàm confidentiam incredibilem, qua se velut vnicum Ecclesiæ Catholicæ præsidium, pastoralis sollicitudinis normam, hæresum expugnatorem, librorum ac voluminum fontem quemdam inexhaustum ostentat. Quare cùm illa Epistola, in Antistitum, totiusque Cleri Gallicani conuentu, qui nunc Lutetiæ Parisiorum habetur, publicè lecta fuisset, BEATISSIME PATER, indignati sunt vniuersi cùm mira illa atque intoleranda in Episcopos congesta conuitia, tum insignem illam in primis aduersus Ecclesiam Gallicanam calum-

niam, quam ante oculos SANCTITATIS VESTRÆ ponit, *vt prope desperatam, nisi dispellendis procellis, & exorientium errorum caligini radius affulgeat; in qua noua de Religione dogmata conflari cæperint, quibus breui corrumpenda sit massa tota, nisi quamprimum pestiferæ doctrinæ fermenta dissipentur; quæ denique varijs dissidentium inter se Episcoporum studijs hucilluc periculosè raptetur*; cùm è contrario vix vnquam tantam Episcoporum in Gallia concordiam, tantam animorum in vno sensu conspirationem fuisse dictitarent. Itaque cùm vniuersus Clerus Gallicanus, si modo hanc Reuerendissimus Vaurensis Episcopus Epistolam pro sua agnosceret, ipsum ad Metropolitanum suum vt in eum ex Canonum disciplina animaduerteretur, remittendum censuisset; publica illa ac meritissima omnium indignatione adeo perculsus est, vt responsione ambiguâ atque ancipiti, Epistolam illam verbo tenus detrectare, & quoquo modo à se amoliri; quam tantarum atrocitatum defensionem atque inuidiam in se suscipere maluerit. Cùm verò illa responsione se ad S. V. scripsisse, & excerptas è Libro de Frequenti Communione propositiones, censurâ, vt existimat, dignas ei transmisisse profiteatur; non immeritò subueriti ne eodem quo libros scripsit genio ductus, SANCTITATI VESTRÆ forsan obrepserit; rei grauitate, & iustæ defensionis necessitate, multa quæ sunt de illo aperta ac publica, tuis oculis subijcere possemus, quibus S. V. facilè perspiceret quæ illius dictis fides adhibenda sit: Sed charitatis fraternæ, & Episcopalis modestiæ memores, nolumus fratris existimationem apud te violasse videri. Quod ad libros attinet quibus sibi adeo placet,

quid verbis apud S. V. deprimere opus eſt, cum optimis reſponſionibus ita protriti ſint, & in dies proterantur, vt apud omnes eruditos & à partium contentione remotos, nullo numero iam habeantur. Nec vero aut ignota loquimur, aut incerta aſſerimus, BEATISSIME PATER, ſed publica & publicis quæ in manibus, in ore, & in amore omnium ſunt voluminibus conuicta, & confirmata; vt ſi quid in poſterum ille in lucem editurus eſt, nec reſponſione quidem dignum videatur, cum eius libri non modò nullum æquioris, ac maturioris iudicij approbatorem, ſed vix etiam lectorem inueniant. Ex quo factum eſt, vt ne vnum quidem vel Epiſcopum vel Doctorem ad egregia illa volumina (quæ ne illaudata manerent, tantis ipſemet afficit laudibus) nominis ſubſcriptione confirmanda, ne accedente quidem notiſſimâ eorum quibus patrocinatur ad deliniendos hominum animos ſolertia, pellicere potuerit. Contrà verò doctrinam quam omnibus impietatis, blaſphemiæ, ſchiſmatis, hæreſeos notis inurere, ac dedecorare conatus eſt; plures in dies Epiſcopi honorificentiſſimis quæ in manibus ſunt, approbationibus exornant, atque integra Auſcenſis Prouincia non modò vt ſanctiſſimam atque vtiliſſimam, ſed vt à Paſtoribus ſuſcipiendam, populis prædicandam, in prouincialibus comitijs commendauit. Non enim concurſationibus, rumoribus, terriculamentis (quæ ſola illis ad clariſſimam lucem adoriendam, tenebrarum arma relicta ſunt) aliquos Libro, quem tam acerbè inſectantur, aduerſarios; ſed nouos potiùs patronos ac defenſores pepererunt; nec eruditorum, piorumque aduerſus eum offenſionem & inuidiam; ſed majorem etiam

atque in dies crescentem amorem, studium, admirationem, ac reuerentiam concitarunt. Sanctissimum enim plane ac inuictissimum id esse oportere intelligunt, quod nec tot probris violari, nec tot machinis concuti potest. Quamobrem tumultus illi, ac dissidia, schismatumque ac hæresum vaticinia, quæ simulatè fundunt atque ingeminant, vt verè loquamur, meræ sunt somniorum imagines, & maleuolorum commenta. Interea egregij pacis amatores atque Interpretes, ijs qui non vim fecere, sed ab ipsis passi sunt, aliorum etiam odium creare moliuntur; suorum ipsorum crimen innocentissimis obijciunt; pœnasque quas soli luere debent, ab ijs exposcunt. Sed plane his in locis, BEATISSIME PATER, quantum ad negotium istud pertinet, in eruditorum mentibus, atque in fidelium cordibus alta pax est. Sacræ antiquitatis doctrina & agnoscitur & amatur; prioresque illæ nebulæ, quas nonnulli offundere conati sunt, vberiori in dies ac diuiniori luce discussæ, illam splendidiorem etiam ac iucundiorem efficiunt. Nunc ergo S. V. obtestamur atque obsecramus, BEATISSIME PATER, vt homines Hierarchicæ omnis autoritatis inimicos, ad rerum, quæ nullius voce defendi possunt, fallacem ementitamque defensionem, silentio vestro diutius abuti non sinat. Os illis tandem aliquando occludatur, qui fictitias turbas prætexentes, veras ipsi commouere student; Ecclesiæque hostibus, in hæreseos castris aduersus eam aperto marte grassantibus, planum fiat, sacræ traditionis, Pastoralisque dignitatis, quas contra eorum errores defendimus, autoritatem, ab ipsis Ecclesiæ filijs indignè nonnumquam ac petulanter, sed numquam, vt apud

ipſos, ſecurè atque impunè violari. Sic Deus BEATITVDINEM VESTRAM diuinis gratiæ ſuæ muneribus cumulatam, & Chriſtianæ veritatis æque ac pacis incolumitati Apoſtolica ſollicitudine inſeruientem, omnipotenti auxilio tueatur ſemper atque conſeruet.


BEATITVDINIS VESTRÆ

Obſeruantiſſimi & obſequentiſſimi Filij,

✠ OCTAVIVS Archiepiſc. Senonenſis.
✠ CAROLVS Archiepiſc. Tholoſ.
✠ VICTOR Archiepiſc. Turonenſis.
✠ FRANCISCVS Epiſc. Ambianenſis.
✠ HENRICVS Epiſc. Laſcurienſis.
✠ STEPHANVS Epiſc. Maſſilienſis.
✠ ÆGIDIVS Epiſc. Adurenſis.
✠ A. DE HARLAY Epiſc. Maclouienſis.
✠ PETRVS Epiſc. Coadjutor Montalbanenſis.
✠ BERNARDVS Epiſc. S. Papuli.
✠ FELIX Epiſc. & Comes Catalaunenſis.
✠ DIONYSIVS Epiſc. Sanbriocenſis.

Præter illos qui nec ſuperiori ſubſcripſerunt, Aurelianenſis cum hæc ſcripta eſt hanc vitam cum feliciore commutauerat.

Miſſa Romam 2. Mart. 1646.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0031288

